

Franck
Satyrae
Med.

Boissonade

D. GEORGII FRANCK de FRANCKENAU,

SATYRÆ MEDICÆ XX.

QUIBUS ACCEDUNT

DISSERTATIONES VI.

VARII SIMULQUE RARIORIS ARGUMENTI,

UNA CUM ORATIONE DE

STUDIORUM NOXA,

EDITÆ AB AUTORIS FILIO,

GEORGIO FRIDERICO FRANCK de FRANCKENAU.



LIPSIÆ,
Apud MAUR. GEORG. WEIDMANN.
SAC. REG. POLON. MAJEST. & ELECT. SAXON. BIBLIOPOLAM.
MDCCXXII.



ELENCHUS MATERIARUM.

SATYRA I.

ZARI



B. C. D.

B. C. D.

1.) SATYRA PRIMA.

§. I.

UT titulo *satisfaciatur* 2.) per omnes fere Medicinæ partes faciemus *rabpsodian* 3.)

§. 2.

Præputium 4.) *pulchritudinis* 5.) causa factum esse quis credet cum Galeno XI. V. P. 13. & XV. 3.

§. 3.

Hymen 6.) *si abest* 7.) non deflorationem, nec, si adest, *integritatem* 8.) certo probat. *Conceperunt* 9.) sane, quibus integer fuit. Imo imprægnabatur Romæ puella, quæ *ita arcta erat,* 10.) ut mulier (ceu JCtus ait L. quæritur 14. §. 7. π. de ædil. Edict.) fieri non posset, siquidem penem admittere non poterat: ubi tamen quinto mense intumuit venter, mater ejus sollicita sectionem & dilatationem vulvæ feliciter exoravit ex *Joh. Trullio,* Chirurgo Pontificis, illaque filium rite peperit debito tempore, teste Henrico a Moinichen Obs. Med. 13. Inde elucet, seminis Virilis solum *spiritus & contagium* 11.) concurrisse.

§. 4.

Næ risu dignus est, qui *splenem credit* 12.) facere risum;

§. 5.

Hyeme ventres esse *Calidiores* 13.) quam æstate, nunquam credam quoniam saniores suadent rationes, *æstate eos calere* 14.) magis.

§. 6

Valde suaves sunt, si Displacet, qui *hepar statuunt venarum principium*; 15.) item, quod *lien Melancholiam* 16.) *testes semen*, 17.) *ventriculique cerebri Spiritus animales* 18.) efficiant; atque *Chirurgia oriatur ab Æsculapio* 19.) deinde *a Podalirio atque Machaone*; 20.) cum hæc æque fabulosa sint ac *Phœnicis e suis cineribus* 21) redintegratio, *avium in calidiores terras* 22.) abitus, ex iisque reditus, *Borametz seu agni vegetabilis* 23.) antipathiæ cum lupis, *serpentis ex spinali medulla* 24.) in mortuis generatio.

§. 7.

Pullos igne artificiali excludi posse amplius non admiramur, qui quæstum inde fieri maximum in Ægypto, *præcipue Cairi* 25) novimus. Successum quoque experti sunt *Divus Christianus IV. Rex Daniæ* 26.) & Ferdinandus II. Magnus Dux Hetruriæ aliique complures: Gallina enim incubatione ista nihil præter calorem confert, quem aliunde accedere posse quis neget? Interea hæc *homuncioni Paracelsico* 27.) patrocinari nolo, quem calore fimi equini, vel, quod aptius sit, axillarum perfici nugatur.

NO-

NOTÆ IN SATYRAM I.

1. SATYRA] Quid fit? abunde nos docent JCti æque ac Grammatici, in quorum segetem opus est, ut meam parumper falcem immittam. *Satyra Lex* quæ sit ac unde dicta fusius edocet *Franc. Hottomannus* de Legibus populi Rom. p. 66. seq. edit. Basil. 1557. 8. Per *Satyram* Romæ solebant exquirere, cùm multa in senatu esset frequentia, teste *Taubmanno* Diss. de Lingua Lat. p. m. 65. *Diomedi* Grammatico *Satyra* est poema procax & maledicum ad perstringenda vitia comparatum, teste *Foquelino* in *Persium*, quem ulterius consule, una cum *Freigio* ad colloquia *Vivis*. *Domitio Calderino* præf. Comm. in Juvenal. Ant. Mancinello, & Georgio Valla in Comm. ad eundem, *Vallæ* verba hæc sunt: Satyram dictam ajunt a,, Satyris nemorum numinibus, imo quidem rusticis a qui,, bus duxit originem, veluti in Libro, quem de expetendis,, fugiendisq; rebus scripsimus evidentissimis rationibus,, ostendimus, quod similiter in hoc carmine ridiculæ res,, pudendæque referantur, quæ velut a Satyris proferun-,, tur; vel, ut Macrobius, a σάθη, quod genitale mem-,, brum significat: vel, ut quidam alii, a *Satyra lance*,, quæ referta variis multisque primitiis in sacris Cereris,, inferebatur. Alii autem putant dictam a lege, quæ,, uno rogatu multa simul comprobat, quod & in ejusmo-,, di carmine multa simul poemata comprehendantur.,, Eadem plane habet citatus *Mancinellus*, isque hæc adjicit: Olim Carmen, quod variis poematibus constabat, *Sa*-,, *tyra* vocabatur, quale scripserunt *Pacuvius* & *Ennius*.,, Sic Satyra lanx a copia & saturitate rerum ita vocabatur; Addit citatus supra *Diomedes*, in Satyrica fabula apud Græcos Tragicos poetas non Reges aut Heroses sed Satyros induxisse ludendi causa, jocandique simul, ut spectator inter res tragicas seriasque Satyrorum quoque jocis ac lusibus delectaretur. Breviter autem *Festus* & optime rem definit his verbis: *Satyra* est (ibi genus,, ex variis rebus conditum, & Lex multis aliis referta le,,-

„gibus, & genus carminis, ubi de multis rebus disputa-„tur. Ex quibus verbis patere puto rationem, quæ me, ut miscellis hisce Medicis eum præfigerem titulum, induxerit. Conferantur interim de nomine Satyræ Rivinus inLance Satyræ in prooemio; & de origine ejus Polyd. Virgilius Lib. I. de inventoribus rerum c. II. p. 15.

2. SATISFACIATUR] Utut neutiquam cum animo habeam statutum & deliberatum meo, Cornicum, quod dicitur, configere oculos, & verborum venari apinas, subinde tamen a teneris cupido me incessit, in Philologorum viridaria (extra oleas tamen nunquam) exspatiari, aliquotque delibare flosculos, quos inter & hunc decerpsi, non omnibus, uti opinor, obvisum. To SATISFACITUR, nonnullis posset obsoletum, aliquibus novum, multis barbarum videri: En e recentioribus *Justum Lipsium*, virum literatum & disertum, qui in Politic. Monitis seu præf. ad Lect. ait: *Quod si ne ibi quidem tibi* SATISFACITUR, & Cent. I. Epist. miscell. 88. scribit idem: *Mihi adfatim* SATISFACITUR, *si Eques hic plaudat & Senatus*. Hinc *Carolus du Fresne* in Glossario Barbaro Tom II. fol. m 339. ita: *Facitur pro fit dictum ab antiquis observat Nonius*; Sed & ratione & auctoritate Veterum nobis opitulatur *Gerardus Joannes Vossius* Vir doctissimus Grammatices seu Aristarchi sui Lib. III. de analogia Cap 38. p. 136. ubi ait: At *factus sum* non est præteritum a *fio*, ut Diome-" des Lib. I. scribit, sed a *facior*, pro quo nunc" quidem *fio* dicitur a Græco φύω, unde & *fuo*, *fui*," *futurus*; sed olim *facior* etiam in usu fuisse multa" ostendunt: Primo, composita usitata: *Afficior*, *perficior*, & similia; deinde alia, quæ nunc in usu esse desie-" runt. Nam *Titinnius* in Quincto *parvifaciatur* dixit," Nonio & Prisciano testantibus; ac Varronis in Cynico," apud eundem Priscianum, sunt ista: Si me hercle per-" gunt & Deorum cura, non *satisfacitur* Reipublicæ.„ Denique & ipsum *facior* posuit *Nigidius Figulus* Com-„mentatione Grammatices lib. 19. apud *NoniumMarcel-*

um

lum c.x. §. 17. ubi ita: Facitur pro fit. *Nigidius* l. c. „Id quod dico, est hujusmodi: ποιεῖ facit ποιεῖται *faci-*„ *tur Titinnius*: Quanta stultitia cupidinis? petunt con-„ silium bona gratia, ut *parvifaciatur*.„ Item Antiquus Commentator in *Terentii* Andriæ Act. I. in principio ait: „Hæc scena pro argumenti narratione proponi-„ tur, in qua totius fabulæ faciuntur fundamenta. Addere libet his *Rudolphi Goclenii*, Viri doctissimi, verba, quæ exstant problematum ejus Grammaticorum Lib. 2.„ quæst. 83. pag. 140. An participium factus sit a fio?„ Negatur. Factus non est a fio, sed ab antiquato *fa-*„ *cior*, pro quo nunc dicimus fio; priscos autem dixisse *fa-*„ *cior*, duo arguunt: primum est quod dicimus, afficior ef-„ ficior, inficior; alterum, quod legitur in *Catone*: Græco„ ritu *faciebantur* Saturnalia. Tu facitur a nov-antiqua-„ rio ne mutuator.„ Quin quod & verbum *Calefacior* passive occurrit apud *Vitruvium*, uti Lib. V. c. 10. p. m. 95. a: „Testudinesque alveolorum ex communi hypocausi„ calefacientur. Sic & *Caspar Scioppius* Comm. in Pria„ peja ad Carmen XLV. pag. m. 51. ait. „Calamistrum„ *calfaciebatur* in cinere, quo torqueretur capillus, „ quæ procul dubio desumsit ex Josephi Scaligeri Commentario in Priapeja pag. m. 146. Idem verbum, quod Vulgata latina Bibliorum versio habet Jac. II. 16. inter ea refert *Maximilianus Percelli* (in Differt. de barbarie vulgatæ versionis Marpurgi Respondente *Joanne Kühn* habita anno 1679. §. 4. pag. 11.) quæ latina quidem, sed eo vitiosa sunt, quia terminatione aberratur propter mutatam flexionem; verum erudite id vindicat Celeberrimus JCtus *Albericus Gentilis* Disput. de Latinitate veteris Bibliorum versionis male accusata pag. m. 21. ubi ait. *Calefacimini* (Jac. II.) notat Theolo-„ gus; & legere potuit in Vitruvio (Lib. IV. c. 7 &„ Lib. V. c. 10. ubi Philandrum consule) tamen *calefacien-*„ *tur*; it. calefaciuntur. Quid mihi alii notent hæc & in Vitruvio vitiosa? etiam alli (Novell. de mu. con.„ Alb. Virg. c. 15.) dixere: *Facitur, parvifacitur, Satisfaci-*„

tur." Idem Gentilis in Lectionibus suis Virgilianis cap. 15. pag. 139. inquit: „*Laurus in Epistola fiebatur*: „ait quidam vetus Grammaticus, apud quem alii legunt „*figebatur*, alii paulo longius a Scriptura *ferebatur*. „Plinius: *additur literis & militum lanceis, pilisque*. „At quid si interpres ille voluit lauri imaginem in li„teris notatam dicere, non adjuncta lauri folia? Tum „verbum *fiebatur* aptius pro *pingebatur*; quod etsi est „barbarum, non disconvenit tamen interpreti illi. Et ta„men veteres Grammatici, *Diomedes, Priscianus, No„nius*, habent *fiens, fientes, fiendi, fiendo, fiendum*. In„audita nunc! an ideoque barbara? *Fitur, fiebatur*, „*fitum est* Cato & alii vetustiores, & alia ejusecemodi: „*Satisfactur* Varro: *Facessitur* Cicero: Queatur Lucre„tius: *Possuntur, Quitur, Quitus sum* Virgilius (Æne„id. IIX. ubi Fabri. Diomed. 1. 2. Priscian. c. 8. 10. Mi„nut. po.) etiam *potestur*; ubi hodie tamen legunt *pot„est*, vel Grammaticorum convitiis spretis, qui & nu„meros causantur, ut legamus: *liquidove potestur electro*. „Sed hæc obiter, per quæ tamen defendi aliqn Latinita„tem Bartolistarum in hoc ipso verbo *fiatur*; Ille idem „interpres scribit: *quod si aliquid adversi nunciabatur*, „*tum in Epistola* FIEBATUR *pinna* (Cas. Suet. a. P. „hier. 21. Celeritas) quod nugatorium censet non nemo „hodie, & ante hunc Pierius doctissimus sic tradidit Ta„bellariorum insignia pennas esse.

3. RHAPSODIAN] Vocem hancce Græcam eo heic loci sensu sumimus, quo Luciano olim placuit, nempe Centonem seu φλυαρίαν indigitante. Proprie autem quasi contexturam carminum & concinnationem innuit, estque veluti series quædam versuum se mutuo sequentium. Ραψῳδὸς enim, eodem Luciano teste, fuit recitator carminis seu versuum, qui aliena carmina in publicis conventibus accinere solebat, ita dictus, quod cantiones quasi sueret multa concinnatione. Hinc & eodem sensu verbum ῥαψῳδέω usurpavit idem Lucianus de

lactu; quamvis Demosthenes pro *Differere* eo usus sit, aliis vero Graecis ῥαψωδεῖν tricari, nugas agere fuit. Unde Suidae ῥαψώδημα idem est ac ψεῦσμα, mendacium, nugae. Non possum, quin addam suffragia eruditissimorum Criticorum, Ludovici Caelii Rhodigini, & Jungeri; Ille Lectionum antiquar. Lib. 7. cap. 1. "*Rhapsodi* dicuntur Interpretes illi, qui divino instinctu alienam enarrant poesin; Idem cap. 29. p. m. 523. seq. "*Homeridae* sunt illi, qui Homeri poesin per successionis seriem concinuerunt, mox qui exceperunt *Rhapsodi* dicti. Sunt qui Rhapsodos opinentur dici velut ῥαβδωδοὺς. Sunt, qui divulsam ac disjectam prius Homeri poesin ab illis coaptatam & velut consarcinatam memorent; unde sit conciliatum nomen ἐκ τῆς ῥαφῆς id est, ab sutura; cui sententiae Pindar. adstipulari animadvertitur. *Rhabduchorum* etiam Homerici carminis recitatoribus adhaesit cognomen, quia virgam soliti sunt tenere. Imo traditur, illos olim dictos ἀρνωδοὺς, quoniam Victori praemium contribueretur agnus. Sunt qui etiam Stichodos hoc est στιχωδοὺς nuncupari Rhapsodos velint, quod versus quidam ῥαβδοὺς dicant." Consentit *Rhodigino Fungerus*, eadem ex *Eustathio* comprobans Etymologici Trilinguis p. 670. b. ubi addit: Cum ῥαψῳδίας nomen toti Homerico pöemati tributum sit a veteribus, non defuerunt qui ῥαψωδοὺς dicerent omnes τοὺς αὐτὴν ᾄδοντας, hoc est, qui cum modulatione & conceptu recitabant in publicis conventibus istud poema, aut certe partem aliquam; hinc in usum venit, omnes Carminum alienorum recitatores appellare ῥαψωδοὺς; videntur quibusdam, sicuti etiam *Eustathius* refert, apellationem habere παρὰ τὴν ῥάβδον id est virga, ut sint ῥαψωδοὶ quasi ῥαβδωδοὶ & hinc ῥαψωδία quasi ῥαβδωδία. Legantur & hac de voce

quæ habet Andr. *Senftleben* in dedic. ad *Catulli* Phaselum p. m. 3.

4. PRÆPUTIUM] Ut verbis utar *R. Columbi* Lib. XI. de re anatomica cap. 15. p. m. 443. dicitur: „pars extrema „penis, estque pellis illa, qua glans integitur, quæ in coi„tu ipso nunc sursum nunc deorsum fertur infinita pro„pemodum mulierum voluptate & tentigine. Hæc in „Ebræorum circumcisione aufertur; propterea vetus „verbum est: *Judæus Apella*; quæ res magnam vo„luptatis partem Ebræis mulieribus adimit, dum „venus oscula amantium quinta parte sua nectaris „imbuit." Græcis, imprimis *Paulo*, & *LXX. Interpretibus* audit ἀκροβυστία; *Aristoteli* ἀκροποσθία vel ἀκροπόσθιον, idem fere quod πόσθη, teste *Brunone* Lex. Med. p. m. 14. b Cujus tamen pace liceat notare, ἀκροπόσθιαν quidem *Gaz. apud Aristot.* II. de part. animal. cap. 13. esse ipsum præputium, ἀκροπόσθιον autem tantum partem ejus prominentiorem (Legitur vocabulum istud apud *Hippocratem* VI. Aphor. 19. Coac. I. 504. Lib IV. de morb. XXIX. 7. Adde *Foesium* p. 24. *Gorræum* in definitt. *Dietrich.* n. 35.) πόσθη vero præter præputium, ipsum pudendum s. virile membrum notat *Suidæ*; *Dioscoridi* L. IV. cap. 247. Aristoph. in Νεφ. qui & alibi πόσθιον eodem sensu usurpat, interpretibus illud *mentulam* reddentibus. Medicis autem *præputia* etiam vocantur labra pudendi muliebris, quæ exterius uterum ab aere externo noxio munire scribit *David Herlicius* Lib. de curatt. gravidar. puerperar. & infant. cap. 1. pag 3. De ejus circumcisione ejusque ritibus mox Nota 5.

5. PULCHRITUDINIS CAUSA] Procul dubio genitalia pertinent in Microcosmo ad membra, quæ ἀσχήμονα appellantur ab Apostolo 1. Cor. XII. 23. id est, inhonesta vel indecora, non per se, sed comparate ratio-

ne

ne eorum, quæ eximia venustate sunt prædita, ut ait Nic. Fullerus Miscell, facr. L. 3. c. 3. pag. 297. Hinc *Corn. Celsus* Lib. VI. cap. 18. p. 416. vocat generationi dictas partes *obscœnas*, aitque harum vocabula apud Græcos & tolerabilius se habere, & accepta jam usu esse, cum in omni fere Medicorum volumine atque sermone jactentur. Apud nos (pergit, Romanos intelligens) “fœdiora verba nec consuetudine aliqua verecundius loquentium commendata sunt, ut difficilius hæc explanatio sit simul & pudorem & artis præcepta servantibus; & paulo post pag. 417. tractat de phimosi & paraphimosi his verbis; si ex inflammatione coles intumuit, reducique summa cutis aut rursus induci non potest, multa calida aqua fovendus locus est. Ubi vero glans contecta est, oriculario quoque clystere inter eam cutemque aqua calida inserenda est, &c.“ Sunt interim, qui pulchritudinis causa præputium factum probare aut saltem inferre conantur ex Eccl, cap. III, 11. ubi hæc leguntur verba: אֶת־הַכֹּל עָשָׂה יָפֶה בְעִתּוֹ quæ LXX. Interpretes reddidere: *σύμπαντα ἃ ἐποίησε καλὰ ἐν καιρῷ αὐτοῦ*. Pagn. *Omne fecit pulchrum in tempore suo.* *Seb. Schmidius: Omnia fecit pulchra in tempore suo.* Lutherus: Er thut alles fein zu seiner Zeit. Sed quid inde quæso argumenti ad præputii comprobandam pulchritudinem? Recte enim CL. Dn. D. *Geierus* in Comm suo in Coheleth pag. 95. verba ista sic explicuit, “quando dicitur, *Deum omnia facere pulcra*, sensus est; Omnia, quæ fiunt vel permittuntur, non confuse ruere, vel ordine aut directione omni carere; Sed eadem pulcre a Deo conservante etiam hodie produci, conservari ac sustentari, & quidem ita, ut pro libertate, sapientia ac justitia sua hoc tempore velit illum mori, illum nasci, hunc ditescere hunc pauperari &c. Conf.“ *Joh. Maukisch* in nott. Philologico Theolog. classe I. no. 53. pag. 408. Frustra ergo hinc exsurgit fulcrum *Galeno*; qui & alias in S. Scripturam, inprimis Mosen,

imo in ipsum Deum fuit injurius, ex. ex. L. XI. U. P. c. 14. ubi de pilis palpebrarum negat Deum istos potuisse rectos facere, & propterea vapulat eidem *Maukischio* l. c. pag. 310. seq. Quare perplacent verba Excellentissimi *Christoph. Guntheri Schelhammeri* Jena m. Martio, „1693. ad me perscripta: „Ego sic sentio: Præputium „quisquis, pulcritudinis gratia factum cum Galeno ex„istimat, arguere naturæ eum in cogitantiam, quod non „in edito loco, (forte pene aures!) rem tam pulcram „magis risui exposuerit. Etenim verecundiæ seu pu„doris causa si factum dixisset, rectius forte sensisset, etsi „ne sic quidem sat bene. Nullum enim dubium mihi „est, factum ut glandem cute destitutam, &, quo sensus „esset exquisitissimus, tenerrima cuticula tectam, ne læ„deretur ab adtritu aut aeris frigore contactuve redda„tur insensibilior, sine cute tamen atque integumento „relinquere noluisse, quo ab injuriis tuta, cum exueret „vestem, etiam ad titillationem illam, mercedem tanti, quod molitur, operis, integram atque solidam perciperet." Nec desunt, qui opinantur, inter alias causas quoque fuisse, ut ob turpitudinem tollendam hujus particulæ *præputii* scilicet, ablatio per circumcisionem a Deo fuerit præcepta; inprimis cum Josuæ V, 9. illud a Deo ipsomet appelletur חֶרְפַּת מִצְרַיִם opprobrium Ægyptii: Hinc *Rudolphus Otreb* Britannus in Tract. Theol. Philosoph. Lib. II. de morte cap. 3. pag 92. ait: Ideo Deum fecisse pactum cum Abrahamo Gen. XVII 10. in circumcisione præputii, quia illud membrum concupiscentiæ effectus auctor & causa signabatur pro pacto illo. Nimirum auctor iste in ea stat sententia, peccatum Protoplastorum in Paradiso fuisse corporis amorem & concupiscentiæ carnalis effectum, eadem plane qua famosus Beverlandus, chorda oberrans. Saniora longe sunt, & apprime erudita, quæ heic ex litteris Ἑβραικωτάτε Theologi D. *Joh. Frieder. Miegii* Collegæ quondam & Fautoris amicissimi, die 22. Nove Ebr. 1682. ad

me datis subnecto. Ita ille: Qui physicas Circumcisio-" nis præceptæ rationes reddere conarentur, varii ex" Ebræis æque ac Christianis reperti fuere. Considerata" illa fuit (ut morales ritus sacri significationes, juxta" quas, ut signum certæ rei considerandæ proponitur," jam prætermittam) ut *Medium* (I.) vel tollendæ alicu-" jus imperfectionis naturalis: dum Ebræorum aliqui" præputium a nativitate adhærens pro superfluitate" quadam vel excessu monstroso habent, quo corpus hu-" manum deturpetur, cujus abscissione e contra natura" humana perficiatur. Tales fuere, qui apud *Maimoni-" dem in More Nevochim* Lib. III. cap. 49. Circumcisio-" nem vocant חסרון היצירה השלמת *defectus vel" imperfectionis naturalis compensationem vel redinte-" grationem.* Unde Adamum sine præputio creatum" fuisse indubie pronuntiant. Hinc & quidam illud" Dei mandatum ad Abrahamum Gen. XVII, 1. *Esto inte-" ger* &c. exponunt de circumcisione, quasi ante circum-" cisionem eopse capi mandatum non fuisset integer, qua-" tenus nempe integritati non solum defectus sed & ex" cessus monstrosus opponitur. (II.) vel præveniendæ" imperfectionis alicujus accidentalis, videlicet α) *Mor-" bi. Philo* Judæus in Disputatione de usu circumcisionis" statuit, hac ratione præcavisse Deum, ne Israelitæ in lu-" cem difficulter curabilem & præputiatis familiarem," quæ *Carbunculus* dicitur, inciderent. Videtur autem,, Luem Veneream designare, a qua num verpæ immu-" nes sint, Medici melius noverint." *

[* Existentiam luis hujus jam olim quoque apud Judæos fuisse non adeo absurdum puto credere, quia & ejus fuere causæ, & hodienum ab ea minime eos immunes esse experientia docet, & ipse contrarium novi in servo Judæi circa annum 1677. ea infecti.]

"β) Libi-

„β) *Libidinis. Maimonides* in *More Nevochim* l.c. finem „præceptæ circumcifionis iftum refert כפי הימלת „למעט המשגל ולהחליש זה האבר *Ut membro de*„*bilitato ipfa vis libidinis & concupifcentiæ imminuere*„*tur.* Cui augendæ Præputium facere pro certo tenent; „unde illud לערל קשה לפרוש שהנבעלת *eam quæ* „*præputiato nupta eft*, *haud facile ab eo* feparari poffe. „Hunc ipfum fenfum *Abarbanel* fubeffe putat illis ver„bis textus facri Gen. XVII, 10. 11. את בשר ערלתכם „ונמלתם *Circumcidatur vobis omnis mas: Et cir*„*cumcidetis carnem præputii veftri*, quafi pofterioris „membri hic fenfus foret: Sic obtinebitis illud, ut alie„ni reddamini ab opere illo turpi, (III) vel acquirendi a„licujus boni, videlicet fœcunditatis majoris. Hanc rati„onem *Philo* iterum l. cit. refert, refellitque eam *Epifco*„*pius* Inftitut. Theolog. Lib. II. cap 10. Ad quæftionem: „cur homo cum præputio nafcatur, quod Deus ftatim re„fecari velit? R. Mofes Nachmanides refpondet, ideo re„lictum effe vel creatum, ut poffit propter mandatum di„vinum refcindi, ficut Deus divitias homini largiatur ad „hoc, ut inter pauperes iterum diftribuantur. Talia in Scriptis Ebræorum plurima, quæ exfcribere tædiofum. „ Hactenus CLmus *Miegius*. Supereft, ut et de circumcifione præputii et de ejusdem morbis pauca quædam adjiciamus. Conferri ea de re meretur *Marcell. Cuman.* Obf. 14. & ad illum *Georg. Hier. Welfchius* pag. 43. feq. *Jo. Chriftoph. Wagenfeilius* Exercitt. Mifcell. 2. pag. m 66. ait de Circumcifionis Judaicæ ritibus: „ Amputatur cui„que infanti mari recens nato præputium, ac projectum „in difcum plenum arenæ, una cum hac interdum in Syn„agogis fub fuggeftu, quem ipfi *Almemar* vocant, inter„dum in loco alio quocunque (variat enim confvetudo, „etiam in Germania:) effunditur, poftquam prius in a„renam Circumcifor quoque confpuit fanguinem, quem „ore fuo, ter vulnus in genitali membro exfugendo, at-

traxit,

traxit, ne cæteroquin saniosus reddatur, si ibi fuerit re-" lictus. Tantum autem abest, Judæi periculum aliquod" verpis pusionibus ex præputio in arenis consumto me-" tuant, ut potius id felicitatis salutisque omen ac mo-" mentum habere interpretentur. Quæ fusius idem ibid." e Rabbinis deducit. Similiter Circumcisionem infantis Judæi Amstelodami a se visam, ita depingit *Eduardus Brown* in Itinerario cap. 7. pag. 21. Ich war gegenwärtig bey einer Beschneidung eines Kindes, welche sie verrichten, erstlich mit einem Pfriemen, der an der Spitzen ein Knöpflein hat, welchen sie zwischen der Eichel und Vorhaut hineinstecken, und diese beyde von einander scheiden, und die Vorhaut erweitern, so daß das inwendige Häutlein so wol als die äussere vorwärts gezogen wird. Denn kommen sie mit einem Instrument gleich einem Lineal dabey, und halten die Haut über der Eichel fest daran, alsdann wird die Vorhaut dichte an dem Lineal mit einem breiten Beschneidungs-Messer abgeschnitten, dasjenige, was von der Haut übrig bleibet, wird alsobald zurück gethan, das Blut mit blutstillendem Pulver gestillet, und ein Pflaster darüber gelegt, die Freunde und Bekandten, die bey dergleichen Beschneidung gegenwärtig sind, die singen unterweilen, dadurch man das Girren und schreyen der Kinder weniger höret. Rationes institutæ apud Judæos Circumcisionis has allegat ὁ πάνυ *Phil. Melanchthon* Annotatt. in die Circumcis. Dom. p. 32. b. Circumcisio principaliter significabat" promissam reconciliationem, quia Deus dicit: Ero De-" us illorum; & locus admonebat de causa reconciliati-" onis; quia enim fuit promissum semen, in quo benedi-" cerentur omnes gentes, ideo illi parti corporis additum" est signum. Hæc fuit præcipua significatio. Sed ad hanc" accedunt aliæ: Quia præciditur particula a membro" generationis, significabatur, hanc naturam lapsam esse," et nunc destinatam morti & hanc pelliculam abjicien-"

„dam

„dam esse, sed tamen venturum semen, quod sublata „maledictione redditurum esset novam & æternam na„turam & vitam. Hæc sancti videbant tanquam picta es„se in hac imagine. Accedebant & aliæ admonitiones: „Mundus miserrime contaminat eas partes & generatio„ne abutitur: Deus econtra in hac ipsa parte posuit no„tam, ut cogitemus; Deum velle, ut hæc membra sint san„cta, & sancte utamur generatione.„ Hunc Judæorum ritum una cum aliis eorundem legibus moribusque prolixe tangit subsannatque Juvenalis Sat. XIV. v. 96. seq. usque 108 ubi inter alia ita - - - mox & præputia ponunt, ad quem locum Vetus Scholiastes pag. m. 464. id est, περιτομή; conf. & Lubinum in eundem loc. qui illic egregium de Judæis & circumcisione ex Taciti Annal. Lib. XXI. testimonium adducit. [Obiter nota phrasin de præputio ejusd. Juvenal. Sat. VI. v. 236:

Abditus interea latet & secretus adulter
Impatiensque moræ silet & *præputia ducit.*

ubi *Vetus Scholiastes*: silet, id est, metuit, & manu sua penem fricat sibi, *Lubinus* vero: Masturbatorem agit.] Eundem tamen circumcisionis ritum etiam apud alias, variasque gentes usitatum fuisse, fusius nos edocet *Spizelius* CLmus Theol. Augustanus in Dissert. de Israelitis Americanis pag. m. 82 seq. Quin & de circumcisione fœmellarum legi merentur Casp. *Hofmannus* ad Galen. de U. P. n. 1064. & *Wierus* in Observatt. pag. 109. seq. De circumcisione vero tanquam operatione chirurgica agit *Paulus Ægineta* Lib. VI. cap 57 ad quem vid. Annotatt. *Jac. Dalechampii* in Chirurgia Gallica pag. 232. seq. Coarctatio præputii quomodo secanda sit, edocet *Greg. Horstius* Tom. II Opp fol. 256 qui & fol. seq 261. ejusdem coalescentis exhibet curationem. De Circumcisione Medica, si scil. præputium nigrescat, non religiosa, vid. omnino *Paulus Ægineta* Lib VI cap 57. e quo epromsit quoque *Sennertus* Praxeos L III. P X. Sect. I. c. 12. pag. 935. a. De *Epipasmo* Iudaico vid. *Rolfinc.* de

part.

part. genital.P. I. c. 50. in fine ex *Mercurialis* Var. Lect I. 19 adde M. *Jerem. Loffii* Diſput. pecul. Jenæ 1665. 4. inde dicuntur Judæi recutiti, modumque regenerandi præputium docet *Paræus* Chirurg Lib. XVI. c. 31. fol. 362. De adductione præputii agunt *Thomas Bartholin.* de morbis Biblic. cap. 26 & *Aug. Pfeifferus* in Antiquitt. Ebraic. c. 27. *Epiphanius* Lib. de ponder. & menſur. & *Car. Macer* in Hiero-Lexico, voce *Spathiſter*, apud Jo. Jac. *Hofmann.* Tom. III. Lexic. univ. fol. 605. b. & nuperrime *Wedelius* in propemptico Inaug. Anatom. de Epiſpaſmo Judæor. 1690. Vitia & morbos præputii quod ſpectat, in infantibus eſt vitium, ubi glandem nimium tegit, corrugatur, & coarctatur, cujus connexionem vide apud *Blancard.* Chirurg. Lib. I. cap. 32. Item *Henr. ab Heer* Obſerv 7. circa fin. teſtatur, ſe bis manu ſua ſecaſſe præputium in iis, qui coitu glandem nudare non poterant. Oriuntur etiam in præputio Verrucæ, vid. de iis *Theodor. Hegbuys* apud *Jo. Bapt. Lamzwerde* Append. Obſervatt. Chirurg. n. 59. Sic Jo. Scultetus Armament Chirurg. P. II. Obſerv 65. in præputio & glande militis. nobilis lue Venerea affecti 23. verrucas & vidit & curavit.

6. Hymen.] Græce ὁ ὑμὴν, ένος eſt membrana, in natura muliebri, quæ, ut *Scaliger* Lib. I. Poetices c. 50. loquitur, ſcinditur virginibus primo quoque veneris tentamento et aditu, *Cæcilius: Hymenem Virginis, niſi mirum eſt, deintegravit.* Excerpta ex veteribus Lexicis cap. 1. Hinc vulgatus rythmus: *Eſt magnum crimen perrumpere virginis hymen*: (Cui barbariei reſpondeo per parodian: Eſt magnum crimen, Muſarum offendere limen.)

7. Hymen si abest.] De Hymenis natura & conſtitutione lege quæ habet M. *Theophile Gelée*, Medecin ordinaire de la ville de Dieppe dans l'Anatomie Françoiſe Lib. VII. cap 6. pag. 335. ſeq. de ejusdem conſervatione vid. *H. vonRoonhuyſen* Lib. II. annotatt. I. pag. 108. Ita

vidi

vidi hymenes exſiccatos apud Dn. D. Spanium, Med. CL. Francofurtenſem. Sæpius autem hymenes abeſſe absqve defloratione teſtantur Medici longe graviſſimi. *Hercules Saxonia* Praxeos Lib IV. c.4. fol.350. ſeq. ait. „ Communiter obſtetrices Hymen ſeu Hymenæum vocant: „Non tamen in omnibus virginibus reperitur, imo in „paucis, et monſtroſæ potius illæ ſunt vocandæ, quæ ta„lem membranam habent, quam quæ ſine hac ſunt. Te„ſtes hujus rei ſunt præſtantiores rei Anatomicæ Profeſ„ſores; *Veſalius*, Lib. V. *Columb.* Lib. X. *Ambros.* L. XXIII. „cap. 42. *Andr. Laurentius* Lib. II. Hiſtor. mirab. c. 15. „& alii complures hujus rei indagatores, qui unam vel „alteram ex centum ſeptam cum hac membrana inve„nerunt. *Realdus Columbus* Lib. XI cap. 16. de re ana„tomica ſcribit: Sub Nymphis in nonnullis virgini„bus (non omnibus) alia membrana cernitur, *Hymen* à „veteribus appellata, quæ cum adeſt, raro autem ad„eſt, obſtat, qvo minus penis in uterum immittatur: „nam craſſa eſt valde, ſupra veſicam verſus foramine „donatur, per quod menſes fluunt. „ Idem Lib. XV. de re anatom. pag 90. ait: „Nunc de membrana *hymene* „quid obſervaverim, dicam tibi: Licet vulgus homi„num putet, nullam eſſe virginem, quæ hymena non „habeat, ter duntaxat illam inveni, bis in duabus parvu„lis puellis, ſemel in natu majore, quam cum diſſeca„rem, intererat &c. Eſt hymen membrana quædam „ſub Nymphis ante cervicem uteri, unico foramine „prædita ſuperiori parte, ut menſes effluere poſſint. „Atque hæc illa eſt eadem membrana, quæ ingreſſum „penis, quamvis membroſi hominis, prohibet. „ Excellentiſſ. Dn. D. C. G. *Schelhammerus* in literis ad me Jena m. Mart. 1693 perſcriptis, poſtquam de præputio ſententiam aperuit ſuam, addit: „ De *Hymene* magis „anxie reſpondeo: neque tamen vereor, quin indili„gens hujus tam curioſæ partis ſcrutator Tibi videar, ſi „in tanta virginum licentia nondum a me reapſe depre„henſum fatear; quin in puella vix octiduum nata, nuper

per a me dissecta non adfuisse afferam. Memini ta-" men CL *Meibomium* id semel demonstrasse in impu-" beri. At Carunculas, de quibus *Graasius* dubitat, loco" hymenis longe delicatissimas notavi, illiusque juvenis" infelicitati indolui, qua eas a se non repertas nullas" esse, opinatus est. „ Calculum his adjicit CL. Lube-" censium Medicus *Jo. Jac. Stolterfoht* in Scholio ad mens. Dec. anni I. nov. Liter. Maris Balth. p. 242. his verbis: „ Quamvis hymenis existentiam tot celeberrimi hy-sterotomi, & inter eos Dn. D. *Jo. Casp. Westphalus*, Misc." Nat. Cur. Dec. II. ann. 8. obs. 215. ut & Excell. Dn. D. *Bernh.*" *Albini*, Acad. Francof. ad Oderam Prof. celeb. ante ali-" quot annos sagaciore cultro anatomico in puella audi-" toribus suis demonstraverint; a particulari tamen ad" universale non valet consequentia, quasi toti hoc con-" tingat sexui muliebri. Hinc quoties id accidit, præter" naturam & monstrosum esse, optime concludunt *Sen-*" *nertus* Prax. Lib. IV. P. II. Sect. 3. cap. 2. qv. 1 & 2. *Pau-*" *lus Zachias* Quæst. Med. Legal. L. IV. Tit. 2 qv. 1. fol." 376. qui videatur. *Regnerus de Graaf* de mulier. Or-" ganis genital. cap. 5. Excell. Dn. D. *Bohnius*, in Medi-" cina forensi (specim. 3. §. 8.) & alii, quos ibi magno ci-" tat numero, unde sæpius obstetricantium temeritate" „tanquam inutile operimentum disrumpitur, quo obvi-„am eant malis inde oriundis, quorum haud pauca re-„censet *Regn. de Graaf* l. c. pag. 103. seq. „ De hymenis in fœmina regeneratione vid. *Dan. Menon. Matthiæ* obs. 6. pag. 82.

8. INTEGRITATEM.] Contra *Vesal Columb. Fallop.* & plurimos alios, quos allegant *Sennert.* Prax. Lib. IV. Sect. 3. Partis II. cap. 1. qu. 1. a. *Reies* Camp. Elys Quæst. 39. §. 12. ac *Lindanus* Physiolog. Med. cap. 7. art. 15. hoc nos asserimus cum *Paulo Zacchia* Lib. IV. Quæst. Med. Legal. Tit. II. qv. 1. n. 28. seq. *Reies* l. all. § 13. seq. *Oribasio Plazzon* L. II. de partib. genital. *Vallesio*, Philos. Sacr c. 25. *Jo. Beverovicio* quæst. Epistol. pag m. 30. 37. & 41. *Jo. Theod. Schenckio* Schol. part. pag. 114. Pro-

hymenis integritate varia quidem argumenta refert *P. A. Canonherius* in Lib. 1. Aphor. Hipp. pag. 411. seq. sed quæ facile possint refelli, ut ex inspectione auctoris patebit. Domin. Panarolus Pentecost. 5. obs. 50. pag 353. graviter pro hac sententia sic differit: „ De membrana illa „loquimur, quæ diversimode *Hymen*, *Eugium*, *Flos Vir-* „*ginitatis*, & *Claustrum virginale* appellatur. De qua ex- „stat controversia, videlicet primo quid sit, secundo, an „in omnibus reperiatur. Circa primum rejicitur Ara- „bum opinio, qui ex venulis in colli medio hymen con- „struunt, falsum etenim est Fernelius & Ulmus audi- „endi non sunt, qui latera colli adhærere statuunt. Illos „vero audire debemus, qui aut membranam, aut carun- „culas, aut utrumque simul statuunt, ut Severinus Pi- „næus, Spigelius, Riolanus, Vesalius, Fallopius, Aquapendens, Casserius, Veslingius & alii plurimi. Ad Columbum vero, Paræum & alios, qui negant hoc, respondet primo Spigelius his verbis, de Corp. Hum. Fabr. Lib. 8. cap. 18. Hoc unum monendum duximus, in rebus anatomicis audiendos non esse, utcunque in aliis Medicinæ partibus docti fuerint, qui experientia & ratione carent. Ridendi ergo inprimis illi, qui nunquam post hos, qui raro admodum inveniri, nec nisi præter naturam existimant. Hanc enim in omnibus, quas secui, virginibus, me deprehendisse in publico Theatro sæpe numero demonstrasse testor, nec defuisse unam notavi. Respondet secundo doctiss. Bartholinus in sua Anatom. Ref. L. 1. c. 31. hoc modo: Quod vero in his Columbus & Paræus negant semper inveniri, Laurentius vero nunquam se invenisse asserit, imputandum est inopiæ cadaverum, aut negligentiæ in dissectionibus, aut si putarunt, se virgines secuisse, defloratæ forte fuere; aut si virgunculas, illæ quoque digitis nonnunquam & petulantia eam rumpere possunt. At si dicent, se secuisse abortus, puellas bimas, trimas &c. respondemus, non credi facile posse, deesse in illis, cum authoritates & experientiæ peritorum anatomicorum citatorum adversentur.

tur. Deinde si in istiusmodi aliquando deesse, deprehensum est, de quo dubitatur; eodem jure, quo illi dicunt, præter naturam adesse hanc membranam, nos dicemus præter naturam abesse. Raro enim deest, ut plurimum adest. Alii vero nobis contrarii, & Laurentio consentientes, ut Capivaccius & Augerius tanquam parum Anatomici rejiciantur. Videmus ergo dari hymen in omnibus, prout in omnibus virginibus lactantibus, aut abortu expulsis, aut infantibus semper observavimus, quin imo, dum hæc scribuntur, sese offert casus cujusdam puellæ novem circiter annorum, quæ cum a qvodam juvene stuprata crederetur, & nos, cum Joanne Trullo, magnæ famæ Chirurgo, vocati essemus, observata fuit, præsenti etiam Antonio Gallina, diligenti carcerum Chirurgo, in qua hymen lunaris figuræ integrum nullo modo fractum adspeximus, & de peritia requisiti, deposuimus, omnino virginem esse, quoniam, *cum hymen adest, adest & certa virginitatis nota*, & sic juvenis ille liber Judicis sententia evasit. Itaque aperte dicimus, & experientia testatur, hymen in omnibus reperiri. *Haar* quoque *Spigelius* Lib. I. de Hum. Corp. Fabr. cap. 4. pag. 13. ait: „Carunculas myrtiformes conjungit „membrana quædam in medio perforata, ὑμὴν sive *Hy*-„*men* dicta, apud omnes Scriptores decantatissima, quæ „virginitatis signum vulgo habetur, & revera, quando „adest certissimum esse solet; „(sed contrarium ex infra dicendis ad Notam 9. facile patebit.) Sic & *Dav. Herlicius* Lib de curationibus gravidarum puerperarum & infantum cap 1. pag. 3. Mitten in dem vördersten Theile oder Halß (uteri) ist ein zartes, dünnes, aderichtes Häutlein, als ein zart Netzlein, lateinisch hymen und panniculus virginalis, teutsch, die Jungferschafft: Denn wenn es noch unverletzt, soll es eine Anzeigung derselben seyn! D. *Tamponnet*, Chirurgus ordinarius Regis Galliæ in adversariis apud *Nicol. de Blegny* in Zodiaco Med. Gall. An. 1779 m. April. pag 78. ait se hymen observasse in fœtu fœminino adeo accurate formatum, ut foramen ab

antiquis adnotatum in ejus medio evidenter conspicuum esset. Adde Wierum Obs. rar. pag. 108. seq. qui hymen necessario adesse vult.

9. CONCEPERUNT.] Rationes ex *Pinæo* Lib. I. de notis virginit. cap 6. profert *Paul. Zacchias* loc. sup cit. *G. Fabritius Hild.* Cent. 3. Obs. 60. ex *Ludov. Huberto.* Quinque ponunt modos *Plempius & Sinibald* in Geneanthrop. teste *Thom. Bartholino* A. R. Lib I. cap 31. *Jo. Bohnius* Exercitt. Physiolog XXIV. de generatione §. 2. ait: „Quod non adeo infrequentes conceptiones in „ejusmodi fœminis contingant, quas penem masculinum in coitu intra vaginam haud admisisse certum, „multo minus semen hujus utero excepisse, verosimile „est: quales *Fabricius ab Aquapend.* de Operat. Chi„rurg. *Guillemeau*, de l'heureux accouchement Lib. II. „cap. 10. & *Riolanus* Anthropogn. Lib. II. cap. 34. refe„runt; dum modo virginem ad cujus vulvæ extremum „tantum absque penis ad vaginam immissione semen vi„rile depositum erat, modo aliam, cujus orificium ex„ternum membrana robusta satis totum fere occludeba„tur, ut deflorari non posset; modo fœminam, cujus va„ginæ ostium à difficili partu laceratum, maximam par„tem coaluerat, nihilominus concepisse perhibent.„ Conf. & eundem *Bohnium* in Medic. forens. Specim. 3. §. 9 Huc refer omnino, quæ habet *Anton. Sidobre*, Monspeliensis Doct. tract. de variolis & morbillis Lugd. Bat. apud Andr. Dyckhuisen 1702. in 8vo pag. 60. seq. de modo imprægnationis per virtutem seminalem, ubi rem hanc prolixe proponit *D Jo. Jac. Dœbelius*, in Obs. Anat. Nov. Liter. Maris Balthici in Dec. 1698. pag. 240. inserta. Talem citat *Fortunii Afaytati* Physici atque Theologi Jtali in suis Considerationibus Physicis atque Astronomicis, Paulo III. P R. inscriptis, & Venetiis 1549 impressis, de conceptu androgyneo c. 2. sententiam: „Dari Hermaphroditos utriusque sexus, munus „egregie absolventes & alterum tantummodo sexum fo„ris ostendentes, fœminea genitalia exterius conspicua

esse

esse, virilia intus latere semine prolifico prædita, &" per certum seminis ductum, quotiscunque opus sit, se-" men ad matricem, vehementi aviditate illud excipien-" tem. referre, illudque penetrare, *illæsa etiam virginea" membrana*, in loca ad generationem accommodata, il-" licque residere, & ita conceptionem fieri. eodem mo-" do, ac si cum viro rem habuisset, & hoc plerumque so-" lere per somnum usu venire, quo tempore sagax natu-" ra, ad venerem excitandam, varia simulacra confingere" facile potest. „ Servatis igitur naturæ legibus, satis con-stare arbitratur Affaytatus, (verba sunt Dœbelii) mulie-rem sine viro foris adhibito concipere posse: Verum-enim vero, ut errores hoc ratiocinio contra philosophi-am ex Anatomia & modernis experimentis institutam superflue commissos, silentio præteream, id solum com-memorasse sufficiat, hactenus nullas extare Anatomias, quæ in homine tali, quale Affaytatus explicuit, exhibu-erunt schema. Addit Dn. D. *Jo. Jac. Stolterfoth* in Scho-lio seq: Quisquis fuerit ille *Fortunius Affaytatus*, sive Physicus, sive Theologus, infantiæ ipsum laborasse de *hymene* præjudiciis asserere ausim &c. vid. sup. nott. ex eo Nota 7. Celeb. Dn. Frider. Ruyschius Observ. Anat. XXII. pag. 27. ita: Non minus rarum esse censeo, mulie-rem imprægnari, *salva manente membrana hymene*, idque ad tempus partus. Ast rarissimum, vaginam uteri tempore partus membrana præternaturali pone hyme-nem esse clausam. Sequitur historia duplicis illius mem-branæ, feliciter secatæ, matre & partu salvis, cui subjun-git pag. 29. hæc verba; In hoc partu considerandum est, hymenem membranam in coitu fuisse illæsam, (cujus" rei variæ reperiuntur in oculatissimi Bartholini Anato-" mia f. m. 2861. historiæ) sive a nimia crassitie, vel alia" causa hic reticenda, ne verecundiæ limites transeam."

10. ITA ARCTA] Quotupliciter uterus non sit perfo-ratus vide apud Aetium Tetr. 4. sect. 4. cap. 96. Quid Canonum Doctores de tali casu sentiant, vid. c. 4. x. de Frigid. & malef. De Virgine nubili, cui vulva mem-

brana tenaci erat obducta, quam apperuit debiteque dilatavit *Carolus Solingen*, videatur ipse observ. Chirurg. V. p. m. 711. seq. Inerdum enim præternaturaliter membrana vulvam claudit, cujus occlusionis exempla apud *Wierum* Lib. 2. de præstig. Dæmon. c. 38. *Beniven* de abdit. cap. 78. *Aquapend.* in Chirurg. *Cabrol.* Observ. 23. & *Frid.* Ruysch observ. 32. Huc refer omnino locum de Hymene *Adr. Spigelii* Lib. IIX. de Hum. Corp Fabr. cap. 18. Pag. 330. Exemplum virginis, cui sex septimanis ante nuptias pudendum instrumentis Chirurgicis apertũ fuit, legere est apud *Cosm. Viardel.* Hebammen Buch Lib. 2. cap. 3. pag. 40. Alia curata exempla lege apud *Forest.* Lib. xxvi. obs. 7. in Schol. Notabile est, quod refert Dn. *de la Morandiere* Chirurgus in oppido Tilleriano Normanniæ apud *Nic. de Blegnii* in Zodiaco Med. Gall. Anno 1679. in Nov. obs. 6. pag 173.

11. SPIRITUS ET CONTAGIUM] Juxta *Harvejum* passim in L. de generat. animal. & qui hunc sequuntur, *Deusingium* de generat. fœtus extra uter. sect. 3. §. 67. & Genesi *Microcosm.* P. 1. sect. 2. §. 69. ac *Ant. Everhard.* Tract. de homin. brutique exortu pag. 31. Hinc *Franc. Zypæus* in Fundam. Medic. Part. II. cap. 3. art. 6. §. 10. pag. 58. statuit, interdum & castratos posse mulierem impraegnare, additque: "Nam certe ad generationem, quæ fit per ovorum in muliere fœcundationem, non requiritur tam seminis copia quam *spirituositas.* Idem ibid. §. 13. ait: Ova mulierum ab aura seminali virili fœcundari & expandi; adde eund. §. seq. 16. conf. Ettmulleri Institutt. Med. Part. Physiol. cap. 21. & 22. Non pœnitebit adscribere huc verba CLmi *Jo. Conr. Peyeri*, quæ Exerc. xix. ad Cl. Jo. Jac. Harder. pag. 102. seqq. leguntur: „Quomodo tandem in ovariis fœcunditatem „ova acquirant, nunc dicere tentabo, tu benevolis sis „auribus sed acri judicio, accubi deliravero, censura. In „congressu marium contentio fortem inpressionem in„nuit, videturque mihi totum impraegnationis opus in„choari motu & perfici. Nihil enim in ovo maturo desideсide-

ſideres præter motum, qui junctis, quæ antea ſolutæ" diſtabant, particulis ideam fœtus in materia deſi-" gnet. Sane motuum in rerum natura effectus tan-" to ſunt majores, quanto certius rationi noſtræ innote-" ſcit, a Deo cunctos cieri. Ea igitur in liquore genitali," concipienda eſt particularum aptitudo, ut in actu vene-" reo talem motus impreſſionem accedente benedictio" ne divina nanciſcantur & fæmellis communicent, qualis" requiritur ad fœtus ideam in ovo delineandam. Patet" hinc, non tam liquoris genitalis ſubſtantiam ovis ſeſe-" inſinuare, aut ad fœtuum compoſitionem proxime re-" quiri; quam præcipue motum, qui mediante liquore" fœmellis ac ovis imprimitur. Poteſt enim motus ex" corpore in corpus transferri, etiamſi ſubſtantia com-" municantis non tranſeat in ſubſtantiam recipientis." Superficierum quippe contactus ſufficit: Ab Auctoribus" certe uxores produntur reddito mox a mariti conſue-" tudine liquore genitali nihiloſecius concepiſſe. *Har-" veus* ipſe in damarum cervarumque uteris retenti ſemi-" nis nihil unquam invenit, ut prorſus corruant, quæ de" ſeminum in utero commixtione & retentione veteres" docuerunt. Negat *Caſp. Bartholinus* in Epiſt. de ovar." mul. viri ſemen per uteri tubas ad ovarium aſcendere" poſſe, quod *Regn. de Græt.* in Lib. de organis mulier. in" caute affirmaverat. Multa denique alia de motus im-" preſſione teſtantur, quæ nunc ſilentio prætereo. Id" comprobatum experientia & ſaniorum teſtimonio" vaccarum, ovium, ſcrofarumque carnes mox a coitu" mactatarum flaveſiere, ac ob id minus vendibiles red-" di. Flavedo hæc alterationem ſanguinis prodit a" motus impreſſione factam. *Caſp. Bartholinus* ſubtilio-" rem liquoris genitalis partem per vaginæ ac uteri po-" ros in maſſam ſanguineam fœmellarum tranſire exiſti-" mat probatque exemplo refectionis ſubitaneæ ab aſ-" ſumtis alimentis, epithematum quoque & inunctio-" num præprimis mercurialium. Nec ego ſententiæ" huic multum repugno. Cæterum conſtat, motu par-"

,ticulas materiæ non ſolum varie diſponi, ſed etiam ita ,immutari poſſe, ut ex rigidis flexiles, ex mollibus du,,ræ fiant, atque alias & alias combinationes, attritus, & ,,hinc reſultantes configurationes diverſimode ſuſtine,,ant. Non enim unius generis & naturæ particulas in,cludit cicatricula, quæ ante imprægnationem confu,,ſum quaſi chaos extitit; quandoquidem, obſervante ,,*Malpighio*, ea in ſubventaneis ovis nihil diſtincti, ſed ,,inordinatas ac divulſas duntaxat nubeculas oſtendet; ,,cum e contra fœcunditatis carina ſeu ſtamen pulli jam ,,ineſſe microſcopiorum ope cernatur. Oſtendat ,,*Swammerdamius* in ranarum ovis a mare nondum ,,ſubactarum, gyrinos partibus ſuis abſolutos & dabo ,,aliquid ipſius de animalium propagatione ſententiæ. ,,Sive ſit imprægnata ovi gallinacei cicatricula ſive ,,non, ejuſdem utrobique magnitudinis apparet. Simi,,liter & Harderus ſeq Exerc. XIX. ad Reyerum pag. ,10. inquit: ,,Liquorem genitalem ſunt qui ovis ſe in,,ſinuare dicunt, ſunt qui eundem rurſum effluere ani,,madverterunt. Ego ſi quid hic dicere auſim, partem ,,ſpirituoſiſſimam maximeque ſubtilem (ſpiritum pla,,ſticum dicunt alii) derelicta parte minus ſubtili, quæ,,que quaſi vehiculi vices ſuppleviſſe poteſt, in ovum ſe ,,inſinuare, inque hoc poſtmodum totam fœtus delinea,,tionem moliri crediderim, quod nec motum nec par,,ticularum diſpoſitionem tollit.

12. SPLENEM] Πολυθρύλλητον eſt illud;

Cor ardet, *pulmo* loquitur: *fel* commovet iras,
Splen ridere facit, cogit amare *jecur*.

Fuere, qui olim ita ſtatuebant, teſte *Plinio* H N, Lib. XI. c. 37. Ita ſentit *Q. Serenus Sammon*. c. 23. v. 24. ſeq. mecum vero merito negat Cl. D. *Io. Dan. Major* Anat. I. Kilon. cap. 2. §. 21. Mitius tamen de antiquorum opinione ſentit, & quodammodo explicat *Thom. Bartholin.* Anat. Ref. L. 1. c. 16. Conf. & Camerarii Sylloge rerum memorab. Cent. 2. num. 41.

13.

13. CALIDIORES] Ita *Hippocrates* l. Aphor. 15. & 18 & tantum non omnes, cum quibus faciunt *Cæl. Rhodiginus* Lect. antiqu. Lib. XVI. cap. 31. edit. Basil, 1517. *Melch. Sebizius* de Aliment. Lib. V. probl. 91. pag. 1444. & probl. 3. pag. 1473. & probl. 176. pag. 1545. *Auctor Ebræus* libri de sanitate conservanda, (quem edidit CL. *Wagenseilius* Exerc. Miscell. 2. 1687. 4.) pag. 88. ait; Diebus hybernis, cum friget, augere licebit cibi demensum ultra calentis æstatis mensuram: nam brumali tempore calor naturalis major deprehenditur & amplior, longiores quoque noctes sunt & somnus gratior. At præcipua alimonia & vis concoctionis somno fit, & tum natura cōquit ac pinsit, dicente ita Galeno Medicorum principe. Æstivo tempore cibis refrigerantibus vescendum, quales sunt pisces, olera, lactuca aceto imbuta (Germani Salat vocant) & hordeum: abstinendum autem tunc a cibis calorem excitantibus, parumq; aromatibus, sinapi rebusque aliis ejusmodi frui oportet; at hyeme calidioribus cibis & probe aromatibus conditis utendum, sinapi quoque iuterdum vesci conceditur." Adde his *Daniel Carmenium* Lib, V. M. M. cap. 14. pag. 316. *Mœbium* Institutt. Med. 177. seq. *Petr. Schwendi* diss. de crudit. ventriculi θ. 10. Quod æstate minus, hyeme plus comedamus, hanc rationem reddit &c. Ettmullerus Coll. pract. cap. 1. fol. 97. b. Multa in aere volitant insensibilia, maxime tamen operosa; unde certum est, in aere reperiri salia volatilia, quæ dant causam, ut deficiat calidum in massa sanguinea, unde debilitatur fermentum stomachi. Hinc est, quod æstivo tempore dejectus ut plurimum sit appetitus propter abundantiam nempe salis volatilis ex aere attracti, contra tempore hyberno auctus propter acidum, quo tunc aer est imprægnatus." Item Auctor der Novellen aus der gelehrten und curieusen Welt, m. Jul. 1692. pag. 684. ait: Bey uns isst einer im Sommer viel weniger als im Winter, weilen alsdann (nemlich Winter-Zeit) die Hitze im Leibe des Menschen zusam-

men gehalten wird, und stärcker zehret, als im Sommer, da sie durch die äusserliche Hitze ausgezogen, und dahero der Magen geschwächet wird.

14. ÆSTATE EOS CALERE MAGIS] Bene ita mihi consentit acutus *Joh-Bapt. von Helmont.* Blas. human. §. 54. seq. Dn. D. *Ammannus* in paræneſ. Lib. 2. P. 3. c. 5. §. 8. pag. 186. qui conferri meretur; præcipue quoque *Claudius Berigardus* in P. IV. Circ. Pisano XII. circa fin. pag. 448. Ventriculum hyberno tempore non esse calidiorem quam æstivo, contra communem sententiam integro capite fusissime pertractat *Jo. Pincier* Meditatt. Variar. Lib. IV. cap 5. pag. 24. seq. Vide & *Wolfii* Disput. de cerevisia Naumburg. §. 57. & de potu literatorum cap. 2. §. 24. potissimum vero *Waldschmid.* in Fundam. Medic. pag. 143. seq. ut & *Brœchuysius* in rationibus philos. Med. Theoret. pract. cap. 28. pag. 371. seq. Limitat tamen eandem sententiam *Septalius* Lib. 2. animadvers. §. 9. seqq. CL. *Archibald. Pitcarnius* in Diss. de motu, quo cibi in ventriculo rediguntur ad formam sanguini reficiendo idoneam pag. 70. ita erudite „hanc rem discutit, his verbis. „Atque hic emergit „phænomenon, quod fermenti digerentisve liquidi „patroni concoquere non possunt; scilicet, observa„tur ubique hyeme frigidoque sub Jove melius absolvi „coctionem in ventriculo quam æstate, quæ res non „aliunde potest oriri, quam ab aucta musculari vi (uti „eo etiam tempore major est omnium musculorum ro„bur) & impetu ventriculi abdominisque comprimen„tis: At augetur musculorum vis hieme frigidaque tem„pestate, quia tum breviores sunt fibræ contractiles „(unde eadem vi ad majorem brevitatem & inflatio„nem perduci possunt) ab iisdem causis, a quibus ferri „partem aliquot pedes longam apud nos hyeme brevi„orem fieri quam æstate comperimus, catenamve ferre„am refrigescentem breviorem evadere seipsa tanden„te, ut appensi ponderis elevatione patet. Accedit ta„men huic rei perficiendæ varia moles perspirationis:

Docu-

Docuit enim nos ille optime meritus *Sanctorius* §.29." & 41. Staticæ suæ Sect. 2. animalia circiter libram" perspirationis hyeme retinere, quam æstate emittunt," idque quotidie. Unde manifestum evadit, majorem" esse molem liquidorum in musculos hyeme influenti-" um, quam æstate, adeoque hoc pacto ea omnia facile" præstari, quæ frustra quis speret ab acidis liquoribus" aliisve in animal sanum non cadentibus, & a tempesta-" te illa alienis; nam æstate major est acidi proventus," faciliusque acescunt liquores. Hic autem moneo, ma-" jorem salivæ proventum hyemi proprium ad perspira-" tionem nimis imminutam pertinere, ab eaque pende-" re. Hac ego de re monitos esse volo illos, qui metho-" do ad veritatem in scientiis inveniendam destituti," phœnomeni hujus illustrandi gratia hybernas forsitan" pituitæ copias producent." Et paulo post pag 71. seq. ita pergit: Causas, quæ chyli opificium comitantur, o-" mnium felicissime executus est doctissimus & candi-" dissimus rei Medicæ promotor, D. *Martinus Lister*, reli-" cta aliis sola compilandi gloria. At quoniam Vir ille ma-" gnus nimium videtur tribuere perspirationi, quam" ventriculo majorem hyeme enasci quam æstate suspi-" catur, nos, æquum est, in eam rem diligentius inquire-" re. Est aer flumen, quod non minus in ventriculum" quam in pulmonem se demittit, & qua data porta ruit," sive frigus sive æstus fatiget, quapropter si quid aer hi-" berna facultate præstet in perspiratione minuenda, e-" jus effectum ventriculi superficies perferet, haud aliter" ac cutis extima. Obstet ergo perspirationi cutis aer hi-" bernus, faveat æstivus, cum uterque & circumfunda-" tur cuti, & in stomachum decurrat, erit semper hiber-" na stomachi perspiratio ad ejusdem æstivam, ut est hi-" berna cutis extimæ ad æstivam ejusdem ; quæ sane hi-" berna est haud paulo major, ut ostendit *Sanctorius*. Ce-" terum dogma hoc invexit auctoritatis summi viri *Hip-" pocratis*, qui scribit: *Ventres hyeme esse calidiores*. Ob-" servabat enim hyeme ventriculũ esse valentiorem ; as-"

sume-

„sumebat autem ex secta philosophica, coctionem *Ca*-„*lore* peragi; ex his colligebat, calorem stomachi majo-„rem hyeme erumpere.

15. HEPAR STATUUNT VENARUM PRINCIPIUM.] Ut *Galenus* IV. V. P 12. Negant vero & cordi tribuunt *Hippocr.* Lib. περὶ σαρκῶν fol. 30. *Plato* in Timæo, *Aristot.* L. 3. Hist. Anim. 2. & L. 2. P. Anim. I. *Cicero* de Nat. Deor. L. 2. ac e recentioribus *Casp. Hofmann.* Disp. peculiar. & notis ad Galeni U. P. n. 1078.

16. LIEN MELANCHOLIAM.] Ita *Galenus* XV. V. P. *Oribasius*, *Actuarius*, *Von Tsina*, *Fernelius* &c. sed refutavi Disp. de Hæmorrhoid. in nott. n. 29. jamque addo idem mecum pernegantem *Joseph. Queretanum* in Tetr. grav. Cap. affect. cap. 7. pag 66. & 68. & *Franc Gabr. Crusium* Disp. inaug. de affectione pancreat. θ. 3. pap. A 4. a.

17. TESTES SEMEN.] Affirmant id *Galenus Plazzonius*, *Laurembergius* &c. Rationes collegit *Mœbius* Fundam. Phisiolog. pag. 477. seq. Negant vero, testes semen elaborare, *Fallopius*, *Posthius*, *Casp. Hofman.* institutt. Lib 2. cap. 41. §. 2. & 1. Gener. hom. 15. *Spigelius. Cæsar Cremoninus*, *Lindenius*, *Regius*, & *Barth. Cabrolius*, qui Obs. 3. pag. 3. seq. ait, rationibus, auctoritatibus & experientiis denegari, vim σπερματοποιητικήν testibus adesse, evolvi meretur ipse hic auctor. Quin sine testibus alios generasse probant historiæ apud *Cabrolum* l. jam cit. *Smetium*, L. 2. miscell. *Riolan.* L. 2. Anthropol. cap. 30. *Fontan.* in Physic. *Franc. Zypæus* in Fundam. Medic. P. II. c, 3. art. 6. § 10. pag. 58. ait: „Possunt tamen castrati pro uno aliove congressu, in vesicu-„lis seminalibus habere semen, imo mulierem imprӕ-„gnare, ut quandoque de bovibus narratur, nam certe ad „generationem, quæ fit per ovorum in muliere fœcunda-„tionem, non requiritur tam seminis copia, quam spi-„rituositas.„ (uti Not. II. jam monuimus.) Smetius l. c. pag. 525. de Musico maniaco, qui per insaniam testes sibi abru-

abruperat, talia refert: „ Idem haud longo post tempore a scroti disruptione & mentis vitio restitutus, non" solum ipse, sed & conjux ejus, justæ ætatis, habitique" bene corporis mulier, candide fassi sunt, maritale de-" bitum a viro persolvi; adeoque semen non minus, quam" ante morbum, solebat ejaculari.„ Sic *Reinesius* CL. Vir" Epist. 41. ad Nester. pag. 25. refert alicujus exemplum, cui A. C. 1640. a militibus chorda suspendebatur scrotum, & relinquebatur, dum vicini forte fortuna intervenirent, cui uterque testiculus cum scroto abscidit, ei tamen conjux integræ famæ filiam peperit die 5. Maji 1647. additque, firmissime hinc elidi principatum testium a *Galeno* I. de sem. 12. *Laurentio* & aliis adstructum. Arbitratur vero *Reinesius* l. c. pag. 79. vasa spermatica præparautia & deferentia seu ejaculantia, itemque mediam inter hæc & iis continuam ἐπιδιδόμεθα illæsa manusisse, & vasis igitur primas in γονοποιήσει tribuenda esse. Certe, si quid conjiciendum: semen e nervis allabitur, (teste *Rolfinc.* de Part. Genital. P. I. cap. 33. & 36.) testesque aliquid possunt contribuere, verum potius emungendo, quam plene elaborando. Conf. omnino de materia seminis docte differentem *Franc. Zypæum*, Fundam. Med. com. P. II. cap. 3. art. 6. toto, pag. 54. seq.

18. Ventriculique Cerebri Spiritus Animales.] Hoc dicit *Galenus* IIX. V. P. 10. & III. locc. aff. 7. *& cum eo magnum agmen gregis balantis*, ita verba sunt *Casp. Hofmanni* Institutt. L. 2. cap. 64. § 16. ubi addit, abiisse, fecisse secessionem, & refutat ad Galeni V. P. n. 621. 668 (nec enim valida sunt, quæ contra dixit *Riolanus* Encherid. Anatom. L. IV. cap. 2.) Rejiciunt quoque *Highmorus*, *Willis* de Cerebr. Anat. c 11. *Mœbius* Institutt. pag. 30. & fusissime *Schneider* de Catarrh. L. II. cap. 5.

19. Chirurgia Oriatur Ab Æsculapio.] Ita statuunt Langius Lib. I. Epist. 3. ex Celso in. Prolog. L. I. & *Hornius* in Microtechne Procem. §. 2.

20. Apo-

20. A PODALIRIO ATQUE MACHAONE.] Sic *Homerus* Iliad. β. δ. & λ. *Ovid.* L. 2 de arte amandi. *Plinius* H. N., Lib. 29. cap. 1. Verum hoc refutant multæ operationes in ſacris literis allegatæ, quæ longe antiquiores & certiores hisce fabulis; imo communis neceſſitas ſuadet Adamum atque poſteros & calluiſſe & coluiſſe.

21. PHOENICIS E SUIS CINERIBUS.] Statuit id, *Ovid.* Metam. L. XV. v. 392. *Claudianus* item de Laudibus Stiliconis L. II. v. 415. cum pluribus aliis. Refutant *Laurembergius, Sperlingius, Nicolai, Dieterich.* & præcipue *Deuſingius* Diſſert. pecul.

22. AVIUM IN CALIDIORES TERRAS ABITUS.] Ita omnes fere Auctores! De *Ciconiis Linſchottus, Hueſius, Laurembèrg. Bochartus, Heberer, Hemmerſam. Jo. Francke* in nott. ad P. I. des irrdiſchen Helicons pag 160. ait: Pythonoſcome ſoll ein Ort in Aſien ſeyn, wohin ſich die Störche zu gewiſſer Zeit verſamlen, und denſelben, welcher am letzten dahin kömt, auffreſſen. *Solinus* & *Plinius* L. X. cap 23. und daher rühret das Sprüchwort von faulen Leuten; vid *Eraſmi* Adagia. Idem de *gruibus, ardeis* &c. vid. *Jo. Georg. Swalbacius* Francus, in Diſſert. phyſ. de Ciconiis, Gruibus & Hirundinibus, quo exeunte æſtate abvolent, & ubi hyement, Spiræ apud Georg. Baumeiſterum 1630. edita in 4to. De *Coturnicibus* ita Joh de Mey Comm. Phyſ. in S. Scr. pag. 101. „Referunt, quod menſe Auguſto abituris coturnicibus „in terras alias propter imminentem hyemem, ſibi adjungantur magnitudine inſigni Duces quidam, qui nominantur *Matrix, Lingulaca, Cynchramus* & *Otus.* „*Matrix* alias dicitur *Ortygemetra*, quaſi dicas, *Coturnix* „major, habet magnitudinem turturis, & crura longa. „*Lingulaca* ſive *Glottis*, eſt alter Dux Coturnicum, qui „inde nomen habet, quia linguam perlongam exſerit. „Hic dicitur imago quaſi infidelium ducum, quia initio „valde fervet & diligenter perſequitur munus ſuum, ſed „ipſum mox facti pœnitet, ita ut in primum hoſpitium ipſas deſerat, & ſecundo die redeat, unde prius erat digreſ-

greſſus. *Cynchramus* tertius dux coturnicum, fideliſſimus & conſtans perhibetur; nam noctu, cum abeundum eſt, ſua voce & peculiari ſigno ipſas excitat, & ad iter incitat, & ſi in itinere erratum eſt, ſua voce revocat, & revocati ipſum ſequuntur. Itaque aucupes, qui audiunt vocem ipſius, deſperant de præda, & ſciunt, parari jam diſceſſum a toto agmine. *Otus* vel *Aſio* vel *Auritus*, eſt quartus Dux Coturnicum, & alias dicitur *Ulula* nocturna, quia eſt ſimilis noctuæ, & circa aures habet quandam ſpeciem aliarum. Hic creditur eſſe Dux ineptus, atque adeo ſtultorum imago. Eſt enim, ut ajunt, avis paraſitica & glorioſa, geſticulabunda, imitaturque ſaltatores & alios. ,, &c. Verum hæc de Coturnicibus commenta, merito fabulis accenſenda videntur. Interim fide dignus aſſerit *Wagenſeilius*, Comm. de Noriberga, L. I. c. 1. pag. 10. idque Baudrandi, Doctiſſimi Geographi, teſtimonio nixus. Capream inſulam, Regno Neapolitano, prope Minervæ promontorium adjacentem, cum urbe parva cognomine, eaque Epiſcopali ſub Archi-Epiſcopo præbere ex Coturnicibus, qui hic bis in anno incredibili copia capiuntur, unde lepide dicta fuerit hæc Inſula quibusdam *il Veſcovato delle Quaglie*, nempe hyeme appetente factis agminibus ex Italia Coturnices huc convolare, & ventum præſtolari commodum, cujus beneficio ſubvectæ in Africam trajiciant, atque inde vere novo huc revertantur, Italiam repetituræ. Hinc *Jſ. Voſſius* in append. de Luc. natura cap. 1. pag. 87. inquit: Coturnices, quia ſæpe conſpectæ ſunt ex Græcia Aſiaque proprie dicta Ægyptum verſus tendentes & ex Numidia in Italiam, & præſertim ad Capreas, ideo & ipſæ migrare creduntur. Sed ut recte obſervatum Bellonio, peracta meſſe, alias ibi inquirunt ſegetes pabuli gratia, & ſimul ut lateant aucupes. Hujus rei indicium, quod iisdem anni temporibus, iſtiusmodi coturnicum catervæ, in omnes cœli partes volantes deprehendantur; hyeme vero ipſæ nusquam amplius comparent, cum

ſint

„ſint frigoris impatientiſſimæ. De *Hirundinibus* idem quoque vulgo aſſeritur, ſed falſo. CL. *Jſ. Voſſius* l. c. pag. 86, ſeq. fide dignos, ait, adeſſe teſtes, qui ſecum aſſerant, Ciconias per hiemem non abire in Ægyptum, aut ad alias temperatiores oras, & certum eſſe ſcribit, illas, & plerasque alias aves, quæ migrare creduntur, vere non migrare, ſed avia & inacceſſa eligere loca, ubi deliteſcant vel mortuæ vel quaſi mortuæ. Ciconiæ quidem & ardeæ & ſimiles in paludibus & juncetis latent. De Hirundinibus res certa, circa hiemem avolare, maria, lacus & fluvios petere. Vid. *Lauremberg*. Acerr. Philolog. L. III. c. 71. Imo e paludibus mortuæ extrahuntur, æſtuque hypocauſtorum denuo vitam induunt. *Jſ. Voſſius* l. c. *Deuſing*. in Vindic. Foet. Sect. V. pag. 99. & *Fournier* Geograph. P. I. L. 2. c. 5. pag 42 ſcribit: E mari Norvagico interdum extrahuntur a piſcatoribus hirundinum maſſæ, quæ ala ad alam & pede ad pedem roſtelliſque implicatæ ſunt, quæ cantus, quos poſſunt, ſuaviſſimos ſub principium autumni edunt, dum ſe colligunt, & in mare dant ſeſe præcipites, quæ ſi in æſtuaria deportentur, caloris acceſſu reſolutæ volare incipiunt. Idem ib. pag. 68. ſeq. inquit: In Sileſia paſſim ſub autumnum, ſicut in Polonia, Bohemia & Moravia, in ciſternas & puteos hirundines dant ſeſe præcipites, reperiuntur etiam quercus cavæ, hirundinibus plenæ. CLmi *Hevelii* de hirundinibus ſententiam vid. in Actis Philoſ. Anglic. p. m. 285. conf. omnino *Mart. Cromeri* Hiſt. Polon. Lib. I. apud *Marcell. Donatum* L. IV. Hiſt. Med. memorab. cap. 12. pag. 365. Sic *David Herlicius* Lib. 3. Carm. I. pag. 185. ait - - & ſtagnis imis ſe merſit hirundo. Idem Lib. VI. Epigr. 10. pag. 357. hirundinem reſurrectionis noſtræ imaginem ſiſtit talibus verbis.

Spem ſupereſſe novæ poſt ultima funera vitæ
Nuncia formoſi veris hirundo monet.
Cum folia exhauſto omni humore cadentia ramis

Silva-

Silvarum abripiunt, quod fuit ante, decus,
Avolat, & se credit aquis, præcepsqve sub illas
Mersa, in dumosa mortua valle jacet.
Flebilis exanimis de plumis, nuda, neque ullam
Vivifici partem mœsta caloris habens.
Et tamen huic redeunt in sensus munera vitæ
Cum novus herbosam flosculus ornat humum,
Atque lares repetit plausu ingeminante priores,
Et suave excelsa sub trabe nectit opus.

De aliis animalibus, quæ hyeme se abscondunt, & eorum ratione vide omnino *Galenum*. Comm. ad L. 3. Aphor. 15. pag. 74. seq. Conf. ex pluribus de hac materia erudite differentem CLmum *Pechlinum* de aeris & alimenti defectu cap. 3. integro.

23. BORAMETZ SEU AGNI VEGETABILIS] Describunt illum *Haytho Armenus*, *Sigism. Herberstein*, *Licetus*, *Nierembergius*, *Kircherus*, *Harsdœrfferus*, *Olearius*, *Scaliger*, *Surius*, *Zeillerus*, *Chabræus*, *Jonstonus*, *Schottus*, *Majolus*, *Forerius*, *Libavius*, *Aldrovandus* &c. Antipathian ejus cum Lupis Scaliger refutat Exerc. 181. sect. 29. totamque rem *Deusingius* in Differt. pecul.

24. SERPENTIS EX SPINALI MEDULLA] Affirmant hoc *Ovidius* Metam. Lib. XV. v. 389. *Plinius* H. N. Lib. X. 66. *Camerarius* Horis succis. Cent. I. cap. 11. Negant vero mecum, *Laurembergius* Acerr. Philol. L. II. c. 85. *Goclenius* Disp. phys. 13. & plures alii.

25. PRÆCIPUE CAIRI] Fusius rem describunt & proponunt *Christoph. Füser*, Reisebeschreib. pag. 92. seq. *Nicolai* Schiffarth und Reise in Orient. L. I. cap. 8. fol. 7. *Bellonius* L. II. Observ. 31. *Busbequius* Epist. 3. Rer. Turcicar. pag. 274. Joh. Helfrich Reisebeschreib. nach Jerusalem. Scaliger Exerc. 6. c. 2. & ex eo Hartm. Creidius aliique. P. F. *Gabriel de Pechwaradino*, Ungarus, D. Francisci ordinis de sacra observantia in Com-

pendio Locorum Terræ Sanctæ P II. pag. 26. b. edit. 1521, 4. ita: „Ad coquinam Regis Soldani, dum regnabat in „Cairo, quotidie deferebantur & coquebantur mille & „quingenti pulli sive polastri, & dicitur esse verum, eo „quod omnes stipendiarii Regis Soldani, qui linqua Sa„racenica vocantur Mamaluchi, comedebant de coquina „Regis. Pulli autem de civitate non deficiunt, eo isto & „tali artificio procreantur. Magnæ enim fornaces im„plentur de ovis, & artificiose fit ignis subtus fornacem, „paulatim calefaciens ova, terra etiam per se est calida. Et „sic de ovis fiunt paulatim pulliculi, ac si gallina procreas„set eos. *Jo. de Mandeville* Sanct-Albanus Anglus, Med. D. & Eques in Itinerario suo cap. 7. pag. 9. col 1. inquit: „Ha„betur quoque Cairi domus plena parvis furnis, in qui„bus per custodes domus, tam hyeme quam æstate foven„tur ova gallinarum, anatum, anserum & columbarum, „usque ad procreationem pullorum suorum, & iis in„tendunt pro certo pretio accipiendo a mulierculis ova „illic ferentibus, „ Franc. Sanchez in Tractatu: Quod nihil scitur, pag. 68. ait: Ova in Ægyptiis ad Cairum in fornacibus animantur, temperato ignis calore, & alicubi etiam in fimo.

26. D. CHRISTIANUS IV. REX DANIÆ] Totam rem fusius enarrat Celeb. *Thom. Bartholinus* Cent. 3. hist. 100. & Cent. VI. hist. 11. Imo jam olim hoc artificium meminit Aristoleles Hist. Anim. Lib 6. cap. 2.

27. HOMUNCIONI PARACELSICO] Modum parandi ex Crollio fuse refert *Mylius* Lib. I. Basil. c. 11. p. 155. seq. & quid multis? *Paracelsus* habet Lib. 1. de gen. rer. nat pag. m. 259. seq & præcipue pag 263. ac L. 3. de vita longa cap. 4. pag. 175. Eique non admodum refragantur *Borellus* Cent I obs. 9 *Hannemann* in prodromo Lexici pag. 586. seq. ubi male carpit Celeb. meum præceptorem *Kolfincium*, optime tamen has nugas negantem Chim. in A. F R. L. VI. c 6 cui quoque merito adstipulantur *Sennertus* de Cons. & Diss. c. 4 p. 84. *Riolanus* Enchir. Anat. L. II. c. 37. & *Theoph Spicelius* in radice

dice

dice Atheismi p. 56 Hunc homunculum *Paracelsi* quosdam *Medicinæ* Satrapas, hujus doctrinæ ignaros, male secundum literam intellexisse, atque *Paracelsum* ut virum impium, proscripsisse in exilium, ait *Otto Tachenius* Hipp. Chym. c. 20. pag. 165. siquidem intelligatur palingenesia plantarum. Chymice esse intelligendum istum homunculum scribit cit. *Hannemann.* in Epist. ad Harder. pag. 400. seq. *Helmontius* in Tract. Butler. fol. pene ult. ait: „ Pro primo, quod homunculum supponit, infandum & sodomiticum est, diabolicum, & nulla" ratione commemorandum, apud *Jo. C. Dieterich* in Jatreio Hippocr. n. 167. pag. 324. qui addit: „Pudet commemorare spurcissimum istud chaos. *Merseanus* Comm. in Genesin pag. 657. hæc verba *Paracelsi* citans, isthæc recte in margine addit: „Hunc Paracelsi homunculum eundem esse existimo cum Diabolis, qui se ad" instar infantum ali curant, quos aliqui *mon Demon de gloire* vocant. Eundem Paracelsicum homunculum perstringunt *Jul. Cæs. Baricellus* in Hortulo Geniali pag. 108. seq. qui multas rationes affert ex *Georgio Bertino Campano*; item *Jsaac. Frœreisenius* in Exenterat. Drac. sanat. lit. D. ex *Andr. Libavio* P. III. singul. sect. de Creat. hom. *Gisb. Voetius* in Disputatt. Sel. pag. 755. *Herm. Conringius* de Med. Hermet. pag. 220, *Joh. Prætorius* in neuer Weltbeschreibung sonderbahrer Menschen Sect 3. pag. 164. *Athanas. Kircherus* Mundi subterr L. XI. *Franc. Redi* de generat. insector. pag. 55. *Laur. Straussius* de ovo Galli cap. 3. pag. 38. n. 5 Defendendas autem homunculi istius partes in se suscepit famosus ille Chymicus *Franc. Jos. Burrhus*, cum in Epistola de Cerebro ad Thomam Bartholinum scripta, Hafniæque 1669. edita, novam suam de formatione fœtus opinionem proponit, tandemque hæc verba subjicit: "Hic est *Homunculus* ille *Arnoldi* & *Paracelsi*, a cujus scientia arcet ignavum pecus difficultas ænigmatis sapientissimi horum philosophorum, quamvis indecori, quia semen, " ut dixi, in se habet vires omnium partium corpora con-"

ſtituentium, atq; aere vivit, ad cujus regulas præparari" debent Eſſentiæ quintæ a Chymico &c. conf. omnino" *Botallus* Lib. de Curat. per S. M. c 3. §. 11. pag. 126.

SATYRA SECUNDA.

§. 1.

C*Aſtrare* (1) *mulierem* (2) *difficile*, ſed *non impoſſibile* (3) videtur, quia (4) *vivere poſſunt mulieres*, quibus totus *uterus aut* (5) *exſectus* eſt aut (6) *alio modo defuit.*

§. 2.

Succinum (7) *non eſt vegetabile* (8) *nec animale* (9) *nec proprie marinum* (10), *ſed minerale*, (11) *bitumen ſcilicet* (12) ab igne ſubterraneo expingui ſucco terræ in mineris ſuis genitum, & *coagulatum.* (13)

§. 3.

In venis ſecandis (14) *delectum* refutat ſanguinis circulatio, cui ut ut adſtipulemur, *delectum tamen* (15) *non plane refutamus.* Refutamus vero bene nugas *plebis & Calendariographorum* (16) circa venæ ſectionem, ad quos hæc res pertinet, ceu lyra ad aſinum.

§. 4.

Paullo magis quam ineptiunt, qui ſe bonos Practicos abſque Theoria tamen divulgant: Qui quæſo ægris applicabunt, quod didicere nunquam? Forte per Lallæ inclementiam proferre nequeunt? Sed unde æſtimare tu eos potes doctos, ſi ſcire horum alii tecum neſciunt? Nugatores ſunt & congerrones!

NOTÆ

NOTÆ IN SATYRAM II.

1. CASTRARE] Uti πολύσημον est hoc verbum, sic heic loci non de arborum, vitum vinorumque castratura (ut Plinius loqui amat,) sed de ea, quæ fit in sterilitatem, & quidem in hominibus, sermo nobis est. De ea, quoad masculos, generatim agunt *Albucas.* Part. II. Chirurg c. 69. fol. 213. *Bauschius* Tract. de hæmatit. in procem. Trautmatolog. p. 40. seq. & pag. 61. seq. & *Sebizius* de alimentis Lib. V. probl. 84. *Henelius* Otii Vratislav. cap. 35. toto, *Ursinus* Analector. Vol. 2. Lib. 5. c. 14 pag. 305. & plurimi alii. De Eunuchis atque spadonibus videantur *Læl. Bisciola* Hor. succisiv. Tom. II. Lib. 2. cap. 18. *Theod. Zwingerus* in Theatro Vitæ hum. pag. 354. *Vallesius* Philol. sacr. cap. 24. pag. 163. B. *Cyrillus* apud *Suidam* in voce Σπάδων. Eunuchorum quot genera sint, ex *P. Ægineta* Lib. VI. probat *Jac. Bonfrerius* Comm. ad Deut. XXIII. 1. fol. 998. ut & ad Lev. XXII. 24. fol. 688. b qui videatur, ut & *J. C. Dietrich.* in Jatr. n. 357. pag. 492. pluribus. Modos item varios castrandi memorant auctores: Castratio Gallorum aliorumque animalium apud veteres plerumque Samia fiebet testa, *Strabo* Lib. X. *Camers* in c. 5. & 6. Solini, *Lucilius* Sat. 6. *Pompon. Lætus Juvenal.* Sat. 6. *Martial.* Lib. 3. Ep. 81. Plinius Lib. XXXV. c. 12. Saxo factam scribunt *Ovid.* Fast. L. 4 & *Catullus.* Cultro seu alio ferro *Horatius* Lib. I. Sat. 2. *Petronius*, *Juvenalis* Sat. 2. *Claudian.* Lib. 1. in Eutrop. *Martial.* L 3. Ep. 24. & L. 2. Ep. 45. Cicutæ poculo se castrabant ἱεροφάνται Sacrorum antistites Athenis Saubert. de Sacrif. c. 6. pag. 136. Sic Origenes Adamantius presbyter medicamento generandi vim sibi ademisse dicitur, *Sauberto* l. c. teste, quamvis id non inveniatur in ejus vita apud *Trithem.* & *Suidam.* Concha quoque in castratione adhibebatur, juxta Plin. L. IX. cap. 25. Familiarem & olim & hodienum Asiaticis Africanisque populis, imo & Europæis nonnullis fuisse castrationem & Historici & Geographi,

ipsaque experientia pleno ore testantur. Pœnæ locum habet in adulteris passim, in furibus apud Armenos, si itinerariis fides est. Sed nec usu Medico caret Castratio: In Mania eam prodesse vidit *Sam. Form.* Obs. 32. historiamque communicat *Rolfincius* Epit. affect. L. 1. & in Method consult. Prophylaxeως ergo in Podagra suadetur ex Aphor. 28. Sect. 6. quod Eunuchi podagra non laborent; vix tamen cum G. *G. Marquartt.* Disp de Podagra Lips 1665. §. 15. credo, quenquam eam jacturum aleam. Contra Epilepsiam valere notat Iov. Ep. 23. & ibi Juretus; teste Gisb Voetio P. III. Disp. Select. pag. 115. Ab Elephantiasi præservare eandem contendit *Primeros.* Enchirid. P. I. pag. 216. & *Casp. Wolfiius* in Viatico novo cap. 65. pag. 149. 1. Leprosos non fieri castratos testatur *Mercurial.* Var. Lect. L. III. c. 20. & Tom IV. Consilio 31. fol. 65. apud *Seb. Scheffer.* in Moron. fol. 402. a.

CASTRARE MULIEREM] De Castratione mulierum lege omnino *Joh. Brodæum* Lib. V. Miscell. c. 3 pag. 552. *Bauschium* de Hæmatit. in procem. Traumatolog. pag 73. *Henelium* otii Vratislav. cap. 35. pag 287. seq. Thom. Bartholin Cent. 3. Ep 64. pag. 259. qui ita: „Veteribus castrandi modus fuit auferre uterum; nostri „tamen rustici in fœminis vulvam relinquunt in suibus, „ovibus, vaccis, equabus castrandis. Ex dissecto in„guine sinistra manu utrumque testiculum cum utero „eximunt, sed avulso tantum testiculo utroque uterum „suo loco reponunt, & sine alio apparatu vulnus consu„unt.„ Idem (ut & hoc obiter addam ad illustrandam Satyræ 1. notam 5.) Anat. reform. Lib. I. c. 34. pag. 34. Clitoris, inquit, etiamnum ob insignem magnitudinem ab orientalibus uritur, ne amplius crescat, conductis ad id provectioris ætatis fœminis, quam operationem improprie *circumcisionem* vocant; adde *Bellon.* Lib. III. obs. 28. & *Chr. Paullini* obs. 100. pag. 63. in append. Decur. 2. Ephemer. Germ. Nat. Curios. Anni 5.)

2. DIFFICILE] Nimis difficilem & periculoſam operationem exiſtimat laudatus jam *Bartholin* Cent. 2. Hiſt. 91. & *Riolanus* Hiſt. Anat. Part. muliebr. c. 5. pag. 289. ait: „Sive uterus detrahatur, ſive teſtes avellan-„ tur, utroque modo in maximum vitæ diſcrimen adduci mulieres certum eſt.

3. NON IMPOSSIBILE] De brutis res certa eſt. De gallinis elegans eſt locus in *Menagianis* Tom. 2. pag. 101. ſeq. ubi ita: Les poulardes de Sable ne ſont pas“ moins excellentes que celles de *Mezeray*, qui n'en eſt“ eloigne que de quatre lieues, & qui ſont eſtimees les“ plus excellentes de toutes les poulardes. Nous ap“ pellons, *Poulardes* des poulettes châtreês, qu'on en-“ graiſte avec du graindans un lieu obſcurr. *Martial* en“ parlant de a maniere d'engraiſſer les poulettes par les“ tenebres, dit, qu'en cela la gueule a êtê ingenieuſe, qui“ eſt une façon de parler dont Empereur Marc Aurele“ l'eſt auſſi ſervi. Voici l'endroit de *Martial*:

Paſcitur & dulci facilis gallina farina
Paſcitur & tenebris: ingenioſa gula eſt.

*Mais comme la gueule s'eſt encore montree beaucoup“ plus ingenieuſe en châtrant les poulettes, qu'en les en-“ graiſſant par les tenebres, & que non ſeulement Mar-“ tial n'en a point fait de mention au lieu allegnê; mais“ que tous les anciens Aueurs de l'Agriculture, Caton,“ Varion, Columelle, Pline, Palladius, les Etrivains Geo-“ poniques, n'en ont point parlê, il eſt à croire, que les“ anciens n'ont point connu cette Caſtration: Il eſt con-“ ſtant, quils n'ont point connu cette des poules d'In-“ des, que j'ai vû pratiquer dans l'Anjou, par une din-“ donniere du Marchal de Brezé. Les anciens ont pour-“ tant connu la caſtration des femmes; * Cette caſtra- tion aiant etê inventeê par Gyges Roy“

* Dans le livre du Pere Theophile Raynaud in-“ titule: *Eunuchinati, facti, myſtici* imprimè“ a Lion en 1655. in quarto il a un chapitre“

 de

„ *de castrandis mulieribus.* Georgius Fran-
„ cus Professeur en Medecine a Heidelberg a
„ fait un petit traite *de castratione mulierum*
„ *Heidelbergæ in quarto* 1673.

„des Lydiens, comme l'aecrit Xanthe le Lydien dans son „Histoire de Lydie, selon le temoignage d'Hesychius „dans l'eloge de cet Historien de Lydie.„ Sic *suibus* testes abstractos memorant *Galenus* l. de Semine 15. *Varro* II. de Re rust. 5. *Plin.* H. N. L. 8. c. 51. *Soranus* & *Riolanus* l. a. Ridiculam narrat historiam *B. Wepferus* in Schol. ad obs. 129. Anni III. Ephem. Acad. Nat. Cur. pag. 228. his verbis: „Rusticus quidam habebat scro„pham nondum adultam, huic alterum uteri cornu ex„cisum fuit a Castratore altero relicto. Illa nihilomi„nus imprægnabatur, & cum prægnanti semen auctum „admodum esset, pinguefactam sagina opima credidit „Villanus; illa mactata & porcellorum & lardi jactu„ram fecit. Camelos fœminas castratas meminit *Aristoteles* IX. H. Anim. 50. Plin. l. c. De Hominibus vero *Blasius ad Vesling.* pag. 104. plane negat, possibile esse, uterum, si extra corpus prolabatur, vel reponi vel auferri posse, quidquid etiam multi scribant. Et Cl. Bartholin. Cent. 3. Ep. 64. p. 260. ait: Nec dum quod sciam, tentatum nostro seculo mulieris exemtis testiculis castrari. Verum animus est probare, quod sit possibile, utut non fiat, nec forte fieri debeat, nimirum: Si adsit ars usus que, id fit nullo prope periculo, teste *Cardano* in Dialogo Tetim inscripto. Et fœminas homines castratos; auctores habeo certos, scribit *Julius Alexandrinus* L. XXII. Salub. c. 14 & Annotatt. ad Galen. fol. 122. Hoc Lydii primo per luxum fecerunt; Verba Athenæi Lib. XII. Diphrosoph. cap. 4. fol. m. 515. hæc sunt: Λυδοὶ δὲ εἰς τοσοῦτον ἦλθον τρυφῆς, ὡς καὶ πρῶτοι γυναῖκας εὐνουχίσαι: Lydii adeo luxu corrupti sunt, ut primi fœminas castraverint. Idem ibid. subjicit: ὡς δ' ἔν Ξάνθος ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν Λυδιακῶν, Ἀνδρα-

μύτην φυσὶ τῶν λυδῶν Βασιλέα πρῶτον γυναῖκας εὐνεχίσαντα χρῆσθαι αὐταῖς ἀντὶ ἀνδρῶν εὐνέχων: *Xanthus ergo* L.II. Lydior,ait: Lydor. Regem Andramyten fœminas primum castrasse, & Eunuchor. loco usum illis fuisse. Item refert *Cœl.Rhodigin.* Lect.Antiqu.L.XX, c.14. Ejusdem sceleris ab *Hesychio* & *Suida* Gyges accusatur, inquit *Riolanus* l. c. & ex *Xanthio* L. II. Lydior. confirmat *Cœl. Rhodig.* L. XIX. c. 29. ac *Rein. Reineccius* T. III. Hist. fol. 82. Fœminas castrari posse exsectis testibus exemplo brutorum demonstrare conatur *Felix Platerus* Observatt. L. I. p. 244. conf. *Diemerbrock* Anatom.L. I, c. 23. p. 195. De modo auctores non conveniunt. Putant fuisse castratas mulieribus infibulatis, ut equarum, quas concipere & parere nolunt, ferreis circulis ordine trajectis, naturalia clauduntur, quod Galli vocant *Boucler* (Germani & Dani Ringen) inquit *Dalechampius ad Athenæum* l. c. f. 515. Eodem modo zelotypos Italos uxores a rivalibus conservare audivit *Riolanus* l. d. Videantur de *infibulatione* ista tam virorum quam fœmellarum *Mercurialis* Lectt. Variar. L. I. c. 19. & *Sinibaldus* in Indice Geneanthrop. Alii putant, exemtos uteros, alii testes. Certe novi nobilem matronam, cui puellæ per injuriam externam vulnus obtigit in regione pubis; huic testes auferebantur, quæ cæterum sana hactenus sterilis mansit. Ratio juxta *Kerckringium* erit in ovario oblato.

4. VIVERE POSSUNT MULIERES] Mecum id adfirmant *G. Welschius* de Exam. Vuln. c. 13. pag. 115. *Riverius* XV. Prax. 11. & *Fabricius Hild.* Respons. ad Deusing. de hernia uterina pag. 540. uterum ad vitam non esse necessarium probavit. Negat autem *Barbette* Chirurg. P. I. c. 8. cum inquit: Uterum sine vitæ periculo posse exscindi, quemadmodum multi Doctores scribere ausi fuerint, perito Anatomico intolerabile censetur. conf. eundem L. IV. c. 2. pag. 389. seq.

5. UTERUS AUT EXSECTUS] Feliciter hoc cessit pecudum castratori, qui filiam meretricem, utero vio-

lenter extracto more pecudum castravit, ut deinceps ad prolem esset inepta, teste *Wiero* L. IV. de præstig. Dæm. c 20. Simile factum in Diœcesi Bambergensi, teste D. *Birckmann.* apud B. Dn. D. Bauschium, Præsidem heu olim Acad. Cur. digniss. in Proem. Traumatol, pag. 73. qui historiam refert. Ita elapsum & cucurbitæ instar inflatum abscidit *Corpus*, cooperante *Langio*, ceu hic testatur L. II. Ep. 39. p. 672. De amputatione uteri in genere & in specie videatur *Franc. De Blegny* de arte herniarum Curatrice P II. sect. 1, c. 4. p. 223 seq. conf. *P. Jo. Faber* in Chirurg Spagyr. c. 6. p. 19. *Mizaldus* Cent. I. Memor. §. 100. ait: „Plures mulieres vixisse annos multos con„stat, imo & concepisse ac peperisse, cæso illarum utero; „quemadmodum historiis aliquot in hac Centuria o„stendimus, & aliis deinceps indicaturi sumus. „ Verum tota prima Centuria perlecta, nihil tale vidi. Universo ablato utero nonnullæ mulieres plures annos supervixerunt, ait *Jo. Hartmann.* Prax. Chym. p. 322. confer. *Christoph. Vælter.* in der Heb-ammen Schule P. III. c. 11. *Hildan.* ad Dœring. Epist. Cent. Obs. 3. annexa. *Mœinichen*, Obs. 4. *Housset* de partu Cæsar. Sect. 4. c. 5. *Sennertus* Prax L. IV. P. I. s. 2. c. 15. *Maur. Cordæus*, ap. Schenck. Observatt. fol. 668.

6. Alio modo defhit] In monstris quandoque deest. Ita *Columb.* L. XV. Anat. novit fœminam, cui nulla matrix nec vasa seminaria, nec testes, quæ interim cum viro sæpius coibat, sed semper cum dolore magno. In quibusdam per abscessum vel gangrænam plane computruit, iis nihilominus superstitibus, ceu ex aliis audiverunt *Paulus* L. VI. c. 88. & L. III. c. 72. *Avenzoar.* L. II. tr. 5 c. 4. *Aetius* Tetrab. IV serm. IV. c. 76. *Matth. de Gradibus* ad IX Rhas. Multi vero sunt, qui ipsimet viderunt, & quidem Semel *Nicol. Flor.* serm. 6 tr. 3. c 26. *Gattinar.* Prax. c. 66. p. 263 *Vega* L. III S. 10. c. 10 *Paræus* L. XXIII. c. 41. *Beniven.* de abdit. c. 11. *Ef. Meischner.* & *Magius* apud *Schenck* Observ. L. IV. obs. 303. *Platerus* L. III. Observatt. p. 718. Bis vero *Bellocatus* Padu-

xteste

æ teste *Meischnero* l. c. & *Roussetus* de partu Cæsar. Sect. 4 c. 5. Ter denique *Carpus* in Isag. Anatom. Lit. F. 26. b. Conf. plures auctores, quos citant Cl. *Bauschius* l. a. p. 72. seq. *Bartholin*. Anat. Ref. L. I. c. 29. p. 196. ac Cent. II. hist. 91. *Sennertus* Prax. L. IV. P. I. S. I. c. 12.

7 Succinum.] De Succino peculiaribus libellis commentati sunt plures: Theses de eo Thorunii anno 1671. in quarto una & semi-plagula edidit D. *Sam. Schelgvigius*; Tractatum peculiarem D. *Jo. Jac. Hartmanni* nuper recusum vide in *Bern Cæsii* Mineralog. L. III. c. 8. Sect. 2. p. 400. seq. Succinologiam se meditari scribit *Herm. Grabbe* Medicus Haderslebiensis, in præf. Libri de Transplantatione morbor. p. 4. De succini natalibus non-maritimis peculiarem librum Cl. *Jo. Dan. Majoris* allegat *Morhofius* in Epist de Transmut. Metallor. p. 51. *Corn. Stalp. van der Wiel* in Diss. de Unicornu p. 494. ait: , Similiter nuper varia admodum discrepantiaque de succino prolata sunt judicia, aliis illud bituminis quandam speciem, cretamve resinam, aliis ab arboribus quibusdam promanantem, nonnullis autem bestiarum quoddam excrementum clamantibus.

8. Non est vegetabile.] Gummi vel resinam ex arboribus quibusdam esse, putarunt *Sudines*, *Sotacus* apud *Plin.* H. N. L. XXXVII c. 2 Ovid. Metam. II. 440. Juvenal. Sat. 5. Ex *populis Dionysius* de situ orbis v. 292. *Dioscorid.* I. 105. *Abvay ibe Tsina* L. II. Can. tr. 2. c. 372. *Bodinus* Theatr. nat. L. II. pag. 249. seq. &c. sed refutat Plinius l. c. apud quem quoque *Ctesias* in Indis arbores Succini vocat aphytacoras. Mithridates vult ex Cedro, teste *Plinio*, l. a. qui ipse cap. 3. ex pinei generis arboribus desumtum credit cum *Tacito* in Germania, & *Solino* Polyhist. cap. 33. Ex abietibus, quæ in littoribus Suediæ mari imminent, mense Julio fluere constans est fama, ait *Fournier* Geograph. P. 1. L. III. c. 9. forte ex *Olao Magno* L. XII. cap. 6. conf. & *Diodorus Siculus* L. IV. Bibl. Hist fol. 302. *Pietro Franc. Scarabelli* nel Museo Settaliano cap. 10. pag. 57. seq. *Jonston.* Traumotograph

Class.

Claſſ. 4. cap. 10. pag. 136. qui plura habet. Succinum arboris ſuccum eſſe, ex *Iſidoro* & *Tacito* de moribus German. refert *Bern Autumnus* Comm. in Juven. Sat. VI. v. 572 pag. 131. Edit. Pariſ. 1614. 4to. & ibid. *Iſaac Grangæus* Gymnaſiarcha Vindocineſis pag. 255. ait: Unde procedat ſuccinum, non conveniunt auctores. *Agricola* putat, eſſe ſpeciem bituminis, & pinguedinem terræ; unde *pinguia ſuccina* Juvenali. Joh. Francke in nott. ad Irdiſchen Helicons P. II. p 3. ait: des Phaetons Schweſtern, unter denen eine Phaetuſa, die andere Lampetia geheiſſen, ſind in Erlen verwandelt worden, aus derer Zähren der Birnſtein entſproſſen iſt, wie *Virgilius* will Ecl. VI. *Ovid.* Metam. L. II. *Claudian.* panegyr. in tert. Conſ. Honor. *Homer.* Odyſſ. L. XII. In Septentrionis oris illud ex arboribus exſudare quoque ſtatuit *Sebaſt. Beretaria* e Soc. Jeſu in vita Joſephi Anchietæ e Soc. Jeſu L. I. pag 53 Succinum ex vegetabilium verius quam mineralium cenſu eſſe, D *Herm. Grubbe* peculiari ſcripto ſe probaturum promittit, verba ſunt *Jo. Phil. Gieswein* in L. de Materia Medica Præf. ad Lect.)(7. a. b. qui tamen ex mente *Schrœderi* aliorumque, inter mineralia potius ſeu marina retulit. Omnino vegetabile eſſe, pluribus deducere conatur *Thom. Bartholin.* in Act. Hafn. Vol. I. n. 57. pag. 110. ſeq. & Diſſ. ſec. de Theriaca pag. 30. qui omnino videatur utrobique. Inprimis & huc refer locum *Jo. Bapt. Denis* dans ſes Conferences. pag. 171. ſeq. E contrario ex arboribus provenire fabuloſum reputant *Libavius* P. III. ſingular. L. V. c. 9. & *Peireſcius*, teſte *Gaſſendo* in ejus vita L. II. pag. 65. præcipue autem Dn. D. *Jo. Dan. Major* in Act. Hafn Vol. 2. n 122. pag 307. qui legi meretur. Conf & de Electis prolixe agentem *Kircherum* de Magnete. L. III. P. 3. c. 3.

9. Nec animale.] *Demoſtratus* Lyncum vocat, & fieri ex urina lyncum e maribus fulvum & igneum, e fœminis languidius atque candidum credit apud *Plin.* H. N. L. 37. c. 2. quod placet *Jo. Bapt. Portæ*, nec plane ſpernit *Cæſalpinus* L. II. de metall. c. 28. rejicit

vero

vero Libavius l. sup. cit. c. 2. Ex animalibus aliis volunt *Zenothemis* & alii apud *Plin.* l. c. Lacrymas esse avium meleagridum, *M*eleagrum deflentium, scripsit Sophocles, sed ridetur a Plinio, imo totam rem confutavit *Libavius* l. 1.

10. NEC PROPRIE MARINUM] Frequentissime quidem omnium in littoribus marinis reperitur, præcipue in mari Balthico, in littoribus Prussiæ, teste *Fournier* Geogr. P. 1. L. III. c. 8. pag. 88. *Heldvader.* in Sylva Chronol. Circuli Balth P. 1. c.6. p.23 qui addit: Die Einwohner in Preussen, weil sich der Agtstein leicht läst anzünden und brennen, nennen ihn Bornstein, (quasi Brennstein.) In Pomerania etiam & Lessca Insula Jutlandiæ (teste eodem *Fournier* c. 10. & 14. p. 104.) unde & plura mihi transmissa asservo frustula. Hinc *Pytheas* voluit, esseconcreti maris purgamentum, apud *Plin.* l. c. Ex spuma maris *Hector. Boeth.* & *Cardan.* de variet. rer. L. III. c. 15. Inter marina refert quoque *Merretus* in Pinace rer. natural. Britann. pag. 219. Verum de Succini natalibus non-marinis & corpusculis in ipso contentis, promisit Tractatum Celeb. *Jo. Dan. Mojor* in Catalogo ad Anatom. I. Kilon.

11. SED MINERALE] *Theophrastus* & *Philemon* jamdudum fossile esse statuerunt, teste Plinio. In Fossis Lesnæ, dum urbs valle muniretur, repertum est Celeb. *Jo. Jonstono* Not. Regn. miner. c. 3. pag. 29. Ita *Peirescius* succinum flavum habuit erutum circa turrim Bevontiam, statuitque rem fossilem esse, quippe in Sicilia quoque effodi, & torrentium impetu detegi deferrique ad mare usque, & repellente maris aqua in littoribus sæpe inveniri; probabile proinde esse, ut quod expiscantur ad Balthicum mare, vi aquarum erutum translatumque eo fuerit, (maxime vero cum eodem modo plerunque contineat muscas, cæteraque id genus animalcula:) teste *Gassendo* in ejus vita. Idem variis in locis effodi demonstrant *Libavius* l. sup. cit. c 9. & *Wormius* in Museo L. I, sect. 1. c. 13. fol. 32. Sic in Circulo Crosnensi (ut testan-

testantur Nova Litteraria Germaniæ Hamb. 1703. m. April. pag. 128) haud procul Rotenburgo ad Oderam in fossa exsiccata, frustum succini repertum fuit, adspectu quidem informe, pro vero tamen succino & a natura polydædala ibi procreato habitum. Missum id est Grunbergam, D. Sam. Ledelio, Acad. Nat. Cur Socio maxime industrio. Commonstravit itidem mihi d. 6. Octobr. 1696. Illustrissimus Dn. de Plessen, Eques Regius & Generalis Equitatus Danici Locum tenens, frustum elegantissimum succini flavi & albescentis, pondere libræ unius & unclæ, quod effossum vidit ante 7 annos in Insula Möen, in monte arboribus maximis consito, ubi simul alia, sed minora frusta invenit; injecimus prunis vivis, fuderunt frustula illa suavissimum succini odorem. Vidi & apud eundem frustum succini albi quod Hafniæ inventum est, cum alveus effoderetur versus austrum pene arcem, ubi nunc ædes Illustrissimi Dni. de Plessen Equ. Eleph. & Consil. intimi Regii ac Thesaurarii Supremi. Non possum, quin huc transscribam verba Cl. *Morhofii* Epist. de metall. Transmut. pag. 50. „ Diu multumque, „fateor, animum in succini natura cognoscenda exercui, „& facit profecto inventi istius (solo ignis ministerio „solvendi succinum) ut ne nunc quidem quanquam loco „alieno mihi temperem. De succini natalibus res dubia: „Aliqui maris sobolem habent, aliqui ex terra prodire „statuunt, quæ mihi sententia verosimilior videtur, te„stanturque animalcula & insecta terrestria passim in suc„cino reperta, quod fusius aliquando deducet Cl.mus „Collega noster D. *Major* in Lib. de Succini natalibus „non-maritimis. „ Idem D. Major in Kurtzen Vorbericht vom Museo Cimbrico c. 4. §. 4 p. 20. recenset, sibi esse Succinum Wittebergense oder Faust grosser gelber Bernstein zu Wittenberg aus der Erden, nebst unzehlich vielen anderen gegraben. conf. ejusd. Hist. Anat. Calcul. D. Sperling C. 1. a. b.

12. **Pitumen scilicet**] Hoc mecum sentiunt Agricola L. IV. Fossil. (& ex eo cit. sup. Isaac. *Grangæus*

Comm.

Comm. in Juven. qui ideo eidem *pinquia ſuccina* dici addit) *Libavius* l. ſup. c. *Kircherus*, Mundi ſubterr. T. II. L. VIII. Sect. 3. c. 3. *Wormius* in Muſeo l. c. *Hevelius* in Ephemerid. Eruditor. T. III. Ephem. 2. pag. 22. ſeq. & in Actis Angl. Soc. philoſ. d. 6. Nov. 1666. pag. 285. ubi ſtatuit eſſe ſpeciem quandam picis foſſilis, aut bituminis, propterea quod non ſolum reperiatur in oris maritimis Pruſſiæ, verum etiam in locis multis milliaribus Germanicis a mari ſitis, e terra effodiatur, neque ſaltim inveniatur in arenoſis, ſed etiam in montibus terræ firmæ, additque: „Ipſemet his meis oculis vidi fruſta admodum „magna ejusmodi ſuccini „ Conf. Acta Hafn. anni 1671. & 1672. P. I. Obſ. 57. ac *Schrœderi* pharmac. L. III. c. 30. D. *Mich. Reudenius* in Obſervatt. Carolin. n. 4. p. 9. ſic ait: Niemand ſoll ihm einbilden, daß das Erd-Pech alles müſſe ſchwartz oder aufs wenigſte dunckelfarb ſeyn; ſondern es werden auch viele ſpecies bituminis weiß gefunden, wie die Naphta alba, Sperma Ceti, weiſſer Agtſtein und dergleichen mehr bezeugen. Id. ib. p. 68. Es iſt bewuſt, was die Gelehrten desfals vom Agtſtein und mumia, ſo nichts anders als ſonderliche Arten des Erd-Pechs ſeyn, faſt einhellig ſchreiben. Morhofius l. ſ. c. ſic pergit pag. 51. „Naſcitur vero (ſuccinum) frequenter in locis, ubi pinus & terebinthinæ" creſcunt, quod argumento eſſe poſſet, a ſimili quadam" viſcoſa ſubſtantia, qualis in arboribus illis reperitur," per terram diſperſa naſci, & a particulis ſalinis maris" proximi vel aliunde coagulari. Nam pene conſimilem" naturam arguunt multa, ſimilis inflammabilitas ac o-" dor, qui a Terebinthinæ Cypriæ incenſæ odore vix" differt; quodque e ſuccis illarum arborum per artem" confieri poſſit, hodieque conficiant Chinenſes, teſte" Martinio in Atlante Sinico pag. 65. (Putant quidam, in-" quit ille, ex defæcatis illud oriri pinorum medullis," „temporis longinquitate induratis ac pellucentibus. Et „vidi ego ſane ex pice pinea ſeu reſina per decoctionem „illud fieri arte vendique a Siris ita egregie effictum,

ut

„ut vere invidiam facere possit.) Ego quidem persimi-
„lis naturæ oleosum humorem dissolvi posse existimo.
„Potest & impurum succinum arte corrigi & subtiliari,
„docente Glaubero L. de Furnis philos. per spiritum
„salis rectificatum; sed tum duritiem illam deponit,
„nec durat, nisi in loco frigido vel temperate calido. Si
„calor plus justo intensior, diffluit. Novi qui tentarint
„experimentum bono eventu. Si quis solidare iterum
„succinum alio artificio nosset, jam naturæ artibus supe-
„rior esset. Exhibet tamen & illa nonnunquam inelabo-
„ratum, quale fuit illud, quod altera sui parte molle, al-
„tera durum, & cui sigillum imprimere potuit Nobiliss.
„Dn. *Oldenburgius*, de quo memorat ipse in Actis phil
„pag. 2061. Pingere etiam natura illud solet variis cha
„racteribus, quale frustum nuper ad me misit Nobiliss.
„Dn. Joannes Tinctorius, Serenissimi Electoris Brand.
„a Consiliis, in quo litera D. perspicuo naturæ ductu de-
„lineata, etiam cæteras, ut est humanissimus, Alphabeti
„literas sic in succino depictas submissurus. Cum itaque
„hanc de succini origine sententiam vero simillimam
„judicem, falli puto auctorem libri, qui l' Europe vivan-
„te inscribitur, qui T. I. P. II. oriri illud putat a melle,
„quod in littore maris Indici in petris ab apibus conge-
„stum post solis coctionem in mare prolapsum sale ma-
„rino induretur, & ad aliarum regionum littora a mari
„ejiciatur. Allegat, nescio cujus Chymici, auctoritatem,
„qui infracto succino substantiam mollem melli sapore
„similem invenerit, quodque eadem post solutionem e-
„jus per spiritum vini tartarisatum remaneat. Quæ o-
„mnia absurda esse quivis facile videt, ut non sit opus
„iis immorari.

13. ET COAGULATUM] Scilicet per spiritus salinos; Chymicis enim constat, spiritus salinos non solum alios spiritus, sed & oleosa quævis congelare & coagulare; ita hic quoque vel per maris salsuginem tenui portione exclusa succinum induratur, vel intra poros terræ per nitrosos spiritus figitur atque coagulatur, teste Wormio in Museo

Museo fol.31. De solutione succini beneficio ignis usuq; ejus ad condienda cadavera agit Morhof. l. jam cit. pag. 49. ubi se apud Theod. Kerckringium Amstel. cadavera infantum succino obducta ut omnia membra transparerent, vidisse affirmat. Sæpe accidit, ut succino casu involvantur varia animalcula, ita alibi in quibusdam museis vidi muscas aliaque insecta egregie incorporata, & anno 1638. die 10. Dec. vidi Norimbergæ apud curiosiss. Dn. Mendlein duas ranas majorem scilicet & minorem affabie succino incrustatas. Conf. Klobii Hist. Ambræ. Talia quoque anno 1695. nonnulla obtulit mihi Hafniæ Dn. D. Reinhold. Wagner Regiomontanus. Commode ad hunc §. referri posset doctrina de *Spermate Ceti*, quod communiter inter marina referunt, uti & fecit *J. P. Gieswein* de Materia Med. in Præf. ad Lect.)(7. a. cum *Schrœdero* & aliis; quamvis *Thom. Bartholinus* Ep. ad Burrhum dicat optimum ex balænarum cerebro eructari, certa mercatorum Danicorum in Jslandia versatorum observatione. Conf. Ettmulleri Disp. peculiarem.

14. IN VENIS SECANDIS] An delectus sit habendus, ex antiquis vide omnino apud *Galenum* L. de V. S. adversus Erasistrateos Romæ c. 4. circa fin. & de curandi ratione per V. S. c. 1. post med. Ex recentioribus *Gotf. Christ. Winckler* Ann. VI. & VII. Ephem. Germ. Cur. Obs. 96. p. 135. *P. Rammelius* Dec. II. Eph. Germ. Cur. Ann. V. Obs. 144. p. 294. *Franc. Zypæus* in Medic. Fund. Phys. Anat. P. VI. c. 1. art. 6. §. 3. ait: 'Magnam volunt," aliqui differentiam esse inter venas secandas, putant" enim aliquas præ aliis ex certa tantum parte educere," illique sectas mederi, unde & aliquibus seu a parte seu a" morbo nomen imposuerunt, ut Cephalica, a capite sic" dicta, Hepatica, ab hepate, Ischiatica a dolore Ischiati" co &c. sed tales, nec Anatomiam nec circulationem nosse" se ostendunt, scirent alias venas cum arteriis communi" care, adeoque omnes velut totidem rivulos ex eodem" flumine seu trunco arteriæ ortum ducere. Unde mihi" parum interest, cujus lateris vena secetur, aut qualis,"

ſed majorem & commodius ſecabilem ſemper impero.

15. DELECTUM NON PLANE REFUTAMUS.] Cum Jo. Theod. *Schenckio* Diſſ. de V. S, Dec I. n. 3. Jen. 1667. ubi prolixius. *Zypæus* l. jam cit ita pergit: „Soleo „tamen in affectibus ex menſtrui retentione jubere ve-„nam pedis aperiri, quod hoc multum poſſit ad men-„ſtrui promotionem; ſcilicet per illam ſanguis longe „celerius in liberum äerem vel aquam excurrit, quam ſi „alium ante ſe debuiſſet protrudere, unde ulterius ma-„gis inaniuntur arteria cruralis & illiaca, quas tunc ſan-„guis, ſicut etiam arterias uteri ab hac derivatas, in tran-„ſitu ſuo celerius involat, ac ſæpe obſtructiones uteri ſic „perrumpit. „*P. Jo. Sachs* in Oceano Macro-micro-coſm. §. 68. pag 66. ait: „Ob ignorantiam genuini exortus „venarum, ſuperſtitioſa apud veteres venarum brachii „ſectio inſtituta, a *Valverda* primum, poſt a *Veſalio* lib. „III. Opp. Anatom. c. 8. detecta & reprehenſa Conf. *Fallopii* Inſt. Anat c. 11. p. 504. *Bauchinus* lib 4. Theat. Anat. c. 23. *Riolan.* in Schol. Anat. p. 255. *Dœring* de Medic, & Medicin lib. 2. p. 182. unde quia venarum baſilicæ & cephalicæ unus idemque exortus, præſtat eandem tundere quæ magis conſpicitur, quod ſimul affirmat *C. Bartholin.* Exerc. 10. probl. 6. *Primeroſius* de Medic. errorib. lib. 4. c. 24. Conf. de electione venarum in ſanguinis miſſione. *Nic. de Blegny* in Zodiaco Med. Gall. ann. 1681. m. Oct obſ. 1 p. 120 ſeq. *Jo. Conr. Dieterich* in Jatr. Hippocr. n. 902. p. 1362. ait: „Motum ſanguinis „circularem tanti æſtimat D Slegelius, ut credat, ſine eo „veram rationem delectus in venarum apertione dari „non poſſe,, in Diſput. Jenæ iuſtituta, de ſaluberrimo „venarum in corpore humano ſecandarum delectu „ Idem ibid. p. ſeq. ita pergit: Venarum in corpore humano „ſecandarum delectus noſcendus accurate, quæ quibus „morbis, quæ quibus modis. „ Adde præcipue quoque *Laur. Bellini* Tract. de ſanguinis miſſione propoſ. 6. p. 119. ſeq

16. PLEBIS ET CALENDARIOGRAPHORUM]

Fuſi

Fusius hoc quoque examinavit & rejecit *Primerosius* de Error. vulgi lib. 4. c. 9. & 10. *Abdias Treco* Astrolog. Med. disp. 1. § 37. *Reichelt* de Amuletis §. 16. Huc refer omnino monitum *C. Gesneri* Tract. de Sanitate tuenda p. m. 20. seq. quod apprime quadrat. Conf. ex pluribus *Scheffer.* in Introduct. Conring. c. 2. §. 22. p. 43. *Joh. Langius* lib. 1. Ep. 35. *H. Petræus* Disp. 3. de phlebotomia θ. 69. & 70. *P. Rommel.* Ephem. Germ. Nat. Cur. Dec. II. an. 5. obs. 144. circa fin.

SATYRA TERTIA.

§. 1.

PUrgantia 1) quomodo agant, adhuc *discreptant* 2) *Medici.* Interim adsunt historiæ eorum, qui purgabantur 3) *purgantium auditu,* 4) *aspectu,* 5) *gustu,* 6) *odoratu,* 7) *in somniis,* 8) *retentione in manu,* 9) *inunctione,* 10) *infusione in venam,* 11) *gestatione sub plantis pedum,* atque 12) *accubitu, ut & coitu cum viro,* qui purgans antea assumserat; item 13) *lactatione,* 14) *imaginatione,* 15) *animi pathematibus* 16) *metu,* 17) *fonticulis,* 18) *esu ovorum Barbi piscis* &c.

§. 2.

Chrystallum 19) non esse nisi glaciem 20) *aut nivem* induratam quidam narrarunt: *rectius, qui lapidem* 21) verum: Et *cum sit frigida* 22) ea frequenter bonoque cum successu utimur in febribus, præcipue hac epidemica seu diætetica militum (ut ego adpello) aliisque (23) *morbis calidis.*

NOTÆ IN SATYRAM III.

1. PURGANTIA] Quomodo agant fuse disquirit *Gregor. Horstius* in *M. M.* Ferneliana, Disp. de purgatione, quæst. 1. pag. 134. seqq. Item *Hanemannus* in Dissert. peculiari. *Asclepiades* in volumine de sanitate tuenda rejecit vomitum & purgationes, teste *C. Celso* Lib. 1. cap. 3. quod credebat, purgantia non tam evehere humores vitiosos, quam eos statim generare, ceu fusius ejus proponit sententiam *G. Fallopius* tr. de purgant. cap. 2. pag. 19. seq. Eique fere consentit *Helmontius* de inaudit. febrium doctr. cap. 5. n. 12. & 14. Verum dudum hæc explosa est sententia a *Galeno* Lib. 2. de Elem. c. 3. & lib. de purg. med fac. & Lib. ad Pison. *C. Celso l. c. Fallopio* l. c. *Ægid. le Vasseur* Disp. Inaug. §. 10. Basil. 1612. *Sennerto* Institt. Lib. 5 P. I. S. 1. c. 11. *J. P. Brunone* disp. de purgationis modo ac viis ad alvum §. 4. Altorf. 1652. præside *Maur. Hofmanno* & disp. 1. de natura purgantium nocua §. 10. (hanc vero eo magis amo, quo Celeb. Vir pro communi amicitia ipse transmiserit, mecumque communem detestetur errorem; proverbium quippe meum hic solenne est: Die meisten Leute sterben durch unzeitig Purgiren und Aderlassen.) Præcipue in omnibus morbis acutis nocent teste Theod. Craanen Prax. Med. reform cap. 41. pag. 196. De eorum noxa, sed certo modo quoque utilitate lege Jo. Jac. Waldschmid. Epist. 2 ad D. D. *Joh. Dolæum* pag 3 seq. Marpurgi 1687. De noxa purgantium omnino legendi sunt *Ettmüller.* Institt. Med Therapeut. c. 4. §. 18. ut & *Willis* Pharmac. ration. P. I. pag. 97. seq. Joh. *Melderus* Disp. inaugur. de Hypercatharsi §. 10 *Petr. Edelmann.* Diss. de eadem cap. 1 circa fin. *Helmont.* Lib. I. de potest. med. n 33. in Dispens. n. 38. *Jo. Franc. Branealeo* in Dialogo de Balneis P. c. 8. a inquit: „*Me*„mini in ægrotum incidisse, qui viginti dierum spatio „quinque, medicorum impulsu Cathartica voraverat: „quod ferrum quod adamantinum corpus tantæ non „succumbere violentiæ potuisset? Certe vereor, & do-

leo

leo quam maxime, ne plures necaverint pharmaca" quam gula & gladius, & citra controversiam existimo," inter alias hujus temporis calamitates hanc esse vel in-" primis connumerandam. O abusum maximum," o communem perniciem execrabilem pestem longe" ipsis febribus pejorem! &c conf. omnino *Engelb. Höl-*" *terhof* in vita longa & brevi P.II. c. 4. § 1. & 2. *Casp.*" *Hofmann.* *Lib.* 1. Institt. Med. pag. 9. *Galen.* 1. Locc. Aff. 1.k. Helmont. de Febribus c. 7. §. 13 ait: "illud a senibus didici, quod quicunque amat vitam longam" & sanam, abstineat a purgantibus quacunque impostu-" ra assumtis, quam tamen Helmontii sententiam lau-" datus sup. *Maur. Hofmann.* Disp. anno 1652 habita refutat. Cæterum de Maximiliano I. Cæsare *Gerard de Roo* Histor. Austriac. *Lib.* 12. in fin, pag. 477 ita: ,, Sunt qui ipsi potiorem dejectoriam a Medicis tempore non" satis commodo exhibitam fuisse asserunt; Cuspinianus" ventris profluvio mortuumdixisse satis habuit. Alii per" QUALITATEM MANIFESTAM fieri volunt, quibus tamen non potest non evenire id, quod de Asclepiade *Galenus* 1. Iac. not. 14. scribit, ut vel rationes ineptas afferant, vel ea negent, quæ experientia confirmata sunt, censente ita *H. Petræo* loc. inf. citando §. 37. Sed refutat hoc *Kircherus* de *Magnet. Lib* 3. P. 7. c. 3. pag. 691. Alii confugiunt ad *qualitates occultas*, solenne ignorantiæ asylum (ita eas vocant & improbant *Kircher.* l. c. P. 1. pag. 467. *Casp. Hofmann.* Institt. Lib. 3. c. 129 §. 3. *Jo. Nic Pechlinus* tract. de purgant. proœm. p. 6.) Julî *Galeni Lib* V. de simpl. med. facult. c 17. *Ibri Tsina* secunda primi doct. 2. c. 15. *Mesue Lib.* 1. Theorem. 1. *Fernel. Lib.* 3. *M.* M c. 4. *Sennert* l. a. cui accedit Höfer. H. M. *L.* 8. c. 2. *Thom. Bartholin.* de usu nivis med. c. 21. Deusingius de superstitiosa morbor. orig. & cura § 67. statuit, Rhabarbaram purgare bilem per substantiam, quam sibi obtinuit peculiarem, atque propriam naturam: Nimirum sicuti magnes ferrum; *Sennert* l. a. & præcipue si certum humorem purgent, uti statuit *Andr.*

Chioccus lib. 2. Quæst. Phil. & Med. 8. pag. 91. Ingenue se nescire fatetur Dn. *D. Ammannus* paræneſ. pag. 457. seq. qui legi meretur. Verum respuunt hoc *Pechlinus* l. a. c. 1. & 2. ac *Herm. Grube* de Med. simpl. cognit. art. 4 S. 7. pag. 151. & 153. Aliqui dicunt fieri *attractione* uti Hippocr. de nat. hom. T. 36. 37. & 38. (usus simili de planta ex terra succum attrahente, quod refutat *Pechlin* de purgant. S. 1. T. 1. pag. 8. seq.) *Galenus* de simpl. med. fac. III. 25. & V. 17. & Comm. ad sect. I. aphor. 22. & lib. de purgant. med. fac. & lib. 2. de Elem. *Ibn. Tsina* lib. 1. f. 4. d. 5. c. 4. pag. 197. seq. *Mesue* in Canon. univ. pag. 7. *Rhases*, *Averrhoes* (aliis Ibn Ruschd vel AbenRaschid) apud *Sennert.* Institt. V. L. P. 11. *M. Sebizius* senior disp. de purgandi ratione Argent. 1601. resp. *M. Sebizio* Jun. §. 14. *Liddelius*. *Heurnius* *Fuchsius*, *Valles.* lib. IX. Centror. 1. *Fallopius* l. d. c. 2 seq. *C. Hofmann.* Institt. V. 44. 11. & VI. 4. 13. Item in disput. de purgatione §. 2 præs. *Scherbio*. Aliqui tamen limitant. Ita *tractionem* non plane purgantibus denegat *Mart. Schoockius* lib. de Ferment. Alii dum attractionem statuunt, iterum diversi sunt; horum enim aliqui manifestam, occultam aliqui prætendunt causam teste CL. *Brunone* Disp. de purgant. modo ac viis §. 5. *Walæus* Inst. Med. lib. III c. 2. pag. 91. putat dari hanc adhuc præter attenuationem & segregationem. Nonnulli putant eam fieri propter similitudinem, sicuti *le Vasseur* l. a. θ. 10. *Joh. Hartmann.* disp. Chimico-*Med.* θ. 4. §. 45. (ubi plurimas aliorum refert sententias) *Crollius* Tract. de signaturis, *Prosp. Martianus*, item *Widemann* inaug. disp. de Arthritide coroll. 10. argent. 1630. *Joh. Nardius* ad mentem Galeni, nocte geniali 9. p. m 609. *Kircher.* Magnet. lib 3. P. 7. c. 3. pag 693. *J. C. Hammerer* Disp. inaugur. de καθαρτολογία Argentor. 1669 §. 12. Similitudinem tamen hanc negat *H. Grube* l. a. pag. 153. & Gisb. Voetius Disp. select. P. III. pag. 152. Sic *Franc. Courcellius* lib. de vera mitt. sanguinis

nis ratione sect. 1. cap 5. pag 31 ait: „ Ea est medicamentorum purgantium natura, ut si qua debent quan-" titate & qualitate exhibita fuerint, attrahant solum-" modo, quod sibi naturali familiaritate conjunctum fu-" erit; si vero hanc Symmetriam excesserint, & sint vi-" ribus validioribus, quam satis sit ad familiaris humoris" eductionem, quod reliquum est virium, in diverso-" rum humorum attractione consumunt. Etenim phar-" macum, ait[1] *Hippocr.* lib. de Nat. hom. (ex lib. 4. de " morbis) ubi corpus fuerit ingressum, primum quidem" ducit id, quod ex omnibus in corpore existentibus sibi familiare fuerit &c. Modum hunc tradit *H. Petræus* in Agonism. Med. Marpurg. Diss. 2. §.52. *Medicamenta purgantia sive corpus subierint sive non subierint, facultatem catharticam ex se in venas spargunt, quæ primo quidem humorem sibi similem, in defectu autem hujus vel alterius excessu etiam alienum commovet trahitque, qui excitatus & unitus magis inimica sua qualitate naturam irritans, ab eadem* διὰ τῶν ξημφερόντων χωρίων *e corpore evacuatur.* Verum contrarius est hic *Laur. Joubertus* Parad. 9. Dec. 2. atque *Wilh. Puteanus* de medicamentorum quomodocunque purgantium facultatibus lib 1. quorum ille l. c. statuit cathartica potius fugare & expellere, atque ἀντιπαθείᾳ verius quam συμπαθείᾳ opus suum perficere. Eodem modo & pleraque Alexiteriorum, quæ venena extrahere falso dicuntur. Inimicitiam illam purgantium innuit quoque *Moserus* ad *Verulam* Hist. Vitæ & mortis pag. 422. Similiter *Jac. Schegkius* ὦσιν ponit, eamque vult fieri a facultate expultrice per transversas fibras lacessita partim ab acrimonia humorum, partim a pharmaci violentia, qualitate irritante & molestante vasa apud *Sennert.* in Instit. Sed hoc refutant *Sebizius* Disp. de purg. 11. p. 4. Atque *Sennert.* Instit. lib V. P. I. S 1. c. 11. Non desunt, qui combinationem utriusque actionis moliantur, credantque fieri partim trahente pharmaco-

 partim

partim pellente natura, uti *Hippocr.* lib. de nat. hom. & *Galen.* Comm. ad ἀφορ. 22. S. I. & lib. 3. simpl. c. 25. conf. *Horstlus* Exerc. pharm. 6. §. 6. seq. *Joh. Viscerus* disp. de med. purg. viribus Tubingæ habita. *Steph. Roder. a Castro*, tract. de Compl. morb. c. 23. Sic *Nic. Cabeus* philos. magnet. L. II. c. 19. ait: Purgantia ex simililitudine vel dissimilitudine naturæ agere transmissis per totū corpus halitibus seu spirituosis particulis ex vi caloris excitatis &c. vid. Auct. l. d. Chimici in artificiosa rerum ἀναλύσει cum reperissent salis quoddam genus amarum, felleum, volatile, quod esset οἰκεῖον δεκτικὸν virtutis catharticæ, eadem inde specialiori nomine *Salinam* indigitarunt. Est enim hoc inter principia συστατικά, munus a natura sali demandatum, ut sit velut universale rerum omnium lixivium & mundificativum, quod ut diverse se habens diversimode agit: Ita si antimonialibus, mercurialibus, arsenicalibus polleat spiritibus, eam quam hic quærimus purgationis speciem efficit, ait *Petræus* in Agronisin. Marpurg. Med disp. 2. de purg. §. 40. Vero videtur similior, quam nonnulli fovent recentiorum, vim purgatricem illam a TOTA MEDICAMINIS TEMPERIE vel citius vel tardius cum suæ intuitu craseos, tum humoris ipsius educendi vel tenuioris vel viscidioris citra ullam sive antipathiam sive sympathiam agentis sat commode deducendam. Crasis autem illa, si in re difficiti aliquid est dicendum, a sale sui generis crudiore ac aëre aut particulis etiam salis huiusmodi naturam redolentibus videtur derivanda, ait *H. Grube* de Medic. simpl. cognosc. artic. 4. S. 7. pag. 153. & ibidem ex *Poter.* Pharmac. Spagyr. c. 4. probat in sale vim laxativam potissimum residere, & maxime in volatili. Vide utrumque. *Quercetanus* in sua pharmac. ex mente *Galeni* asserit, ex medicamento purgante, dum est in stomacho, elevari partem subtilissimam quasi spiritualem, quæ per corporis partes permeans suo fungitur officio, ad hoc,

ut rite & recte purgatio succedat. Cui videtur accedere *Dominic. Panarolus* Pentec. IV. obſ. 28. qui ibid. odore purgatis probat. *Eraſiſtratus* opinatur, ita vacuari a purgante humores, ut primo tenuiores, modo, craſſiores, demum craſſiſſimi ſuccedant, idque *ex metu vacui*, nulla trahendi vi naturæ, ut allegat *Fallopius* Tract. de purg. c. 2. refutat vero *Galenus* lib. de purg. medic. facult. *Fallopius* l. c. CL. Hammerer diſp. inaug. lib. c. θ. 9. Argent, 1669. Veriſimile eſt, ait *Jo. Walæus* Inſtitt. Med. L.3. c.2. pag.91. fieri ATTENUATIONE & SEGREGATIONE humorum. Plurimi aſſerunt fieri FERMENTATIONE, uti *Highmorus* Disquiſ. Anat. P. III. c.3. pag. 68. *Mart. Schoockius* lib. de ferment. *Sim. Paulli* digreſſ. de febr. mal. pag.89. *Rolfinc.* Med. Comment. lib. V. S. I. c.9. pag. 453. *Pechlin.* de purgant. cap. 13. *Bruno* diſp. de purg. modo ac viis §. 21. ſeq. & de *Med.* fac. §. 19. pag. 14. ac H. *Grube* de Med. ſimpl. cogn. art. 4. S. 7. pag. 151. Multi hoc tribuunt *irritationi*, uti Galenus lib.3. ſimpl. c. ult. & lib. de dignot. & curat. aff. ren. c. 4. (hic quidem a quibusdam inter nothos reponitur:) ERASTUS, Anteceſſor olim meus lib. de occult. Med. & *Jac. Schegkius* it. *Rolfinc.* lib. jam cit. c. 2. in princ. *Bernh. Swalve* disquiſ. Therapeut. ſect. 2. pag. 33. ſeq. An vero hæc irritatio ſit a medicamento purgante, de eo ambigit *Petræus*, l. a. §. 55. ſeq. *Andr. Chioccus* lib. II. quæſt. Phil. & Med. 8. pag. 91. tum demum credit facere irritando, quando omnes indiſcriminatim purgant humores. *Thom. Gornelius Conſentinus* progimnaſm. phyſ 6. de nutricatione pag. 270. inquit: Purgatio fit ex irritamento aſſumti pharmaci alteriusve ſtimuli; quod hactenus plane fuit " incognitum: ſed hanc ſententiam refutat *Sennertus* Inſtitt. l. a. Quamvis poſtremæ hæ ſententiæ præ cæteris ſint plauſibiliores, nec perplexabiles, ut *Plautino* utar. Conf. præterea de purgantium modo agendi Horat. *Augenius* Tom. II. lib. II. fol. 151. *Joh. Chicotius* Epiſt. & Diſſert. Med. pag. 30. Pariſ. 1656. in 4.

SMETIUS itidem Antecessor pridem meus ꝹꝹ in Miscell. pag. 31. *Bernh. Swalve* in Ventric. Querel & opprobr- pag. 218. *Wechtler*. Hom. occid fol 405. Theod. Craanen Prax *Med*. reform. cap. 35. pag. 180. *Just. Vesti* tract. pecul. de purgatione 1688 in 12. *F. Edelmann* disp. de hypercatharsi Jenæ 1681 cap. 3. Arbitror certe agere varia varie, alia emolliendo sive laxando, alia stimulando sive irritando, sive hoc per phantasiam seu per subtilem fiat vaporem &c. alia fermentando, alia aliter. Sit cuique aurea sentiendi libertas, sed pace ægri.

2. DISCEPTANT MEDICI] Disceptant certe, ceu ex antiquis jam fuse deduxit *Jo. Nic. Pechlinus* Exerc. de purg. in proem. præcipue p. 4. seq. & *Jo. Conr. Dieterich*, qui in Jatr. Hippocrat. n. 419. p 571. ita: „De medicamentorum purgantium natura & usu, a Græcis & Arabibus quæ scripta pervenerunt ad nos, ea esse confusa, obscura & erroribus multis corrupta, docet *Guil. Puteanus* Tract. de medic. purgant. facult. c. 1. seq. de „medicamentis purgantibus librum conscripsit Hippocrates, qui periit. Galenus scripsit de hac materia implicate & spinose juxta *Putean*. c. 2. p. 7. seq. Medici Galeno posteriores varie & pugnanter, quod docet idem „c. 1. p. 5. & 6.„ Ut eo minus mirer verba CLmi *Fallopii* de morb. Gall. c. 25. dicentis: „Tria sunt, quæ valde „turbant mentem meam: Primum Magnes; secundum „medicamentum expurgans; tertium hydrargyrum, in quo observo miracula naturæ.

3. PURGANTIUM AUDITU] Consentit *Melch. Sebizius* Coroll 1. ad Disp. de Constipat alvi Argent. 1664. D. *Nic. Neusserus* Verbi Div. Min. medicamento admodum abhorrebat: Eidem vero D. *Christoph. Meisnerus* ad postulatum præscripsit portionem purgantem, quam cum pharmacopœi famulus afferret, ejusque per domesticos fieret mentio, tunc illo audito, non viso medicamento, adeo sufficienter aliquoties evacuebatur, ac si illud per os assumsisset. D. *Sim. Schulzius* in Ann. III. Eph. Germ. Cur. obs. 152. Qui parilem ibi enematis in pueri

eri novenni historiam addit. conf. *Fr. Hofmanni* M.M. lib. 1. c. 8. p. 74. In Actis Philos. Anglic. Collegii Regii p. 550 refert Nobiliss. Dn. *Oldenburgius* de quadam fœmina, cui, cum tonitru audiretur, semper laxata alvus, crebræque fuerint vomitiones, quales nec a fortissimis effici medicamentis possint. Rationes vide apud CL. *Morhof.* in Epist. de scypho vitreo per sonum rupto Lit. E. b. Vomitum ex auditu solo, si de abominabilibus fuerit sermo, aliquando contigisse, scribit Joh. Prohne Diss. de Vomitu. §. 9. Lips. 1688. in 4to.

4. Adspectu] Exemplum exhibet *Marc. Donatus* Hist. Med. mirab. lib. 2. c. 1. p. 91. Ex viro fide digno habeo, Dominæ cuipiam præscriptas fuisse pillulas, eamque a serva petiisse promisso pretio, ut illas deglutiret, id quod & serva fecit. Hera prope, adstans, visis pilulis horrescit, nauseat & satis purgatur, ait *H. Salmuth* Cent. III. obs 14. D. *Joach. Lebii* uxor toties, quoties pater ejus catoptia assumsit, nausea concitata, purgabatur pluribus vicibus. Idem ibid. prius exemplum allegat quoque *C. V. Schneiderus* de osse cribriformi p. 209. qui hæc duo exempla potius ad odoratum refert. Studiosus Hafniensis melancholicus, viso infuso Antimonii dictum factum nausea orta, rogavit ut amoveretur medicamentum, statimque tanta humorum colluvies ἄνω καὶ κάτω expurgatur, ut brevi post sanus salvusque Medico suo gratias hilari vultu & exporrecta fronte ageret. *Thom. Bartholin.* Cent. V. obs. 64. Rationem addit idem. ib. Sæpe ad medicamentorum præsentiam ægris alvus concitatur sive atomis per aerem diffusis, corpusque irritantibus hoc terrore & medicaminis aversione. Novi viri magni Heidelbergæ filiolum, qui ad aspectum, dum alii purpantia sumunt, nauseat & feliciter purgatur. Alia quoque exempla novit *Jo. Dan. Horstius* in literis ad me datis d. 3. Dec. 1674 & *Olaus Borrichius* in Act. Hafn. Vol. V. obs. 49. p. 136. Hinc B. *D. Mich. Ettmüllerus* in Physiol. c. 1. §. 22. ait: „Nec ab extra tantum sed ab intra quoque in imaginatione fortiter sigillatæ ideæ seu species non„ "par-

„parvam in alterando corpore obtinent potentiam, ut „quando v. g. ex imaginatione rei horridæ ſequatur vo„mitus, aut ex viſione pillularum ab altero deglutitarum ſequitur purgatio„, CL. *Harderus* Apiar. obſ. 40. in Scholio ſe noviſſe ait, qui ex ſolo medicamenti cathartici adſpectu aliquoties vomant, apud *Jo. Bohn.* Diſſ. de Vomitu §. 9. Lipſ. 1688. *Mart. Weinrichius* de monſtris c. 8. p. 65. ait: Fuit, qui ſolo adſpectu medicamenti purgantis, quoties opus erat, etſi ne odorem quidem acceпiſſet, ſufficienter expurgabatur.

5. Gustu] Exempla ejus allegat Jo. Dan. Horſtius in literis citatt. Teſtatur idem *H. Petræus* Agoniſm. Marpurg. Diſp. 2. θ. 55. Nec deeſt ratio; ſi enim odoratu, eo magis guſtu poſſunt purgari aliqui. Hinc medicamenta ore ſtatim rejecta feliciter purgarunt, quale ex pillulis in momento rejectis in optima matre Barbara Weinekkia p. m. anno 1666. vidi, ubi inviſebam. Rationem dedit Cel. *Bruno* in Diſp. de purg. modo ac viis §. 7. & Hœfer H. Med. lib. 8. c. 2. p. 375. atque *Bernh. Swalve* Diſquiſ. Ther. S. 2. p. 33.

6. Odoratu] Conſentiunt Melch. *Sebizius* Corol. 1. ad Diſp. de Conſtipat. alvi Argent. 1664. *Jo. Dan. Horſtius* in litt. citt. & *Schmitzius* Comp. pract. p. 11. *Jo. Melderus* Diſp. Inaug. de Hypercatharſi Baſil. 1628. θ. 29. *Anton. Sidobre*, Doctor Monſpelienſis Tract. de variolis & morbillis c. 9. p. 110. Sic Monialis quædam Cœnobii D. Joannis hoc modo purgabatur. *Marc. Donatus* lib. 6. Hiſt. Med. mir. c. 3. D. Pfeil, Medicus Lipſienſis, quoties purgare corpus vellet, pharmacopolia ingreſſus, quando nimirum electuaria elective purgantia recens parabantur, & illa olfecit tantum, deinde domum reverſus, intra eam ſe continuit, non aliter atque alius, qui pharmaco uſus ſexies quoque vel ſepties excrevit, ait *H. Salmuth* Cent. III. obſ. 8. & 14. Pfeilii hoc exemplum allegat quoque *C. V. Schneiderus* de oſſe cribriformi p. 210. & addit, ſe in ſemet ipſo quoque hoc obſervaſſe p. 211. & cauſam rei dein annectit p. 213. p. vero 209 ita

inquit:

inquit: „Usu cognitum est, alvum odore purgativi medicamenti ductam fuisse, & p. p. Idem etiam me vidente & satis admirante Dessæ contigit nobili virgini Annæ Riederianæ; dum enim hæc ad sororis ex poculo purgante bibentis lectum propius accedens atque adstans, odorem medicamenti perciperet, sufficienter inde purgabatur, ac felicius quidem ac ipsa soror, quæ medicamentum hauserat; quam historiam & recenset *Salmuth* Cent. III. obs. 14. Sic de purgatione ab odoribus plura habet Pechlinus de purgant c. 10. p. 114. seq. ubi & de emplastris, pilis, epomphaliis purgantibus disserit *Ettmüllerus* in Colleg. ad Schrœder. de vegetabil. tit. Laurus, ait: „Sunt qui dicunt, quod lauri baccæ putrefactæ, si destillentur, solo odore hausto sequatur purgatio per alvum. „Laudatus modo *C. V. Schneiderus* lib. 5. de Catharrhis c. 1. p. 108. ita: „Marc. Donatus, Henr. ab Heer, Hoochstetterus, & alii, quos lib. de osse cribrif & de sensu odoratus nominavi, quosdam sola nausea & odore alvum citatiorem habuisse proponunt. Fuerunt, inquit Exc. Vir D. Casp. Schottus, nonnulli, qui solo medicamenti olfactu magis purgati sunt, quam si medicamentum intus sumsissent. De Matrona solo odore carnis bubulæ juris alvum sibi movente vide *Henr. ab Heer* obs. 29. p. 320. ubi addit: „Hic aliud quam idiosyncrasian agnoscere meo judicio esset hominis parum eruditi. „Vomitum olfactu irritari posse, statuit etiam *Joh. Bohne* Diss. de vomitu Lips. 1688. §. 9. *Gerard Goris* de Medicina contemta p. 62. hæc habet: „Scribit Guainerius se vidisse Ducis Sabaudiæ Medicum catapotia e pharmacopolio domum ferentem, ab illis solo odore tam strenue purgatum, ac si illamet catapotia deglutivisset. „Senex pædagogus atrabilarius Montispessuli 1651. alvum habebat constipatam, ex præscripta potione emolliente & purgante ex senna (per omnem vitam vero antea purgans non assumserat) solo odore pluries purgabatur, & relicta medicina convaluit, teste *Jo. N. Binninger*, Amico honoratissimo Cent. II. obs. 86. p. 228. *Domini-*

minicus Panarolus Pentecost. IV. obs. 28. vidit in aliquibus & bis in semet ipso expertus est, solo odore purgantium medicamentorum alvum exonerari. Dupliciter experientiam habuit in manna, cum in jure se præsente dissoluta fuit. Idem ib comprobat ex *Schenckio* in observatt. *Alex. Bened.* in lib. de peste. *Barth. Maranta* Method. cogn. simpl. lib. 3. c. 15. *Erasto* c. 60. lib. de occult. pharm. & *Jo. Posthio* in observatt. propriis. Conf. *Sennert.* Prax. lib. 3. P. II. s. 2. c. 4. p. 288. *Thom. Bartholin.* Cent. V. hist. 64. De Matrona odore pharmacorum purgata vid. Smetius Miscell. p. 163. Idem ib. p. 133. de purgatis per solum odorem purgantium aliquot historias proponit; qualia & exhibent *Erastus* l. all. & *Mizaldus* Cent. IX. memorab. §. 95. Hunc purgandi modum cum plerisque fere allegatis Auctoribus, e novis quoque allegavit CL. *Mich. Fried. Lochner.* Disp de faciei promontorio, odoratus organo c. 8. §. 4. Altorff. 1682.

7. In somniis] Exemplum in Consulis Hanoviensis filia, vidit CL. Dn. D. *Waldschmid* Ann. 3. Ephem. Germ. Nat. Cur. obs. 243. quæ a matre increpata, ut purgans sumeret, cum sorore lectum petiit: Ibi post noctis meridiem expergefacta, conqueritur, in somniis sibi visam purgans assumsisse hinc plus quam sexies purgabatur a sola phantasia, humores illos mobiles & fluctuantes deturbante.

8. Retentione in manu] Affirmant id *Melch. Sebizius* Coroll. 1. ad Disp. de Constipat. alvi, & *Schmizius* Comp. pract. p. 11. Contestatur idem *Petræus* in Nosolog. harm. Diss. 1. p. 2. Nimirum ex variis fortioribus purgantibus interdum formatur massa instar pilæ, quæ aliquantisper manu detenta, sæpe satis feliciter purgat. De tali pila purgante Medici Sabaudi ex Erasto narrat *Pechlinus* de purgant. p. 407. *Olaus Borrichius* in Hodoporico suo MSC. hæc notavit: „Anno 1661. d. 29. „Sept. narravit mihi Chirurgus meus, fuisse hic superi„oribus annis grandævum Anglum, qui globo quodam „singulari, in manum patientis inserto, solvebat pro arbi-

trio

trio alvum, & remoto iterum globo, alvus puerpera-" rum & infantum rursus sistebatur, id sibi conspectum" sæpius fuisse: Anne globus ille ex Euphorbio & aliis," quibus solvitur alvus umbilico applicatis? *Petræus* l. c." Diss. 1. p. 22. quærit: Pharmaca num foris admota" purgent? Affirm. At quomodo? Resp. ut electrum fe-" stucas trahit, inquit *Avicænna* ib. de Vir. Cord. cum" hyacintho, si nempe incaluerint.„ Ita Aloe & Colo-" cynthis manibus detentæ ventrem solvunt lege circulationis, ait B. *Sachsius* Ocean. Micr. §. 155. Quin solo *attactu* Colocynthidis quendam purgatum commemorat *Mizaldus* Memorab. Cent. 9. §. 95. & *Thom Burnet.* Thes. pract. lib. 1. s. 13. ex *Anton. Musa Gerard. Goris* in medic. contemta p. 62. qui addit aliud exemplum de Sacrificulo ex Rod. a Castro.

9. INUNCTIONE] Variis corporis interdum inunguntur partibus. Sic *Quercetanus* habet aquam ophthalmicam, tantæ virtutis, ut oculo admota, alvum sollicitare possit, teste Petræo l. c. *Theophrastus* apud *Schneiderum* de Osse cribrif. p. 63. ait: Si hominis præcordia pectusque malagmata ex aromatibus confectis illiniuntur, is continuo ructus aromaticos edit. Interdum purgantia inunguntur abdomini, & specialissime umbilico, (cujus rationem reddit *Melch. Sebizius* in Coroll. sup cit.) Hinc Græcis audiunt ἐπομφάλια, teste *Demetrio Pepagomeno* lib de Podagra c. 39. fol. 716. qui omnino videatur. Talia videre est apud *Rolfinc.* Med. Comm. lib. 5. s. 7. c. 14. per totum & lib. 5. s. 1. c. 29. Tale est Colocynthis, *Walæus* Institt. Med. lib. 3. c. 2. p. 92. nimirum vehementissimum tantum applicatur umbilico, juxta eundem ib. p 94. Alia exempla sunt apud *Jessenium* Institt. Chirurg p. 76. *Aetium* Tetr. 3. serm. 4. c. 27. *Actuarium* M. M. lib 5. c. 10. *Æginetam* de re med. lib. 7. c. 9. *Jonstonum* lib. 12 T 3, *Jul. Cæsarem Claudinum* de Ingress. ad infirm. lib 2 c. 10. p 217. Emplastrum ex Cocco gnidio excorticato contuso cum cera mista factum, ventri impositum alvum solvit, teste *Fel. Plæ*

fero Prax. Tr. 2. c. 13. p. 613. Experientia (inquit *H. Petræus* Nosol. harm. diss. 3. θ. 37.) comprobatum est, Aelleborum etiam exterius adhibitum mira expurgare; cui tamen (quoad vomitum) contradicit *Willisius* Pharmaceut. rational. P. I. sect. 2. c. 1. p. 54. his verbis: „Quod a nonnullis urgetur, Ælleborum album umbili„co admotum vomitum movere, experimento sæpius fa„cto minime verum esse deprehendi. Perdit idem Wil„lisius p. seq. 55. Vomitio post linimentum aut potum „e succo aut decocto Nicotianæ capiti adhibitum passim „succedit.„ Illud aliquoties in infantibus meis scabie capitis laborantibus ita inunctis cum Nicotiana &c. observavi; adde Jo. Bohnii Diss. de vomitu Lips. 1688. §. 9. Colocynthis, agaricus & multa alia umbilico ventri„que applicata, alvum commovent; effluvia nisi admit„tas per patentia foramina & poros corporis insinuantia „se, difficile erit rationes reddere „ ait *G. C. Kirchmajerus* Diss. Epistolic. de passionum animi & corporis morbor. traduce Witteb. 1684. in 4. p. 26. seq. Modum, si velimus, dat *Rolfinc.* in Additt. ad Med. Comm. p. 1067. Circulationem *Sennert.* Institt. lib. 5. P. I. S. I. c. 11. vult transmitti per umbilici vasa in humorem ad se elicientem, quæ naturam stimulet. Conf. *Höfer.* H. M. lib. 8. c. 2. p. 374. & *L. Goubetr.* Dec. 2. parad. 9. fol. 140. ubi hanc in rem adducit unguentum illud, quod ex *Alexandro* recitat *Mesue* lib. 2. simpl. purg. cap. de Cyclamino, vulgo de Artanita dictum. Verum cum pinguia hoc recipiat, quæ purgantium vim non parum hebetant, aliud tradit *C. Höfmann.* apud Cratonem lib. 3. fol. 104. quod arridet *Höfero* l. a. p. 375. *Luc. Tozzi* in Medicina tit. de Pharmacis catholicis & emeticis p. 237. ait: „ Butyrum sale commistum, unguentum de Artani„ta simileve aliud umbilico immissum, dejectionem „provocat.„ Conf. quoque *Schmitzii* Comp. pract. p. 11. Ita ad laxandam alvum a *Melch. Sebizio* in Spec. Pract. P. I. sect. 1. c. 1. commendantur sacculi epomphalii, teste *Welschio* ad Walæi M. M. p. 42. *Adr. Spigelius*

tus lib. 6. de H. C. Fabr. c. 4. p. 232. ait: „Similiter hinc“ causam petere licebit, ob quam unctio supra umbilica-“ lem regionem facta medicamentis purgantibus ven-“ trem non instrenue purget. Per arterias enim medi-“ camenti vis attrahitur, & per arterias eadem postea“ purgat &c. Augustissimo Friderico III. Daniæ & Nor-“ vegiæ Regi piissimo, in ultimo morbo d. 7. Febr. 1670. post levem cœnam hora 8. Emplastrum ex Arthanita & oleo dia-colocynth. Quercet. umbilico impositum, a quo alvus commode mota, excrementa biliosa valde fœtentia ter exclusit; verum die seq. 8. Febr. per noctem Emplastrum de Arthanita umbilico adhibitum alvum non movit. Vid. *Thom. Bartholin.* in Act. Hafn. Vol. I. n. 39. p. 72.

10. INFUSIONE IN VENAM] Hoc commendatur ex *Sachsio* in Ocean. Macro-Microcosm. §. 155. fol. 146. & Dn. D. *Majore* apud *Rolfinc.* Med. Comment. lib. 5. S. 7. c. 15 & in addendis p. 1066. seq. Experimentum Angli tentarunt teste CL. *Sachsio* apud CL *Majorem* in prodrom. Chir. inf. §. 13. ut & Sereniss. Princeps *Rupertus Palatinus*, meminitque *Casp. Schottus* in Admir. Art. lib. 11. c. 21. p. 891. & Comes quidam oculatus apud *Sachs.* occasionemque dederit *Borell.* Cent. IV. obs. 6. Conf. *Thom. Willis* Pharmaceut. Rational. lib. 2. c. 1. p. 54. seq.

11. GESTATIONE SUB PLANTIS PEDUM] Non miror amplius, (inquit *Hoferus* H. M. lib. 3. c. 5. p. 201.) Medicum quendam Germano-Hispanum Viennæ, Matronæ illustrissimæ a Kroneck, annis abhinc 20. prope delicatæ, & medicamentorum sumtionem per os omnino respuenti, massam pillularum ipsi plantæ pedum supposuisse, ut sic purgaretur per alvum, quod nonnullis ridiculum videretur.

12. ACCUBITU, UT ET COITU] *Pechlinus* de purgantibus c. 30. p. 409. ait: Retulit mihi medicus aliquis, se observasse mulierem, quæ cum sub eadem veste aut strato cubaret cum alia & socia muliere ante quie-

tem purgante usa, ipsam sobriam omnisque medicaminis expertem aliquoties de nocte purgatam fuisse; manifesto argumento, effluviorum aliquam vim esse, silente noctu omni affectu animique dolore. Ad *Coitum* cur ab assumtis purgantibus stimulentur viri, causam reddit & ex Platero illustrat *Rolfincius* de part. genital. P. I. c. 24. p. 58. seq *Borellus* in Epilog. Observatt. p. 354. meminit viri, qui a sumto purgante venerem cum uxore exercuit, inde hæc præ illo purgata remansit. Et *Sinibaldus* Geneanthrop. lib. 3. Tr. 1. c. 12. narrat, quendam a pharmaco irritante excitatum una cum semine vim purgantem in meretricem transfudisse. Simile quid D. *Jo. Dan. Horstius* Obs. Anat. X. p. 31. scribit: „Bertrandus „Rozius apud Salern. c. 129. cum semime vim & virtu„tem pharmaci transfudit in uxorem. Idem recordor „Nobili cuidam mihi amicissimo Aureliæ in Gallia con„tigisse, qui scorto post horam jusculum ferenti inter „meretricios amplexus per coitum assumti pharmaci ef„ficaciam insinuavit, ut ἄνω καὶ κάτω vehementer de„cies purgaretur.„ Ibidem prolixe differit laudatus Horstius de viis, per quas talis vis afferatur. Quid si ab odore inter decumbendum quid si ab imaginatione provenerit? præcipue cum sciverint, virum purgantibus usum. Eadem ex Horstio narrat Mœbius Fund. Physiol. p. 482. quem vide. Conf. & *Balth. Timæum a Gyldenklee* 3. Cas. Med. 50. qui & rationem reddere conatur. Imo a purgantibus venerem stimulari, aliquot exempla prostant, uti apud D. *Dav. Spilenberg* Ann. II. Ephem. Cur. obs. 11. & Plater. lib. 1. obs. med. p. 245. citante D. *Sachsio* in Schol. & d.l. Ephem. Simile & notabile valde est, quod habet *Mizaldus* Cent. VIII. hist. 76. Dormiens Rusticus in campo serpentem per os ingressum esu allii post compescuit; ubi vero coitum celebrarat, uxor obiit, propter venenum coitu communicatum. Eadem narrant *Borellus* Cent. IV. in Epilog. & *Jo. Wolfius* Lect. memor. T. II. fol. 503.

13. LACTATIONE] Conf. omnino *Charleton* Oeconom. Animal. Exercit. III. de Galaxia n. 6. p. 28. qui simul exemplum ex *Prosperi Martiani* Comm. in Hippocr lib. de Natur. puer. allegat.

14. IMAGINATIONE] Ex mera imaginatione purgationem factam vide apud *Chr. Franc. Paullinum.* Anno 6. & 7. Ephem. Nat. Cur. Germ. obs. 238. Adde *Jo. Schmidii* observationem, ibid. anno 4. & 5. obs. 160. *Jo Bohnii* Disp. de vomitu Lips. 1688. § 9. *Jo. Melderi* Disp. inaug. de Hypercatharsi Basil. 1628. θ. 29. Modum docet *Pechlin.* de purgantibus p. 409. *Fernelius* lib. 3. de M. M. c. 10.

15. ANIMI PATHEMATIBUS] *Fabricius Hildanus* Cent. I. obs. 18. annott. p. 35. scribit: Matronam honestissimam & piam cognovi Düsseldorpiæ, quæ adeo a pharmacis abhorrebat, ut mannam aut sirupum rosaceum vix potuerit sumere: Contra tali naturæ beneficio erat prædita, ut ex minima etiam animi perturbatione, præcipue ex ira, alvus adeo subduceretur, ac si pharmacum quantumvis efficax sumsisset.

16. METU] Ita in canibus aliisque animalibus metu fustium alvus sæpe liquida & purgatrix. Princeps quædam Palatina E. M. T. postea R. I. antequam nuberet, quoties alvus ei constipabatur, imperabatur clyster; verum viso illo saltem a longinquo statim solvebatur alvus, ceu Serenissimus ejus frater L. A. O. T. M. M. mihi retulit Ellingæ d. 2. Nov. 1688.

17. FONTICULIS] Vomitum de Helleboro fonticulis indito in quibusdam subjectis annotavit *du Hamel* de Affect. corp. p. 376. teste *Jo. Bohnio* Disp. de vomitu §. 9.

18. ESU OVORUM BARBI] Ea de re peculiariter commendati sumus olim in observatione quadam Ephemeridibus Germ. Nat. Cur. inserta.

19. CRYSTALLUM] Vox Græca est; Κρύςαλλος enim a κρύος gelu, & ςέλλω contraho dicitur, teste

Schrœdero Pharmac. lib. 3. p. 33. qui ex ista Etymologia *glaciem* esse probare conatur; & vere κρύςαλλον pro gelu usurpat Homerus Odyss. ξ.

- - - σακέεσσι περιςρέφετο κρύςαλλος.

Quanquam & Græci κρύος, quod frigus notare scimus, aliquando lapidem cryſtallum vocent, teste *Aristophane* in Nebul. Critici alias, ut vocis κρυςάλλȣ de gelu & lapide dictæ differentiam notent, observant, priori sensu de gelu dictum esse masculini, de lapide vero usurpatum, fœminini generis; ut in Antholog Epigramm. Græcor. teste Jo. Crispino in Lex. Græc. suffragari videtur *J. H. Ursinus* in Analect. lib. 1. c. 3. p. 513. scribens: „Cryſtallus tantum muliebre esse agnoscimus; ita *Pro*-„*pert.* lib. 4. Eleg. 3. Chryſtallusque tuas ornet aquata „manus. Similiter semel iterumque *Plinius* H. N. lib. 37. „c. 9. item auctor carminis typhallici; & *Cinna* versu eo, „quem non alibi, quam apud veterem Juvenalis inter-„pretem in Satyra VI. reperias.

„Atque imitata nives ludens legitur Chryſtallus.

„Ubi pro ludens *lucens* legi debet. Græcis tamen pro gla-„cie quidem est virile, ut apud Lucianum in Historia „scribenda: τὸν κρύςαλλον τὸν κέλτικὸν *glaciem Celti*-„*cam*;" pro gemma autem utroque genere invenitur.

Vocem קָרַח gelu glaciem Ps. CXLVII. 17. LXX. reddunt κρύςαλλον. Vnde Commentatt. ex Plinio H. N. lib 37. c. 2. annotant, in perfrigidis regionibus concrescere aliquando nives in cryſtallum, ideo nec cryſtallum reperiri, nisi ubi maximæ hibernæ nives rigent; igitur cryſtallum esse glaciem autumant, quia & Græci ei nomen dedere a κρύος glacies & ςέλλω contraho, quod ex glacie frigoris vehementer obdurescat in lapidem. De ejus differentiis & quantitate ita *Jos. Simlerus* lib. 1. descriptionis Vallesiæ p. m. 17. „Duorum generum Cryſtalli „in Alpibus Vallesiæ reperiuntur, unum, quod præstan-„tissimum est, clarum & pellucidum, alterum subobscu-

rum

rum, nonnunquam crocei aut alterius coloris, quædam" vero exterius quodam quasi velamine obductæ, interi-" us claræ puræque sunt. Magnitudo eorum diversa est:" Nam ferunt nonnunquam integras & non vitiatas pon-" deris quadraginta librarum aut etiam quinquaginta reperiri. De generatione crystalli plura omnino exhibet *Fried. Hofmann* ad *Schrœder* pharmac. p. 177. Crystallum partim in terra, partim e nive generari, prolixius asserit *Conr. Cellarius* Partition. meteorolog. sect. 26 art. 4. p. 314 seq. Idem tamen in Institutt. Phys. lib. 3. meteor. c. 7. §. 113. statuit esse gemmam perspicuam, instar glaciei & relucentem. De Crystallo fusius quoque agit *Petr. Franc. Scarabelli* nel museo del Signore Settala c. 9. p. 44. seq. it. *Salmuth* ad *Panciroll.* Tom. II. Tit II. p. 158. seq. Joh. Belethus, Theologus Parisiensis, qui floruit circa A. C. 1160. in Rationali divinor. officior. c. 107. p. m. 194. b. ait: "Elicitur aliquando ignis e crystallo;" nam si crystallus supponatur orificio phialæ aqua plenæ" ad solem, sine mora ignis e crystallo illico excutietur," si igni fomentum, quod apponi solet, adjunctum fuerit." Crystallus significat puram & pellucidam Christi car-" nem, quæ sine labe fuit." In montibus Insulæ Ceylon copiose inveniri crystallum, testatur *Philippus a S.S. Trinitate* lib. 2. Itinerarii c. 15. Ad Lacum Lemanum purissimum crystallum inveniunt incolæ, D. Joh. Merckero in Apodemicis p. m. c. 9. b. teste. Sic in Norvegia Islandiaque effossum, crebro huc Hafniam transferri videmus. Idem accidit in Bohemia, ubi præstantissima vitra moniliaque affabre elaborantur.

20. GLACIEM AUT NIVEM] Statuerunt hoc *Statius Papinius* Sylvar lib. 2. v. 126. *Plinius* H. N. lib. 37. c. 2. *Propertius* lib. 4. Eleg. III. *Gregorius* super c. 1. Ezechiel. & *Isidor.* Orig. lib. 16. c. 13 apud C. *Barthium*, *Anglic.* XVI. 31. *Paracelf.* Tom. VIII. lib. 2. Phil. text. 4. *Tandler* Disp. V. qu. 7. *Chunr. Theodoricus* Disp solen. XIII. Giessæ 1608. *H. Welsch.* Reisebeschreib. c. 43. p. 235. *Kircherus* de Magnete lib. 1. P. I.

cap. 2. p. 6. & lib. 3. P. II. c. 1. p. 510. hujus postremi tamen cogitationes in Mundo subterr. sunt sapientiores. Aliqua interim argumenta pro hac sententia possunt legi apud Morhof. Epist. de vitro sonitu rupto pag. m. β. 2. b. & β. 3. a. *Glaciem* esse consentit *P. Jo. Faber* Hydrograph. Spagyr. c. 18. p. 75. *Paul Voetius* Disp. II. Phys. de aqua § 9. p. 234. *Diodor. Siculus* lib. 2. Bibliot. f. 134. Erycius Puteanus in Poemate, cui nomen Bruma, v. 172. seqq. ita;

- - - - - frigoris arte
Pulcrum prodigium constat: *Crystalla* gelantur,
Succineusque liquor: flavam dant frigora gemmam.
Est glacies gemma, e glacie sibi mollis adaptat
Luxuries cyathos, nec terrent frigora Bacchum;
Pulchrior & glacies vitro est - -

ad h. l. *Andr. Valerius* p. 41. in Nott. ait; „*Statius Papin.* lib. 1. Sylvar. in Epithalam. stellæ v. 129:

„Raraque longævis nivibus *Crystalla* gelari.

„Crystallum enim glaciem esse certum est; unde & „græcum illi nomen παρὰ τȢ̃ ςέλλεϑαι ὑπὸ τȢ̃ „κρύος; nec alibi reperitur, nisi ubi maximæ hybernæ „nives rigent; ita Plin. lib. 37. c. 2. paria tradit Isidor. „lib. 16. Originum c. 13.„ Verum omnium istorum opinionem merito post *Matthiolum*, *Cardanum* lib. 7. de Subtilit. *Boetium de Boot*, *Agricolam* lib. 6. de Nat. fossil. c. 7. refutavit *Thomas Brown* auctor Anglus in elegantissimo lib. Pseudo-doxia Epidemica lib. 2. c. 1. ut ait Morhof. in Edist. cit. it. *Georg. Bertinus* lib. 18. c. 15. p. 514. *Petrus Arlensis de Scutalupis* lib. de Sympathia septem metallor. c. 2. *Sennertus* Phys. lib. 5. c. 4. *Thom. Bartholin.* de nivis usu Med. c. 15. p. 102. seq *P. J. Sachs* in Schol. ad Ann. 1. Ephem. Cur. Germ. obs. 73. p. 129. *Kenodæus* lib. 2. de *Mater Med.* s. 2. c. 12. Ratio quia calore non solvitur, nec in aquis natat, nec semper in regio-

gionibus frigidis & glacialibus, nec desit in calidis &c.

21. LAPIDEM] Ita *Scribon* Phys. lib. 2. p. 109. *Mylius* Basil. Chym. lib. 4. c. 23. p. 411. seq. Fuse vero ejus ortum proponit *Kircherus* Mund. subterr. lib. 8. sect. 1. c. 7. fol. 19. seq. Conf. de eadem plura apud *Salmasium* in Solin. fol. 205. seq. qui evolvi meretur; *Dempsterum* ad lib. 3. Corippi, *Lipenium*, de Navig. Salom. Ophir. c. 8. sect. 3. §. 16. *C. Barthium* in posteriori Comment. ad Claudian. *Boot* de Gemm. & lapid. lib. 2. c. 73. *Wormium* in museo & B. *Cæsium* de Mineral. Hinc Schrœderus, sup. c. ait: Gemmam si vocare libet, licet, modo omnium mollissimam dixeris. *Anonymus* quoque *Helmetius* lib de curatione calculi textu 15. p. 126. ait: Crystallum esse de Regno minerali quamvis illi contradicere videatur *Christoph Cachetus* in Apologia dogmatica contra dictum auctorem ad l. all. Art. 3. p. 130. qui tamen tandem addit: "Quanquam nec ego jurare velim" in verba Plinii, præter glaciei aut nivis concretionem" nullum alium crystallum agnoscentis; admitto libens" volensque, mineralem quoque succum quendam terræ" penetralibus reconditum in crystallum concrescere;" quæ etiam fere repetit art. 4. p. 131. Optime rem decidit *Claudius Campensius* Medicus lib. 2. philos. natural. c 7. p. G. 7. a. inquiens: Qui vero dixerunt, crystallum" gigni ex gelu arefacto, non sunt habendi philosophi;" quandoquidem nihil gelu tantopere siccari potest, quin" sit semper ineptum ad ferendum calorem, sit ergo ex" succis obduratis & coactis in locis terræ interioribus, aut" ibi, ubi gignitur crystallus.

22. FRIGIDA] Hoc tamen videtur negare *Thom. Campanella* Compend. de rer. nat. pro philos. hum. p. 55. sed male.

23. ALIISQVE MOREIS] De usu crystalli mira Auctores. *Refrigerat*: *Joh. Langius* lib. 2. Epist. 49. *adstringit*: *Berthinus* l. a. Hinc *contra sitim*, *Vitalis de Furno* c. 64. fol. 70. *Clem. Clementin. Amerinus* c. de siti fol. 107. *Sennert.* l. all. *Fried. Hofmann.* Clav.

Schrœder. p. 177. seq. *Macasius* Promt. Med. p. 320. Contra *ardorem stomachi idem* p. 325. ad *choleram humidam* probatissimum & præsentissimum remedium, dosi. ℥ß. per se vel cum Elect. Quod & nupero Sept. 1674. in pellionis uxore ipse observavi. Consentiunt Bertinus l. c & Schrœder Pharmac. lib. 3. c. 8. qui etiam laudat *Cœliaca*. *Sennertus* lib. 2. de Febr. c. 13. ex *Jo. Langii* lib. 3. Epist. 1. apud Hœfer H. M. nominat *bilis porraceæ & dysenteriæ* antidotum. Conf. *Bertinus* l. c. *Wecker* Ant. spec. lib. c. 6. *Scribon.* l. a. *P. Aponens.* lib. de aquis apud *Langium* l. c. *Sennertus* Phys. lib. 5. c. 4. *Schrœderus* In *oris ulceribus & cancris Holler* Institt. Chirurg. lib. 6. c. 8 contra *catharros River.* Prax. lib. 1. c. 15. *Podagram Mylius*, *Schrœder* l. a. Ad omne *profluvii* genus *Bertinus*, e. g. *uteri Scribon. & Schrœder* l. a. *menses albos*, *Sennertus* Phys. lib. 5. c. 4. *Wecker* ac *Bertinus* ll. cc. Ut eo magis mirer, commendari ut *aperitivum & menstrua provocans* a *Clem. Clementino* de Med. Comp. c. 8. fol. 167. Alias contra *calculum Barth. Turrianus* Jatrob. fol. 269. *Thom. Mouffet* de Iure & Præst. Chim. *Greg. Horstius* Tom II. fol. 237. apud *Hœfer.* p. 174. *Wecker*, *Mylius*, *Schrœder* ll. cc. *Beguinus* in Tyroc. Chym. & *Crollius* de Signat. p. 38. In *plica polonica* laudat ad ℨj. *H. Saxon.* lib. 10. Pract. c. 59. *Cephalalgia* Reineccer. Thes. Chym. lib. c. 6. ut & in *Mania*, *Melancholia* & *Vertigine*, in qua etiam *Macasius* p. 273. ad *dentifricia* & *cosmetica* alia *Renod.* l. a. Contra Mercurii sublimati haustum ℨj. cum oleo amygdal. *Sennertus* lib. 5. Phys. c. 4. ex Boetio de *Boot* & *Matthiolo*. *Schrœder* l. c. item contra arsenicum *Silv. Rattray* de Symp. & Antipath. ac *Bertinus* l. c. Miror vero, quod dicant *lac augere* cum melle vino aut jusculo *Sennertus*, *Weckerus*, *Scribon*, *Bertinus*, *H. Mylius*, *Schrœder*, *Silv. Rattray*, *Vital de Furno* c. 74. *Paracels.* Tom. VI. p. 183. Rationem quidem vult dare H. Saxon. l. sup. c. Sed non sufficit.

SATY-

SATYRA QVARTA.

§. I.

MIrabile est 1.) *impuberes alios* 2.) *generasse* 3.) *peperisse alias.* Mirabilius est dari *fœtum* 4.) *in fœtu*, seu embryon in embryone æque ac *nasci* 5.) *fœtum ex mortua matre.*

NOTÆ IN SATYRAM IV.

1. IMPUBERES] Qui vocantur, fusius ex aliis deducunt *Joh. Calvinus* in Lex. Jurid. fol. 435. a. & *Alberic. a Rosate* Diction. Juris lit. I. hac voce & ad h. l. *Joh. Franc. Decianus* in additt. Quamvis accurata decisionis ratio primario ex Medicis petatur, teste *P. Zacchia* lib. 1 T. 1. qu. 5. n. 27. seq. quare evolvatur *Casp. Bravo* resolutt. Medic. pag. 6. & *Zacchias* Quæst. Med. Legal. 1. n. 10. & 11. & quæst. 3. n. 21. & quæst. 4. n. 33. libri. I. T. I. *Balth. Bonifacius* Hist. ludicr. lib. 4. cap. 18.

2. ALIOS GENERASSE] *Craterus* Regis Antigoni frater novisse se scribit quendam hominem, qui spatio septennii & puer fuerit & adolescens & vir senex, & uxorem duxerit & progenerata prole mortuus, *Phlegon.* de mirabil. conf. quoque *Marcell. Donat.* Hist. Med. fol. 617. Novennes & decennes pueros non tantum coivisse, sed & generasse refert ex aliis P. Zacchias lib. 1. T. I. qu. 4 n. 28. additque se etiam scire exemplum. Talia commemorat quoque *Marc. Donat* l. jam cit. Ita D. *Hieronymus* Epist. ad Vital. Tom. III Epistolar. scribit: Audivi, Domino teste, non mentior, quædam muliercula cum infantem nutriret expositum & stillaret cibos, ac nutricis fungeretur officio cubaretque cum ea parvulus, qui usque ad decimum annum jam pervenerat, accidit, ut plus quam pudicitia patitur, se mero ingurgitaverit, accensaque libidine obscœnis motibus infantem ad libidinem duxit. Prima ebrietas alterius

„noctis & cæterarum deinceps consuetudinem fecit, „nec dum menses duo fuerant evoluti & ecce fœminæ „uterus intumuit.„ Hæc cum allegaret *Cæl. Rhodigi-* „*nus* Lect. Antiqu. lib. 14. cap. 8. addit: Mira utique „ista sunt, & quæ vix impetrent fidem ni a sanctissimo „tradita viro puderet non credere. Alii D. *Gregorio* hanc historiam tribuunt, uti *Gloss.* in Sum. 20. qui 1. apud *Zachiam* Conf. alia apud *Chunrad. Theodor.* Disp. solenn. 4. Giessæ 1608. *Tiraquell.* de Legib. Connubial. lib. 6. *Balth. Bonifacium* Hist. Ludic. lib. 2. cap. 18. *Corasium* Miscell. lib. 6. cap. 23. n. 4. *Covarruviam* Decret. lib. 4. P. II. c. 5. n. 4. *Montanus* in lib. Gesandschafft an den Käyser zu Japan fol. 365. ait: Joseph Scaliger meldet, daß ein frantzösischer eilffjähriger Knabe seine Bluts-Verwandtin von neun Jahren geschwängert. Der Pabst Gregorius der Grosse hat ein sieben-jähriges Mägdlein gekennet, welches von einem Knaben, der nur zwey Jahre älter gewesen, befruchtet war. Dem König Ahas ist im Ausgang seines eilfften Jahres ein Sohn Hißkias gebohren worden. II Reg. XVI. 2. & c. XIIX. v. 2.

3. Peperisse alias] Puellas paucissimorum annorum & coivisse & peperisse aliquando testantur historiæ. *Solinus* de situ orbis cap. 63. memorat quasdam mulieres Indicas, quæ quinquennes generant, octennes tamen consenescant & pereant, apud *P. Zachiam.* *Plinius* lib. 7. cap. 2. H. N. ex *Clitarcho* & *Megasthene* refert incolas quasdem Indiæ mulieres Mandros & Calingas quinto anno, ad summum septimo concipere & fœtum gestare. Inde forte acceperunt quoque *D. Augustinus* de Civit. Dei lib. 16 cap. 8. item *Arrianus* Rer. Indicar cap. 174. *L. Domit. Brusonius* lib. 3. memorab. cap. 2. (quamvis *Jo. Arnold. Friderici* Disp. pro loco de sterilit. muliebr. cap. 3. Jenæ 1664, hanc

Plinii

Plinii relationem nil cum veritate conforme habere scribit:) De quadam Rasbatica in India *tertio* ætatis anno menses patiente & sexto anno pariente *Mandelslo* in Epist. ad Olear. fol. 11. & lib. 1. Oriental. Reise-Beschreib. cap. 39. fol. 117. seq. *Mich. Wiedemann* in nott. über den alamodischen Bischoff, n. 19. pag 39. ex *Erasmi Francisci* ausländischen Sitten-Spiegel, lib. 3. cap. 2. pag. 931. & 935. sequentia citat: In Ind-Osten nehmen auch Kinder einander zur Ehe, wenn der Knabe neun Jahr, das Mägdlein aber sieben Jahr alt ist: Lindschott. Navig. orient. lib. 1. cap. 36. Sonderlich die Roßbuthen (sind auch Ind-Ostenische Heyden) halten im fünfften oder sechsten Jahre Hochzeit und Beyschlaff, und diese Kinder zeugen offt wieder Kinder, ehe sie zehen oder eilff Jahr alt werden. Die Brujanen in Ind-Osten thun dergleichen, und verehlichen die Kinder noch in der Wiegen, und wann des Knabens Eltern das Mägdgen von ihren Eltern durch eine ziemliche Summa Geldes gleichsam erkaufft haben, nimmet sie des Knabens Mutter zu sich, und ziehet sie mit einander auff, lässt sie beysammen schlaffen, spielen und schertzen, so lange biß Ernst draus wird. Stirbt der Knabe vor der fleischlichen Vermischung, so muß das Mägdgen ewig eine Wittwe verbleiben, ehe sie eine rechte Frau worden; doch werden sie gemeiniglich Huren oder Täntzerin. Mandelslo von der Hinreise nach Ost-Indien, lib. 1. cap. 36. De puella, quæ *septem* annorum videbatur devirginata lege sis *Petronium* Satyr. pag. 11. ubi Quartilla addit se nunquam meminisse fuisse virginem. OCTENNES ingravidatas vide apud *Marcell. donatum* l. a. *Forolivienʃis* super Part. I. de membris generationis scripsit

psit auctoritate fide digni puellam octavum annum agentem fuisse impraegnatam, apud *Schenckium* in observatt. lib. 4. Puella quaedam in Suevia anno aetatis octavo puerum peperit, ut habent Annales Suevici, quos citat *Christ. Matthiae* in Theat. Hist. sub Rudolpho I. Imp. pag. 970. b. Puella *novem* annorum A. C. 1356. ad confluentiam Mosae & Rheni ex servo concepit & puellum peperit, uti ex *Massaeo* refert *Wolfius* Cent. XIV. Memorab. fol. 620. Alias refert *Albertus M.* lib. 4. sent. *Jubertus* lib. 2. Error. popul. cap. 2. *Jac. a Partibus* Comm. l. in Avicenn. cent. 20. Tr. 1. cap. 12. *Joh. Fochsius* apud *Lamb. Danaeum* lib. 2. Ethic. cap. 14. *Marc-donatus* l. c. *Savanerola* Tr. 6. cap. 21. rubr. 6. (cui quidem fidem abjudicat *Friderici* in disp. sup. cit. adjudicat tamen *Greg. Horstius*. tr. de causis similitud. *Sylvius* in Comm. de mensib. mulier ex *Joh. Capella* Seniore Medico Francisci Regis. Utrumque commemorat & *Mart. Weinrichius* de Monstris cap. 8. pag. 72. b. his verbis: „Monstrosam habuit Savanarola puel„lam a se visam gravidam nono aetatis anno, qualem & „*Jo. Capella* Medicus Francisci Regis doctissimus vidit. Apud Colchos plerasque ostendi matres anno aetatis DECIMO testetur Busbequius Epist. 3. Turcic. Legat. quod cum mirere, jussae infantem proferunt grandi rana haut multo majorem. De Ras buticis similia sup. ex Mandelslo notavimus. *Thom. Bartholin.* Cent. 5. hist. 17. meminit virginis decem annorum nuptae & duodecimo anno generantis; taliaque haud raro apud Hispanos Lusitanosque, imo & Italos Gallosque occurrere exempla fide digni & αὐτόπται retulere nobis testes. Conf. Sinibald. Geneanthrop. pag. 291. *Marcus Donatus* l. saepe cit. *Brandmyller.* in Manuduct. ad jus Canon. & Civ. pag. 221. Nimirum haec rara sunt. Multum quoque conferre potest temperamentum, regio &c. Ex ante dictis patet non adeo veram esse *Tornamirae* sententiam, ubi statuit mulierem; si infra undecimum annum conceperit, mori propter matricis parvitatem apud M. Weinrich. de Monstris cap. 14. p. 127. b.

4. FOETUM IN FOETU] Varia huc pertinentia congessit D. *Jo. Jac. Stolterfoht* in Novis Liter. Maris Balth. Ann. 1699. m. Januar. p. 29. seq. qui omnino videatur. In Fionia edidit fœmina embryonem, in cujus tumido fœtus fœmellæ ventre in loco consueto alius fœtus sexus fœminini omnibus modis perfectus inventus fuit, circiter spithamam longus, unguibus & pilis instructus, teste *Thom. Bartholino* Cent. 6. Hist. 100. & de insolitis partus viis c. 16. p. 124. & Cent. III. Epist. 23. ex eademque refert *Phil. J. Sachsius* ad Jo. Dan. Majorem de serpent. & cancr. putrefact. p. 54. qui p. seq. 55. addit: Ast embryonem in utero alterius genitum, de hoc omnes cum ranis seriphiis silent. Referri huc meretur notabile illud exemplum circa Naumburgum factum, quod narrat D. *Gabr. Clauderus* obs. 72. dec. 2. An. 3. Ephem. Germ. Nat. Cur. p. 164. ubi plura quoque alia addit. Idem Naumburgense exemplum ex Ephemeridibus istis refert *P. Baelius* Nouvelles de la Republique des Lettres m. Octobr. 1685. p. 1092. addens p. seq. Les exemples sont fort rares. Terræ Persicæ parte quadam *mure* fœmina aperta fœtus fœminini prægnantes comperiuntur, ceu habet *Aristoteles* lib. 6. Hist. Anim. c. 37. ex quo etiam *Plinius* lib. 10. H. N. c. 65. & *Aelianus* lib. 17. Hist. Anim. item *Mizaldus* Memorab. Cent. IX. §. 42. & lib. 1. Arcanor. p. 44. ut & *Jonstonus* Thaumatogr. Classe VII. c. 27. p. 322. Conf. quoque *Thom. Bartholin.* de Insolit. part. hum. viis. c. 16. *Deusingius* in Vindiciis fœtus extra uter. gen. p. 35. seq. Ex Plinio eadem citat *L. Dom. Brusonius* lib. 3. Memorabil. c. 2. In Hispaniæ littore cum Naufragæ navis costæ & tabulæ in ædes Capitanei maritimi fratris Excell. Medici *Steph. a Castro* deferrentur, tanta inde glirium copia exivit, ut insigniter tota domus infestaretur. Inter cæteros captus unus monstroso ventre, qui apertus fœtum edebat justa magnitudine muris, hic cum & ipse dissecaretur, utero catulos gerere manifestissime formatos visus est, teste D. *Steph. a castro*, Medico Veronensi CLmo. De VACCA in Hungaria

garia vitulam alia vitula minima prægnantem enixa, lege *Dav. Spilenberger* 1663. apud *P. J. Sachs.* lib. cit. p. 57. & in Scholio ad obs. 36. Anni I. Ephem. Germ. Cur. DE EQUA mulam alia mula prægnantem pariente vid. *Torquemada* Dial. VIII. *Cælius Malaspina* nel Giardino di fiori curiosi. Hanc quoque historiam habet *Euseb. Meremberg.* lib. 6. Hist. Nat. c. 2. apud *P. J. Sachs* P. cit. p. 55. In CERVI, cum evisceraretur, alvo hinnulum repertum, scribit *Joh. Langius* Tom. I. Epist. 70. p. 376. Rationem ex *Aldrovando* vult reddere *Casp. a Reies* Camp. Elys. qu. 36. n. 28. De MULA prægnante vide *Alex. Benedict.* de Morb. cur. lib. 25. c. 29. Conf. Theod. *Kerckring.* Spicil. Anatom. obs. 95. OVUM in alio ovo meminit ex *Harveo* Exerc. XI. p. 86. *Bartholinus* Cent. V. hist 95. p. 176. & Cent. IV. hist. 14. ac Cent. IV. hist. 14. Cent. III. Epist. 42 & Cent. IV. Epist. 63. Alterius exempli ab A. 1679. meminit *idem* in Actis Hafn. Vol. V. obs. 17. p. 72. & *Georg. Seb. Jungius* in Ephem. Germ. Cur. Anno II. obs. 250. scribit, d. 15. Junii 1671. ancillam suam tale ovum prægnans aperuisse, cujus rei ibid. p. 349. rationem reddere conatur. Aliud exemplum In India Orientali refert D. *Cleyerus* Decur. II. Ephem. Germ. Nat. Cur. Ann. I. obs. 17. p 39. Aliud itidem *I. G. Sommer* l. a. obs. 44. p. 122. Conf. de hac materia ulterius *Thom. Bartholin* Ephem. Germ. Cur. Anni 1670. obs. 36. & de insolitis partus hum. viis c. 16. p. 127. *G. H. Welschius* Eph. cit. Ann. 1672. obs. 32. *Jo. Sigism. Elsholtz* ibid. Ann. 6. & 7. obs. 80. *G. W. Wedelius* ibid. 122. Exemplum notabile ex Hanemanno refert *Jo. Chr. Sturmius* in Calendario anni 1662. in Mart. Jo. Bapt. du Hamel in Reg. Acad. Scient. Hist. lib 3. sect. 5 c. 2. § 7. p. 254. ait: D. „Sedileau Epistolam a Carthusiano scriptam „accepit, in qua Cyprinum piscem non raro lacteam in „ventre pulpam simul & ova continere testatur. Idem in „alia Epist. mentionem fecit pyri ex alio procreati, quale D. Perrault olim exhibuerat, & OVI intra aliud conclusi. Personatus ille Aletophilus von Uranien im

Eitel

Eitelkeiten-Calender von A. 1681. zu Nürnberg gedruckt: Ein solches Ey haben wir vor kurtzer Zeit allhier gesehen, welches eröffnet ward, und innerhalb seiner Schalen ein anderes kleines Eylein mit begriffen hat; it. wurde A. 1663. in Ungarn ein Kalb gebohren, aber zugleich mit einem andern allerdings vollkommenen Kälblein schwanger befunden. *D. Joh. Mævius* in Kayser Ferdin. I. Tafel-Reden P. I. n. 207. p. 159. ait: Wir sahen auch ein kleines Hüner-Ey, welches in ein rechtes und vollkommenes Ey mit seiner Schale geschlossen war. Wir sahen auch eine Citrone, welche noch eine andere in sich hatte. D. Crato sagte: Er hätte eine gesehen, in welcher zwey andere gewesen wären.

Ann 1685. d. 7. Aug. Heidelbergæ in ædibus Illustriss. Dom. de Stein-Callenfels, Aulæ Marescalli Gallina Indica ovum edidit, quod intus aliud parvum crusta quodammodo aspera inductum continuit quantitate nucis Moschatæ majoris, quod adhuc in Museo meo asservo. Sequenti anno 1686. d 29. Julii simile eadem in domo edebatur ovum. CANCRUM in Cancro masculo annotavit *G. W. Wedelius* Ann. VI. & VII. Ephem. Germ. Cur. obs. 122. VERMES & LUMBRICOS prægnantes aliis vermibus editos fuisse, (quorum exempla apud *Manardum* lib. 4. epist. 1. *Amatum* c. 5. cur. 46. *Dom. Panarol.* Pentecost. 5. obs. 15) non adeo mirum, cum in insectis facilius abludat natura. *P. J. Sachsius* de Admir. Lapp. Nat. Verum an visus sit unquam lumbricus lumbrico fœtus dubitat *Ol. Borrichius* Act. Hafn. Vol. IV. obs. 54. LAPIDEM Bezarticum prægnantem, oder einen Bezoar-Stein in dem andern habet in suo Museo Cimbrico Jo-Dan. Major c. 4. θ. p. 22. *Silices* in silice aliquot ipse in Museo asservo. De POMO vulgari

in

in pomo vid. *Phil. Jac. Sachsius* l. jam cit. MALUM AURANTIUM fœtiferum vide in Annis 6. & 7. Ephem. Germ. Cur. obs. 80. *Jo. Mich. Dilherrus* im Zeit und Welt-Lauff P. I. Meditat. 13. §. 48. p. 256. In der Provintz Malabay stehet ein Baum, welchen die Einwohner Cachi oder Cicara nennen; derselbe trägt alle Jahr nur einen einigen Apffel. Dieser Apffel wächst nicht wie die andern Aepffel an den Zweigen, sondern unten an dem Stamme, und ist so groß, daß ein starcker Mann genug daran zu tragen hat. Er hat aber innwendig eine Frucht mit 300. unterschiedenen Häutlein, unter welchen Früchten eine jede so groß ist, als unsere gemeine Aepffel sind; und wiederum stecken in solchen kleinen Aepffeln noch andere viel kleinere Aepflein. De CITRIO in Citrio vid. Andr. Cnœffelius Anno 4. Ephem. Germ. Cur. obs. 54. Conf. Ann 6. & 7. obs. 80. *Willichius* apud Thom. Bartholin. Cent. 3. Epist. 41. *Jo. Dan. Major* Ephem. N. C. A. 3. obs. 241. cum schol. *Henr. Vollgnad.* De malo Citreo prægnante triplicato vid. *And. Cnœffel* Eph. N. C. A. 4. & 5. obs. 54. Citrus in citro ut nascatur, modum docet Jo. Bapt. Porta Magiæ natur. lib. 3. c. 6. qui videatur. *Leonh. Doldius* ad Schnitzerum in Cista Med. *Jo. Hornungi* Epist. 245. p. 438. ait: „Nuper contigit, ut pharmacopola quidam citrium magnum aperiret, & in medio reperit aliud pomum, suo „cortice eleganter obductum, semina vero nulla erant „in parvo: Novum prægnans est pomum pomo in sua „matrice propria extra terram habeo particulas illius, quæ commode videri possunt. Ex hoc repetit *P. J. Sachs* l. c. p. 56 hocque forte est quod allegat *Jonstonus* Thaumatogr. Class. V. c. 27. p. 209. de Doldio ex Libavio de Orig. Rer. Rationem addit *Jonstonus*, quem vide Olaus Borrichius in Hodœporico suo MSC. Anno 1661. d. 9. Sept. Leidæ notavit sequentia: „Vidi in dissecto malo Citri-

Citrio aliud malum citrium minus innatum, suis etiam" seminibus prægnans, sed nullo cortice, nisi quod corticis" complicati initia cernerentur ab interiori parte jam in-" cipere. Hærebat malum hoc non in fimo majoris mali" circa pediculum, sed pene in summo, protendebat au-" tem ad pediculum ramos sui pediculi, hinc ab uno pe-" diculo utrique nutrimentum. LIMONIUM in Limonio ex Ol. Wormii Museo lib. 2. c. 28. fol. 206. notavit *Ph. J. Sachs* l. a. p. 56. quod & se vidisse fatetur *Bartholinus* apud eund. Conf. Ann. 6. & 7 Ephem. N. C. obs. 80. it. *Thom. Bartholin.* Cent. 3. Epist. 42. *Doldius* in Cista med. *Hornungi* Epist. 245. *Harveus* de gener. animal. Exerc. 11. *Ol Borrichius* Act. Hafn. Vol. I. n. 67. p. 128. Limonem citratum fœtiferum Jo. Bapt. Ferrarius Hesperid. lib. 3. c. 19. & malum aurantium gravidum lib. 4. c. 8. describit. Flos CARYOPHYLLÆUS varii coloris, cum divideretur, alterum simillimum florem gremio suo innatum ostendit anno 1671. in horto *D. Casp. Köilichen*, ceu legitur apud *Ol. Borrich.* in Act. Med. Hafn. Tom. I. obs. 67. p. 128. De LAPIDIBUS prægnantibus vid. fusius *Sachsius* Gammarolog. lib. 1. c. 8. a p. 145. usque ad 150. *Bauschius* Aetit. cur. c 8. p. 71. *Jo. Mich. Uhl.* apud Sachsium; cujus conf. diss. de mir. lapid. nat. *G. H. Velschius* Ephem. Germ. Ann. 3. obs. 32. *Borellus* Cent. 5. obs. 85. De GEMMIS in gemmis agit idem *Velschius* l. cit.

5 NASCI FŒTUM EX MORTUA MATRE] Gorgias Epirota vir clarus, & fortis, in funere matris suæ utero elapsus inopinato vagitu suo lectum ferentes consistere coëgit, novumque spectaculum patriæ præbuit, non tantum ex ipso genetricis rogo lucem sed & cunas assecutus. *Valer. Max.* lib. 1. c. 6. apud *Jonston.* Thaumatogr. classe 10. c. 1 art. 11. p. 471. Prope Halam Saxonum nobilis amittit pecuniam in itinere, invenit gravida, cui supervenit Clericus; hic ut inventa potiretur, caput fœminæ prorsus abscindit: Revertitur nobilis, videt truncatam enixam esse gemellos, pergit, Clericum cum pe-

 cunia

cunia non solum aggreditur, sed & judici tradit, vid. *Salmuth* Cent II. obs. 1. *Eberus* in Calendario ita: Anno 1567. die 14. Jun. inter Daventriam & Zutphaniam ab Hispanis maritus cum uxore gravida suspenditur. Uxor, cum pependisset per horas quatuor, gemellos vivos mortua peperit; apud *Greg. Horstium* lib. II. obs. 9. & *Fabric. Hildan.* ad Mich. Doring. Respons. fol 906. b. Idem ib. ex *Diomede Cornario* num. 15. Hist. admir. refert, in Hispania quandam sepultam, & post aliquot menses apertam, habuisse in brachio dextro infantem mortuum; refert idem *Fabric Hild.* l. c. Sic Coloniæ Agrippinæ matrona gravida ex morbo acuto mortua & loculo imposita, cum sequente die inhumanda esset, & loculus ab obstetrice inspiceretur, fœtus inter femora extra matricem repertus fuit sed mortuus. Hæc ex Henr. *Stapedio*, *Fabricio* l. all. Conf. plura apud *Nymman.* de vita fœtus in utero, p. 29. *Rolfinc.* Disp. Anat lib. 6. c 33. p. 1195. *Th. Bartholin.* Cent. II. Hist 99. & Anat. Ref lib. 1. c. 28. (ubi hæc requisita addit; sed ad hoc necessarium est: 1) infantis robur. 2) matris amplum uteri orificium. 3) moriente matre diducendum os & divaricanda femora, alioquin ante suffocatur fœtus, quam exire possit.) Joh. *Matthæum* in Quæst Med. *Zwinger* in Theatr. vit. hum. fol. 270. *Hochstetter* Part. II. dec. 6 cas. 3. Ronssæum Epist. I. fol. 9. seq. *Bohnium* Exercit. Physiol 26. §. 17. Acta Hafn. Vol. II obs. 35. p. 92 præcipue *Joh. Vesling* Obs. & Epist. VII. p 48. seq *Helmont.* Tract. de Conceptis §. 16. Referatur & huc parallela obs. 53. *Jo. Lud. Hanemanni* Dec. II. An. III. Eph Germ. Cur. cum scholio Excellentissimi *Lucæ Schrœckii* p 141. ubi plura in rem nostram. Exemplum tale a se observatum, refert *Harvejus* de partu p. 368. apud *Deusing.* in Genesi Microcosm. P. III. sect. 2. §. 83 p. 207. Vide quoque duo exempla Ann III. Eph. Germ. Cur. obs. 318. *Riolan.* Anthrop. lib. 6. c. 6. p. 398. *Lucas Tozzi* P. I. Medicinæ. Tit. de Partu p. 49. ait: „Ex „Harvejo in naturali & genuino partu sibi operas mutuas „præstant parturiens mater & pariendus fœtus, quamvis

non

non raro hic solus prodierit proprio molimine ac nisu," etiam exstincta matre, & mortuum infantem mater proprio conatu pepererit. Quin mortuam fœminam hoc præstare non posse, contendit Gottfried Voigt im Physicalischen Zeitvertreiber Cent. 2. quæst. 53. p. 387. seq. cujus rationes ibidem evolve, si placet.

SATYRA QUINTA.

§. 1.

Testes viriles esse glandulas 1) hactenus unanimiter fere credidit Schola Medica. Ego vero experientia anatomica edoctus istud *nego*, 2) *asseroque* esse *μέταξαν* seu glomum minutissimorum vasorum.

§. 2.

Testes muliebres plane *a virilibus* 3) *differunt*: Sunt enim *quasi* 4) *ovarium* seu alveare parvulis ovis refertissimum.

NOTÆ IN SATYRAM V.

1. GLANDULAS] Quæ testium in scroto marium sit substantia, videntur quodammodo auctores discrepuisse. *Ruffus Ephesius* II. 15. vocat materiam *pulticulæ* similem; cui consentit *Jo. Th. Schenckius* Exerc. Anat. de part. gener. mar. p 18. dicens: "Carne constant sui ge-" neris propria & peculiari, alba molli, succulenta fere-" que *ἀθαρώδει pultacea*, *σπογγώδει* magis quam ca-" vernosa, ob fibrosarum partium multitudinem, quæ a" *piccolhominio* rudimentum testium vocantur, ab aliis" vasorum minima fibrosa statuuntur." His non abludit Doctiss. *van der Linden* Meletem. P. 1. θ 46. scribens, firitillaceam testium materiam esse sui generis parenchyma; allegatque *Ruffum* II. 15. & *Scaliger* Conject in

Varronem de L. lat. 48. 19. *Varolius* Anat. 4. 1. vocat ſubſtantiam aliquam albam & mucoſam, velut ex pituita concreta conſtructam. *Corn. Celſus* lib. 7. c. 18. ſcribit: Teſticulos ſimile quiddam habere medullis, nam ſanguinem non emittunt, & omni ſenſu carent. Ita allegant *Celſi* locum *Rolfincius*, de *Graaf* & *Mœbius*. Verum inſpexi ipſum *Celſum Lindenii*; ille autem ita: *Teſticuli ſimile quiddam* GLANDULIS habent. Quæ poſtrema ſententia plurimos & hodie invenit aſſeclas, qui vel glandoſos, uti *Mundinus* Anat. p. 28. b. vel glanduloſos, uti *P. Ægineta* lib. 6. c. 61. *Theophilus* de hum. corp. fabr. lib. 5. c. 27. *Galenus* lib. 3. de Aliment. c. 6. & lib. 14. M. M. c. 11. & lib. de ſemine l. c. 17. *Veſalius* de hum. corp. fabr. lib. 5. c. 13. *Riolanus* Enchir. Anat. lib. 2. c. 34. *Bartholinus* Anat. Ref. lib. 1 c. 22. *Laurentius*, *Highmorus*, *Fallopius*, *Spigelius* &c. Atque tandem poſt omnes alios CL. *Thom. Whartonus*, (qui ex profeſſo de glandulis ſcripſit) in Adenograph. c. 28. p. 177. inquit: *Subſtantia teſtium eſt glanduloſa, alba, mollis, laxa, cavernoſa vel ſpongioſa &c.* Mordicus quoque hoc defendere conatur *Jo. Conr. Peyerus* Exerc. 32. p. 171. ſeq. eique accedit *Jo. Jac. Harderus* Exerc. 32 ad eund. p. 173.

2. NEGO, ASSEROQVE] Hoc nimirum primum obſervavi anno 1673. m. Nov. ubi ſervi 30. annor. præter propter cadaver diſſecui. Forte tunc volebam inquirere, utrum ſemen, & ubi in teſtibus (derogaveram enim hoc ſpermato poëſeos munus iis in Satyra Med. I. §. 6. Nota 17.) elaboraretur? Ecce, video totam teſtis ſubſtantiam in minutiſſimas fibras ſolvi, adeo, ut maneret reliqui nihil. Obſtupui, remque utpote novam adſtantibus tunc Collegis ſuaviſſimis, Dn. *Iſraeli* Med. D. ac P. P. & Dn. *Gerlachio*, Antiqu. Eccl. P. P. nec non Studioſis diligentiſſimis monſtravi. Reputabam forte fieri propter putredinem; verum vidimus ſimilia in recentibus aliis. Quare in nova hac opinione confirmatus εὕρηκα, εὕρηκα, exclamavi! Imo, cum diligentius in auctores dein-

deinceps inquirerem, jam ante me hoc videbatur animadvertisse diligentissimus Anatomicus *Riolanus* in Anthropogr. Cum enim sæpius testiculi putrefacti substantiam digitis distraheret, eam instar retis in fibras multiplices admodum ductiles semicubiti longitudine producebat. Sed ego non solum in putrefactis (quod primo tantum esse opinabar) sed & recentissimis idem observavi. Conf. quoque quæ supra Not. I. ex *Jo. Th. Schenckio* citavi. Imo fibræ istæ non solum ad semicubiti sed & ad integri, ad duplicis &c. longitudinem produci possunt, ceu quilibet, qui manum operi adhibebit, animadvertet. Incidi tandem quoque (Deum autem testor, antea me nihil vel inaudivisse, vel in alio quoque auctore legisse de novo hoc invento, ut inde verum deprehenderim, quod *Jo. van Horne* in Epist ad *Gu. Rolfincium* p. 117. profert: "Non me latet, posse uno eo-" demque tempore in diversis locis ab iis, qui nullum stu-" diorum mutuum habent commercium, observari atque" notari talia, quæ deinde judicabuntur ex eadem prodi-" isse pharetra:) in laboriosissimi Dn. *Regn de Graaf* Tr. de Viror. organ. generat. inservient. Ubi vidi, doctissimi viri diligentiam idem quoque deprehendisse quod ego: Quare eo magis mihi congratulabar, qui vel eum accuratum testem vel συνευρετὴν habebam. Verba autem ejus p. 55. hæc sunt: "Nullus hactenus veram te-" sticulorum substantiam scriptis dilucidavit, imo quod" magis est, ne quidem veritatis umbram attigit. Illi enim," qui testes corpora glandulosa pronunciant, vehementer" errant, quandoquidem in toto teste ne minime quidem" pars glandulæ conspiciatur, & adhuc magis a veritate" aberrant, qui testiculorum substantiam pulticosam vel" medullarem judicant, quia nullam cum illa similitudi-" nem obtinent. Qualis igitur sit testiculorum substantia," si quis nos interroget, dicemus, eam nihil aliud esse," quam *congeriem minutissimorum vasculorum* semen" conficientium, quæ si absque ruptione & dissolutione sibi"

 invicem

„invicem annecterentur, facile viginti ulnarum longi-„tudinem excederent.„ Adde *Jo. van Horne* Epist. ad Rolfinc. ὁμόψηφον p. 120. seq. Sic *Ettmüller* in Institt. Med. Parte Physiol c. 21 §. 2. ait: „Semen masculinum „quod attinet, illud elaborari in testibus certum est,„ vid. „*Mœb.* Fund. p. 470. qui testes nihil aliud sunt, quam „*congeries minutissimorum vasculorum* in quibus semen „perficitur, uti hoc Fracassatus Bononiæ primo, & post-„modum etiam in Belgio Graaf invenit, quorum vascu-„lorum aliquot ex teste erumpentia variis suis flexibus „corpus illud constituunt, quod testium dorso incumbit, „& *Epidydymis* appellatur, quod ipsum tandem dilata-„tum in vas deferens & in vesiculas seminales abit, unde „semen elaboratum in teste, perfectum in epidydymidi-„bus per canalem deferentem in vesiculas seminales de-„ponitur, suo tempore vel sponte in pollutione noctur-„na, vel concurrente partium genitalium motu in coitu „excernendum &c.„ Adde *Jo. Jac. Harderi* Exercit. 31. ad *Jo. Conr. Peyer* p. 168. Lubet & addere aliud laudati *de Graaf* in lib. de mulierum organis c. 12. p. 174. suffragium: Hi testes, (exceptis quibusdam membranulis ac vasis præparantibus,) ex seminariis vasculis componuntur, quæ sibi invicem juncta non tantum viginti, sed quadraginta ulnarum longitudinem facile excedunt.

3 A VIRILIBUS DIFFERUNT] Nimirum situ, magnitudine, superficie, figura, substantia, temperamento, integumentis & connexione, testibus *Thom. Bartholin.* Anat. Ref. lib. 1. c. 26. *Regn. de Graaf* de Organ. mul. cap. 12. *Mœbio* Fundam. Physiol. c. 20. p. 523. *Dav. Herlicio* lib. de curationibus gravidar. puerper. & infant. c. 1. p. 3. qui possunt fusius videri.

4. QUASI OVARIUM] Diligentissimus equidem *Harvejus* jam olim omnia ex ovis fieri dixerat in lib. de Generat. anim. Clarius adhuc nuper CL mus *Theod. Kerkkringius* (cui consentit *Jo. van Horne* Epist. ad Rolfinc. p. 124. seq.) in Anthropogeniæ Ichnographia cap. 1. dixit: „Quis autem crederet, nisi culter anatomicus id detexisset,

ſet,in ovo hominum non minus quam avium prima re-" periri incunabula? Ex ovo enim homo producitur." Non credis? Ecce tibi illa Fig. I. prout nobis ſæpius" oblata fuerunt, expreſſa. Reperiuntur autem ea in teſti-" culis fœminarum, non tantum earum, quæ per conju-" gii uſum fœcundæ ſunt, ſed etiam virginum, non ſecus" ac fit in gallinis, quæ ova ponunt, etiamſi galli ignorent" conſuetudinem.Sunt autem ova hæc piſi viridis magni-" tudine, intra iſtam latitudinem, quæ piſorum determi-" nat quantitatem, variantia. Intus latet humor qui ſicut" aliorum ovorum albumen & vitellus, dum coquitur, " indureſcit: ſapore prædita ſunt peregrino & ingrato;" pellicula vel pelliculis extrinſecus circumdantur, quæ," poſtquam in uterum prolapſa ſunt, brevi tempore ex-" tenduntur, & in *amnion chorionque* commutantur." Hunc ſequitur CLmus de *Graaf* inLib. de Mulier. Org. c.12. p. 176. ſeq. qui fuſiſſime & accurate totam rem depingit, dignus qui evolvatur. His tandem accedit CL. *Garmannus* Acad. Curioſ. & Collega ſuaviſſimus in doctiſſima Diſſert. *Homo ex ovo* §.12. &c. item CL. *Jo. Bapt. Denis* in *Conferentiis* ſuis (ut Galli vocant) paſſim. Adde *Sigiſm. Elsholtzii* obſ 196. Ann. 6. & 7. Eph. Germ. Cur. item obſ. 197. & 198. Sic *Franc. Zypæus* in Fund. Med. P.II. c.3. art. 6. §. 13. p. 58. ſcribit: Mulieres habent ſemen prolificum, ſi per illud ova intelligas," quorum ipſarum pleni ſunt teſticuli, & quæ ab aura ſe-" minali virili fœcundata & expanſa ex alveolis ſuis ſeu" calicibus, quibus magna parte continentur, erumpunt" in tubas Fallopianas, exinde in cavitatem uteri." Referantur & omnino huc quæ habet CL. *Ettmüller* in Inſtit. Med. in Parte Phyſiol. c. 21. §. 8. Teſtes muliebres eſſe ovarium, & homines naſci ex ovo, peculiari quoque oratione probavit *Paulus Brand*, Med. D. cujus programma Hafniæ typis Matthiæ Georgii filii Godiakenii anno 1677. d. 30. Januar. editum in 4. cum approbatione Th. Bartholini. Imo videntur fere jam olim aliqui per nebulas rem animadvertiſſe, quando in teſtibus mulierum

modo glandulas modo vesiculas locarunt, uti *Fallopius* in Observatt. anatom. p. 421. *Harvejus* Exerc. de Gener. Anim. 65. *Lindenius* in Med. Physiol. apud *Mœbium* l. sup. c. *Riolan.* Enchirid. Anat. lib. 2. c. 37. p. 176. & in Schol. Anat. Part. mul. c. 4. p. 287. *Kolfincius* de part. gener. P. II. c. 2. p. 126. & c. 3. p. 127. *Thom. Bartholin.* Anat. Ref. lib. 1. c. 26. Egregie huc referri potest historia, quam habet *Panarol.* pentecost. 2. obs. 18. p. 84. ubi vidit fœtum mortuum abortu expulsum, cum infinitis parvis globulis, qui piscium ova referebant. Rationes his reddit verbis: Qua de causa id factum sit, perscrutari Philosophorum est. „Dicere possemus, aut esse superfœ„tationis imperfectionem quandam, aut maximam vim „naturæ generativam in humore aliquo pituitoso in ute„ro redundantem; intenta enim generationi alicujus vi„ventis, tanquam perfectioris quam rei inanimatæ, ma„teriam in globulos efformaverat, sicut ova piscium, ge„nerationi idoneam. Nos hæc posuimus. Dicant perspi„catiores, quid sentiant. „ Sed hæc olim fusius quoque pertractavimus in Disp. de Sterilit. mulier. anno 1673. & in futurum fusius, Deo volente.

SATYRA SEXTA.

§. 1.

SAnguis menstruus *per se* 1.) *non malus*, nec *solum* 2.) *in mulieribus*, sed utut *rarius* 3.) *in viris* quoque quibusdam. In illis 4.) *quandoque citius*, 5.) *quandoque tardius*. Imo fuere, *quæ* 6.) *pepererunt*, licet 7.) *nunquam sint perpessæ menses.*

NOTÆ IN SATYRAM VI.

PER SE NON MALUS] Venenatum aut malum, vel saltem inutilem voluerunt alii, ut *Plutarchus* L. 3. Sympos. cap. 8. *Solinus* polyhist. cap. 4. *Alexander* lib. 2. probl.

probl 78. *Columella* lib. 2. rei ruft. cap. 3. *Georg. Hornius* in arca Mofis pag. 119. & præcipue *Plinius* paffim, ut lib. 19. cap. 10. & lib. 28. cap. 7. maxime vero lib. 7. cap. 15. aliique *Rob. Bellarminus* Scalæ afcenf. mentis in Deum Gradu I. cap. 3. pag. 7. ait: Corporis (humani) materia prima quid eft nifi fanguis menftruus? Res adeo fœda, ut refugiant eam oculi cernere & manus contingere, & horreat etiam animus cogitare. Notabilis quondam fuit ἰδιοσυγκρασία HERNISII; nam fi mulierem aliquam impuram utcunque & undecunque loquentem audiviffet, confeftim caput ipfi dolebat, atque hoc utebatur receffus muliebris & menftruorum, quibus mulieres polluebantur, argumento. Suidas hac voce fol. 1193. e quo etiam repetit *J. C. Dieterich.* in Jatreio n. 430. pag. 571. Menftruatas mulieres ab acceffu fuo lædere bombyces, ut moriantur, refert Olearius lib. 5. Perfian. Reife-Befchr. pag. 580. edit. fecundæ. Ex Medicis vero eo etiam inclinare videntur *Hippocrates* lib. 1. de morb. mulier. *Galenus* lib. de atra bile, cap. 8. *Fernelius* lib. 7. phyfiol. cap. 7. non 17. uti habet *Sam. Hafenreffer.* in Decade Quæft. Med. 9. pag. 8. Tubingæ 1650. in 4to.) CARDAN. Comm. in Hippocr. libr. de A. A. & L. T. 8. Lect 23. COLUMB. lib. 12. de re Anatomica. De dolore hypochondriaco cum fufpicione fanguinis menftrui clam exhibiti, vid. *Bened. Sylvaticus* Cent. 1. (obf. 71. De Harengo cum fanguine menftruo pro philtro exhibito & inde fequente morte vid. Eberh. Gœkel. Conf. Med. LX. pag. 549.) Sed rectius fentiunt, qui non per fe venenatum aut malignum ftatuunt, & fi quam malitiam induat, fiat iftud ex accidenti, teftibus Pareo lib. 23. cap. 23. cap. 50. *Herc. Saxonia* lib. 4. cap. 23. *Petræo* Quæft. 7. ad diff. harmon. 31. pag 146. *Cafp. Hofmann.* lib. 1. de generat. cap. 22. *Rolfinc.* Epit. affect. lib. 3. cap. 22. PIENS. de febrib. in fpecie cap. 8. pag 218. CL. *Jo. Dan. Major.* Chirurg. in fuf. dub. 16. §. 3. feq. Sam. Hafenreffer. l. fup. cit. Fufius vero *Sennertus* Prax. lib. 4. fect. 2. cap. 2. qu. 1. & præ-

cipue qu. 2. Unde rectissime *Joh. Bapt. Donatius* „Comm. in lib. Hippocr. de morbis Virgin. pag. 17. ait: „Sanguinem menstruum purgamentum secundum na„turam perutile esse, veluti & semen, novum non est; „venæ enim & arteriæ multo alimento refertæ superva„caneum & præ frigiditate minime concoctum ad ute-rum exturbant. Video quosdam falso opinari secundæ „concoctionis illud excrementum esse, quod menses ru„briores proveniant. At ii nullo negotio *Galeni* ipsius „verbis ex lib. de fœtuum formatione refutari possunt. „*Franc.* item *Zypæus* in Fundam. Med. Part. II. cap. 3. „art. 7. pag. 62. "Falsum (inquit,) quod sanguis men„struus in vasis uteri & circa illum positis stagnet, quia „per totum corpus cum reliquo circulatur, saltem in „statu naturali; alias fit venenosus, si in plautam cadit, „eam corrumpit, fœmina suo halitu carnes, butyrum &c. „corrumpit ad ranciditatem, & se osculantem pustulis „remunerat. Inde est, quod a fide dignis & multorum „experientiis habeo, si menstruata vinum e cella depro„mat, omne, quod in cado superest vappescere aut cor„rumpi, sicuti ipse aliquot novi exempla. Rectius igi„tur faciunt, qui vini promicondi partes maribus vel ju-venibus committunt. Immo non alius est a reliquo sanguine, sed adultioribus, quarum actiones sunt robu-stiores in alimentis elaborandis, nec tamen ob vitam se dentariam consumendis certo tempore redundat, ac per arterias uteri effluit.

2. Nec Solum In Mulieribus] *Solum animal menstruale mulier est:* verba sunt Plinii lib. 7. cap. 15. & ante eum jam olim Democritus apud Solinum Polyhist. c. 4. Cur vero hoc fit, scribit *Victor Pallu* Tyronensis in stadio Medico pag. 265. *Jo. de Mey* Comm. Phys. in Pentateuch. pag. 57. ait: „Vocantur menstrua coacuationes sanguinis, quæ singulis mensibus fluunt „ex vulva. Dicuntur hæc ipsa *Muliebria*, quia (ut „nonnulli affirmant) solis mulieribus inter omnigenas „fœminas fluunt; aut quia (ut inquit Aristoteles) nul-

lis æque atque his. Hujus rei causam esse volunt," quia nullum animal æque sanguineum est atque homo" Nam & inter ipsas mulieres, quæ maxime sunt sangui-" neæ, illis maxime abundant. Quod vero homo san-" guine magis abundet, merito evenit, quandoqui-" dem optimam præ cæteris habet temperiem, & ideo" optimo succo generando maxime idoneam. Causa" itaque talis evacuationis sanguinis redundantia est." *Jo. Jac. Harderus* Exerc. 5. ad Peyerum pag. 23. Bru-" ta (inquit) sanguine menstruo destitui norunt omnes," nec ego tam absurdus sum, talia qui statuere satagam;" donantur nihilominus fermento, quod in præfatis" glandulis latitans succum nutritium pro fœtus alimen-" to per arterias adpellentem, uti *Needhamus* erudite" docet, segregat. (Nimirum paulo antea Exerc. 4. pag. 21. seq. *J. C. Peyerus* dixerat: Menstruum sanguinem bruta non excernunt præter simiam & pauca quædam alia.) *Rajam & Simiam* addit *Georg. Hornius* in Arca Mosis pag. 119. Sic fœmellas simias in Java majore pati menstrua, est apud *Gassend.* lib. 5. de vita Peirescii pag. 169. *Alexand. de Insula*, Monachus Corbejæ Saxonicæ in *B*reviario rerum memorabil. a Christ. Franc. Paulini edito obs. 48. (in Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. ann. 4. append.) pag. 210. ita: *Picæ avis menstrua.* A. C. 1189. habuimus picam fœminam singulis mensibus in novilunio ad duos vel tres dies per inferiora sanguinem suo more sat copiose excernentem, cetera optime sanam. Cibis initio adscripsimus, at ab ipsa experientia meliora edocti vidimus, quam mirabilis sit Deus in omni creatura sua. Ad h. l. laudatus *Paullini* in scholio ita: Menstruam purgationem in EQUABUS, SCROFIS & OVIBUS aliquando notavimus. Conf. huc omnino CL. Ettmüller Institt. Med. Parte Phisiol. cap. 21. § 10 Rationes menstrui in fœminis fluxus suppeditant jam laudati *Joh. de Mey*, & CL. *I. J. Harderus*. Prior Comm. Phys. in Pentateuch. pag. 57. „Quod sanguis in fœminis plus etiam quam"

in

„in viris redundet, adscribunt earum temperiei frigidæ „atque humidæ, cutis densitati & vitæ otiosæ: Non quod „temperies frigida plus generet sanguinis quam calida, „sed quod minus dissipet; itaque temperies humida ac „frigida (quæ tamen non admodum frigida sit) habet re„dundantiam, quæ non dissipetur, ac proinde evacuatio„ne indigent manifesta. Densa autem cutis & vita otiosa „tollunt dissipationem succorum & corpora replent. Posterior vero Exerc. ad J. C. Peyerum S. pag. 24. ait: „Loquar ex hypothesi, dum meliora dies suggeret, & di„cam glandulas, quæ fœtui liquorem idoneum pro ali„mento segregant, eodem in uteri cavernis non existen„te, vectigal a fœminis motu intestino ope fermenti, „quod continent menstrua, periodo instituta postulare „impurius a puro separare, atque fluxus hujus consueti, „ita genuinam matrem fieri.

3. RARIUS IN VIRIS QUOQUE] Patiuntur & mares magno valetudinis commodo fluxus menstruos, sunt verba magni *Bartholini* Cent. 5. hist. 33. ubi simul allegat *Andr. Lacunam* P. 7. de method. cur. carunc. in Lotharingia ac Germania vidisse nonnullos, quibus ordinarie menses effluxerint, lacque in mammillis. Hoc in iisdem locis quoque observavit *Aquapend.* lib. 3. chirurg. cap. 13. ceu allegat *Casp. a Reies* Camp. Elys. quæst. 47. n. 15. qui hoc interdum in viris fieri statuit ipse. Alium similiter menses patientem refert *Zacutus Lusit.* lib. 2. Prax. admir. obs. 102. Idem *Bartholinus* quoque famulo primarii Mercatoris Hafniensis singulis mensibus ordinato fluxu sanguinem per inferiora expurgatum notat. Exemplum Nobilis Hispani quotidie libram sanguinis 4. abhinc annis per hæmorrhoidales venas excernentis & bene valentis. vid. ap. Panarol. Pentec. I. obs. 46. item aliud &c. lanionis Sedanensis ipse quondam communicavi Academiæ Nat. curiosor. Ettmüllerus in Institt. Med. Parte Physiol. cap. 21. §. 9. inquit: Licet aliquot prostent exempla,

etiam viris quibusdam periodo menstruali sanguinem per penem effluxisse. Exempla talia vide omnino apud St. *Corn. Stalp. van der Wiel* Cent. I. obs. 80. ut & in Schol. pag. 344. seq. Vix fidem do Mich. Scoto Physiogn. c. 10. & *Casp. a Reies* in Camp. Elys. l. c. n. 16. asserentibus, Judæos per naturam habere fluxum sanguinis per virgam secundum Lunam quibusdam guttis, ut mulieres; mecumque facit Voëtius Dispp. select. P. 2. pag. 90. cum *Abulensi, Salmerone* atque *Lorino*. Imo endemice eosdem hæmorrhoidibus affici sine fundamento scribi, scripsi Disp. de hæmorrhoid. not. 36.

4. QUANDOQUE CITIUS] Communiter statuunt Doctores ab anno 14. ad 50. fluere, scilicet ordinarie, partim ob defectum sanguinis & caloris, partim ob viarum arctitudinem & siccitatem. *Franc. Zypæus* l. sup. c. p. 62. *Joh. de Mey* in Comm. Phys. in Pentateuch. ad loc. 22. p. 56. ait: ,,Incipiunt fluere mulieribus in initio pubertatis, quatuordecimo, quindecimo, aut usque ad decimum septimum annum, quibusdam etiam citius aut tardius. Ita quoque desinunt non omnibus eodem tempore, sed fere inter quadragesimum & quinquagesimum annum. *Jo. Bapt. Donatius* Comm. in Lib. Hipp. de Morbis Virgin. pag. 16. inquit: Menstrua ferri solent anno 14. sed aliquando serius aliquando citius descendunt pro puellæ temperamento; & p. 17. Erumpunt autem 14. anno potissimum menstrua, cum ubera tument, vox gravior auditur, & venerem cupide sequuntur, tunc enim aptæ etiam sunt viro, & nubiles virgines ex Medicorum sententia. At Aristoteles in lib. de opt. Reipublicæ statu aliter sentire videtur, idque merito. ,, Interim quotidie in praxi observamus, aliis effluere 16. 17. 18. 19. imo 20. & 21. ann. aliis vero sisti (expertus loquor) 39. 40. 42. 44. & ita porro, nimirum pro temperamento regionis, vitæ generis, qvantitatis vel qualitatis sanguinis &c. diversa ratione. Specialiter juxta Santorelli versum.

Luna vetus veteres, juvenes nova luna repurgat.

Speci-

Specialiſſime juxta *G. Hornium* l. all. „Fœminis fluunt
„menſtrua ab anno ætatis 14. ad 21. luna nova ſeu corni-
„culata; anno 21. ad 28. aut 31. luna dimidia ad 35. in ple-
„nilunio, luna plena; vetulis in luna quarta ſeu decre-
„ſcente. Sed nec hæc ſemper. Habemus vero rariora e-
xempla juſto citioris menſtrui; nec ſufficiunt earum,
12 quæ anno ætatis *duodecimo Fabricius Hildan.* Cent.
2. obſ. 60. & *Fernelius* Patholog. lib. 6. c. 16. aut anno
11 *undecimo Fabricius* ibid. & *Sennertus* Praxeos IV. 2.
2. 1. atque *Timæus a Güldenkle* lib. 4. caſ. 13. ſive anno
10 ætatis *decimo*, qualem *Corbejus* Gynæc lib. 1. c. 1. a-
liamque CL. D. *Ledelius* in anno 3. Ephem. Germ. Nat.
Cur. Schol. ad obſ. 151. pluresque *Herc. Saxonia* lib. 4.
c. 23. egoque ipſe olim anno 1678. in Generoſiſſima
virguncula L. I. a W. decem annos nata, quæ primos
menſes patiebatur in plenilunio, ipſa hora, qua Ecli-
9 pſis fiebat, ſed ſine ulla noxa; vel *nono* anno; *Thom.*
Bartholin. Cent. 3. hiſt. 91. Jo. Schmidt Eph. Germ.
8 Nat. Cur. anno 4. & 5. obſ. 23. aut demum *octavo* ætatis
anno, veluti *Savanorola* ac *Tulpius* lib. 3. c. 36. item *Ber-
nard. Verzascha* Cent. 1. obſ. 24. Sic Remii Noel mer-
catoris Francofurtenſis filia 8. annnorum menſes pati-
ebatur, ceu retulit mihi amiciſſimus D. D. *Schefferus.*
Alia hoc anno menſtruata in Norvegia recenſetur ab
Henr. a Mönichen Act. Hafn. Vol. 1. n. 78. a. p. 161. Sed
6 & *ſexennem* obſervavit magnus *Jo. Dan Horſtius* ceu
perſcripſit ad me d. 9. Dec. 1674. aliamque hac ætate
flore albo corruptam obſervavit CL. Dn. *Cummenius*
Anno 3. Eph. Germ. Cur. obſ. 114. Sic puellam herma-
phroditicam ſeptennem ſexto ætatis anno menſes
paſſam diuturnos & vehementes vidit *Kerckring*
5 Spicileg. Anatom. obſ. 12. *Quinquennem* menſtrua-
lem meminit idem Celeb. *J. D. Horſtius* in iiſdem ad
me literis. Talem quoque vidit *Hercules Saxon.* lib. 4.
c. 13. cui quinto anno fluxerunt, dein ſingulis menſibus
ordinatim modice tamen. Fœmellam annum quintum
non-

nondum egressam menses patientem vid. apud *Jo. Do-*
læum, Eph. Nat. Cur. Germ. anno 6. & 7. obs. 63.
4 *Quarto* ætatis anno filiam cujusdam tabellarii men-
struam novit *Tulpius* l. sup. c. Dn. *Moderii* Doctor ag-
gregatus & Prof. Regius in Collegio Med. Burdegalen-
si vidit puellam undecim circiter annos natam Chlo-
rosi inquinatam, atque ex aliorum relatione, ob sup-
3 pressum fluxum menstruum quem *triennis* jam & de-
inceps experta erat tam vero statuto ordine, ut nun-
quam vel copia vel tempore deliquerint &c. apud *Nic.*
de Blegny in Zodiac. Med. Gall. 1679. m. Sept. obs. 5. p.
143. Puellam quindecim annorum, cui a *tertio* ætatis
anno ordinarie fluxerunt menses, refert laudatus
D. *Cummenius* Anno 3. Eph. Nat. Cur. obs. 114. Indi-
cam puellam hoc anno menstrualem, sexto vero puer-
peram habet Mandelslo Epist. ad Olearium fol. 11. &
2 Itinerarii lib. 1. fol. 105. Puellam *duorum* circiter an-
norum Lugduni Batavorum menses passam, sed post
tertiam periodum periisse, refert *Fr. Deckers* ad Bar-
1 bette Prax. c. 13. p. 247. Filiolam quandam, quæ *unum*
tantum annum vel paullo amplius habebat, optime va-
lentem, ter repetita vice adultarum more (habita san-
guinis infantisque tenelli corporis ratione) menses pa-
tientem retulit CL. *Theod. Liebergius* Medicus *Cornelio*
Stalp. van der Wiel Cent. 1. obs. 77. p. 336. Quin imo
laudatus supra Cummenius ibid. aliam allegat, cui
20 menses *vigesimo die* a nativitate fluere incipie-
bant, deinde suppressi redibant post mensem axactum
denuo post alterum iterum, & ita porro usque ad *deci-*
mum mensem ætatis, quo variolis interiit. Berolini
11 puellæ *undecim dierum* humor quidam sanguineus
per pudenda effluxit, ex D. *Mart. Weissio Sennertus*
Praxeos l. cit. De puella *octidua* menstruata *Louyse*
8 *Bourgevis* lic. 2. Obstetric. obs. 17. *Corn. Solingius* Me-
dico-Chirurgus anno 1679. vidit filiolam Ultrajecten-
sem quatuordecim menses natam, beneque valentem,
cui

2 cui *ſecundo* a partu die menſes iique ſatis magna pro modulo tantilli corporis quentitate lunaribus periodis profluxerint, apud *Corn. Stalp. van der Wiel*, Cent. I. obſ. 77. in ſcholio pag 338. Et, quod fidem fere excedere videtur, *recens nata* menſes effudit, exempla notantur a Celeb. D. D. *Jonſtono* Thaumatogr. claſſ. 10. cap. 5. art. 2. ex *Joh. Theod. Schenckio* lib. 4 obſervatt. fol. 695. *Alberto M.* Comm. ad lib. 2. phyſic. Ariſtot. Kerckring. obſ. 87. ac *Bourgeoiſ.* l. c. ſed hæc rariſſima.

5. QUANDOQUE TARDIUS] Et heic rara varietas!
59 tas! Ad *LIX. annos*, ubi peſte obiit, durare vidit CL. *Simon Schultz* Anno 3. Ephem. Nat. Cur. Germ.
60 obſ. 151. Ad SEXAGINTA annos *Aegineta* lib. 3. cap. 60. *Fernelius* Pathologiæ Lib. 6. cap. 16. *Fabricius Hildan.* Cent. 2. obſ. 61. ac Bartholin. Cent. 3. hiſt. 90. *Jul. Cæſ. Baricellus* in Hortulo geniali pag. 349. ſeq. ait: „Quam fallax ſit tum *Ariſtotelis* tum „aliorum judicium, quod in mulieribus circa 40*mum* „annum ſeu 50*mum* menſtrua deficiant, quotidiana „demonſtrat experientia. Mulierem hic cognovi „Victoriam nomine, eamque honeſtam & bene morigeratam; huic in anno 45. menſtrua ceſſarunt, & fauſta valetudine vixit, cum autem *ſexageſimum* fere „annum attingeret, ecce illi menſes rubri bonique „coloris rediere, uberaque, quæ prius flaccida erant, „more virginum turgidula facta ſunt, lactisque tanta „copia impleta, ut impulſu ferretur, quare ut puerulum filiæ ſuæ lactaret a me admonita eſt. Alteram „cognovi, quæ usque ad annum *ſexageſimum quin-*
65 *tum* ſemper menſtrua paſſa & hodie vivit & „menſtrua ſingulis menſibus fluentia habet.„ Verum bonus hicce Vir pruritu carpendi non debebat ſtatim Ariſtoteli aliisque viris doctis dicam ſcribere, quod nemini quoque factum Divo Coo circa aliquot aphoriſmos a quibus quandoque rara exceptio invenitur; cum hi doctiſſimi ſenes

nes respexerint ad id, quod fere semper & μάλιςα fit. Imo ipse *Baricellus*, postquam saltem duo illa exempla adduxerat, in fine fatetur: *Hæc autem raro contingunt!* Ad *septuaginta annos* Solenander S. 5. 70
Conf. 41. *Sim. Schultz* l. all. ex Dæn. *Daniels Fabritius Hild. L.* 4. c. 63. Imo Panarola Pentec. 1. obs. 6. meminit septuagenariam, quæ cum ab adolescentias nunquam menstrua passa fuisset, incidit in febrem cum maximis ventris infimi doloribus, donec large effluxo sanguine per vomitum sanata fuerit, verum singulis mensibus usque ad prædictam ætatem semper hoc modo menses excrevit. Idem Pentec. 1. obs. 22. meminit puellæ integro septennio a tempore erumpentium menstruorum, (quorum nulla fiebat evacuatio) post cibum quotidie cibi & chyli, qui in sanguinem converti debuerat, portionem per vomitum ejicientis, donec 7. elapsis annis tandem erumpentibus menstruorum faciebus vomitum amiserit, pristinam acquirens valetudinis benignitatem. Item pentecoste 4 obs 12. sistit fœminam quolibet mense non sanguinem, sed quam plurimos vermes per vulvam expellentem, & obs. seq. 13. menses ex papillis mammarum mulieris aliquandiu ita fortiter erumpentes, ut sanguinis fontem interdum repræsentaret, quæ tamen dein per inferiora more solito processerunt. Sed hæc obiter. Generosissima Domina *de Landas*, nata de *Hammerstein*, optimi Mareschalli Elect. Palat. vidua ad 70. annum usque & ultra ordinarie mensium fluxum passa est, ut ipsa æque ac agnati ejus alii mihimet confessi fuere. Ad *septuagesimum secundum* annum in 72
vetula Wittebergensi d. $\frac{8}{18}$ Sept. 1648. CL. *Segerus* apud *Thom. Bartholin.* Cent. 2. Ep. 86. Anno ætatis *LXXIII.* notavit Magnus *Greg. Horstius* apud *Fabric* 75
Hildan. l. all. Anno *LXXVI. Solenander* S. 5. Conf. 76
42. ac *B. Timæus* lib. 4. cas. 14. Anno *LXXVII.* 77

78 Th. *Bartholin.* Cent. 6. hist. 34. Anno *LXXVIII.* in Colonie: si sanguinea robusta, morbis parum obnoxia, sed sterili *Fabricius Hildan.* Cent. 2. obs. 61.
80 *Octogenariam* a duobus circiter annis menstruas, purgationes patientem εὐτάκτως cum sanitatis commodo & εὐφορίᾳ *Puerarius* ap. *Thom. Barthol.* perscribit Cent. 4. Epist. 88. pag. 488. Duas alias XXC anno menstruatas allegat *Louyse Boargeois* L. 2. obstetr. obs. 18. In matertera mea usque ad annum
89 XXCIX. me observasse posui in Disp. de Hæmor-
101 rhoid. not. 21. ac demum anno CI. cum εὐφορίᾳ Solenander S. 5. Cons. 43. ex quo etiam Mœbius in Physiol. cap. 20. Pariter moniali cuidam ab anno C.
103 ad CIII. fluxerunt: *Hercules Saxon.* lib. 4. cap. 23. Imo (sed risum teneatis) statuam salis, in quam uxor Lothi conversa, adhuc menstrua pati, scripserunt *Tertullian.* Carm de Sodoma apud *Athan. Kircher.* Mund. subterr. lib. 6. sect. 1. c. 4. fol. 302. conf. omnino *Thom. Bartholin.* de morbis Biblic. c. 3. p. 7. seq. (Idem etiam allegat G. *Fabricius* in opere Christ. poet.) atq; *Irenæus* lib. 4. c. 11. apud *Jo. Saubertum* Disp. de statua salis c. 2. § 19. Helmstad. 1668. Sed sapere fabulam Rabbinicam statuit *Cæso Grammius* Disp. de Metamorph. uxoris Lothi qu. 2. & cum *Riveto Baumannus* Disp. de statua salis, Vitemberg. 1666. § 7.

6. QUÆ PEPERERUNT] Hoc vulgo a multis Medicis & mulieribus negatur. *Plinius* H. N. lib. 7. c. 15. ait: „Quibusdam sæpius mense; sicut aliquibus nunquam. „Sed tales *non gignunt*, quoniam hæc est generando „homini materia, semine e maribus coaguli modo „hoc in sese glomerante, quod deinde tempore ipso „animatur corporaturque.„ Hinc quoque *Jo. de Mey* in Comm. phys. ad pentateuch pag. 56. ait: „Concipiunt, cum incipiunt sanguine redundare; desinunt, cum ob senium incipiunt laborare sanguinis „penuria; ut ergo, antequam fluere incipiunt, conci-

cipere non possunt, quod materiæ copiam non habe-"
"ant: ita neque postquam cessaverunt, quod jam care-ant. Verum posse hoc fieri, statuit *Jacob de Forbizio* super prima primi teste *Grainerio* Tr. de ægritud. matric. cap. 8. Rationem ex Aristotel. lib. 7. Hist. Anim. cap. 2. allegat *Herc. Saxon.* lib. 4. cap. 26. quod in iis tantum sanguinis confluat ad uterum, quantum in illis relinquitur, quæ ex consuetudine purgantur. Consentiunt Pareus lib.22. cap.49. *Corbej.* Gynæc. lib.2. cap.2. pag. 177. seq. *Sennertus* ac *Mœbius* ll. cc.

7. NUNQUAM SINT PERPESSÆ MENSES] Exempla ex variis collegit *J. T. Schenckius* lib. 4. obs. 1. de conceptione, ac *Corbej.* l. all. item *Pieus.* de Febribus in specie c. 8. p. 218 seq. Alia habent quoque *Melch. Sebizius* Spec. Pract. Parte V. sect. 2. cap. 1. *Panarola* Pentec. 1. obs. 15. *Rhodius* Cent. 3 obs. 54. *Bartholin.* Cent. 4. histor. 37. *Bonaciolus* cap. 2. Ennead. mul. *Hildanus* lib. 5. cap. 41. cui rationes reddit *Steph. le Duchat.* ap. eund. pag. 268. *Rondeletius* apud *Job. Assuerum* Disp. de Calculo cap. 4 § 4. narrat, ex abscessu mulieris Montisbani calculum prodiisse, eamque post varios dolores fuisse tabidam, hancque menstrua nunquam passam fuisse, & tamen duodecies peperisse. Exemplum quoque habet *Jo. Dolæus* Ephem. Germ. Nat. Cur. ann. 6. & 7. & *Job. Sophron. Kozack*, Tract. de hæmorrhag. lib. 1. cap 8. pag 235 ut & *Jo. N. Binninger* Cent. 2. obs. 55. qui hujus suæ observationis quoque rationem reddere conatur. Excell. Dn. D. *Jo. Georg Sommer* Consil. & Archiater Schwarzburgicus communicavit mihi MSCtum de Informatione obstetricum propediem edendum, ubi cap. 2. de impraegnationis signis ita scribit: Viertens wird dieses Zeichen der ausbleibenden Reinigung noch ungewisser, sowohl durch einige non auctoribus notirte alte, als auch zwey mir bekante neue Exempel, da gemeine Weibs-Personen obgedachte Rei-

nigung gar niemahls gehabt, und doch gesunde Söhne und Töchter gebohren haben; ja es ist auch, so wohl in als nach allen ihren Geburten von ihnen kein Blut gekommen, wobey sie doch gesund blieben, und bald nach der Geburt, ungleich andern Weibern, wieder arbeiten können, auch ihre Kinder glücklich gesäuget und groß gezogen haben. De impraegnatione nullis praeviis menstruis vid. *Jos. Lanzoni* Dec. 3 ann. 1. Eph. Germ. Nat. Cur. obs. 23. pag. 47. ut & notabile exemplum Dn. *D. Phil. Fraundorffer* Dec. 3. ann. 7. & 8. Ephem. dict. obs 19. pag. 38. item Dn. D. *Petr. Rommelii* ibid. Obs. 41. pag. 65. ubi plures ὁμοψήφους auctores allegat! *Platerus* refert, puellas & foeminas Brasilienses sine hoc fluxu optime valere. Idem de Groenlandicis ex Oleario in Itin. Pers. Moebius l. sup. cit. Et quid opus multis? *Sanguis menstruus neque ad conceptionem*, neque ad foetus formationem *conservationemve necessarius est.* In hoc mihi consentit doctissimus *Franc. Zypaeus* Prof. Lovan. CL. in Fundam. Med. Physs. Anatom. Part. 2. cap. 3. art. 7. pag. 60. seqq. „Quando statuit, esse sanguinem singulis „praeter propter mensibus in corpore redundantem, per „uteri arterias in ejus vagina excretum, neutiquam ibi „stagnantem, sed cum reliquo sanguine perpetuo circu„culatum per totum corpus. Tandem addit: Hic san„guis secundinas vel foetum non nutrit, nec ad foetus ge„nerationem concurrit ut materia. Imo, ut idem pag. „seq. 62. pergit: Interdum & gravidae menses patiuntur, „quia fluunt ex vagina; nam si ex fundo exstillarent, „putrescerent, foetum & alimentum ejus inficerent, ac „abortum facerent; & pag. 63. Gravidis rarius fluit „sanguis, quia iis non redundat, partim quia in uteri in„crementum impenditur, partim quia pars magna chy„li ad foetum vadit.„ Ipse ego novi quondam in urbe Heidelbergensi duas sorores, novi & alias gravidas ac

lactentes menſes patientes. Conf. omnino *Nathaniel Sprye* Med. D. in tract. de fluxu menſtruo Patavii 1685. in 12*mo*, ubi ad recentiorum placita rem quidem proponit, ſed ſtylo longe miſerrimo.

SATYRA SEPTIMA.

§. I.

HOmines vixiſſe ſine 1) *hepate*, 2) *liene*, 3) *renibus*, 4) *veſica urinaria*, 5) *pene*, 6) *utero*, 7) *podice*, 8) *lingua*, 9) *ſtomacho*, 10) *felle*, 11) *inteſtinis*, 12) *pancreate*, 13) *omento*, 14) *pericardio*, 15) *diaphragmate*, non tam mirabile videtur, ac quosdam vixiſſe *ſine* 16) *pulmonibus*; immo *ſine* 17) *cerebro*, *ſine* 18) *capite*, aut *ſine* 19) *corde*.

NOTÆ IN SATYRAM VII.

1. SINE HEPATE] Τῶν δ' ἄλλων ἐδὲν ἐςι σπλάγχνων ἀναγκαῖον τοῖς ζώοις, τὸ δ' ἧπαρ μόνον, ait *Ariſtoteles* lib. 4. P. A. c. 2. in fine, h. e. *Cæterorum viſcerum nullum neceſſarium eſt animalibus, niſi jecur.* Quod valde durum eſt! Et lib. 2. Hiſt. Anim. cap. 15. inquit: καὶ ἧπαρ ἅπαντ' ἔχει, ὅσαπερ αἷμα, id eſt: *hepar in omnibus eſt, in quibus ſanguis.* Idem lib. 4. de generat anim. c. 4. ſtatuit: Nullum notatum eſſe animal, quod jecore caruerit. Veſtigia ejus premit *Cæl. Rhodiginus* lib. 4. Lect. antiqu. c. 16. illudque fere repetit c. ſeq. Sed quid reſpondebunt ad hæc *Laurembergii* Exerc. Anat. 1. §. 4. 7. *hominem* (inquientis) *naſci, vivere, ad plenam ætatem progredi compertum eſt ſine jecore.* Audiamus famoſam hiſtoriam: Sine hepate & liene vixit *Matthias Ortelius*, Auguſta Vindelicor. mercator Antverpienſis, " qui hydrope obiit d. 11. Sept. 1564. & d. 12. Sept. anato- " mia ejus facta eſt a *Lamberto Toletano* Medico per *Tho-* "

„nam *Comaum* Chirurgum & tonſorem Antverpienſem: „Verum ſubſtántia omnium inteſtinorum carnoſa prorſus erat, & multo ſolidior, quam ipſa muſculorum caro, ut ſoliditate cordis carni fere reſponderet, & vena „cava ex ipſis inteſtinis originem ſumebat, eo fere modo, quo vena porta in ipſis inteſtinis ſolet implantari. Hiſtoriam hanc communicatam habuit a D. *Tob. Cneulino* & *Joach. Camerario I. Schenckius* lib. 3. obſ. 7. item *Bauchinus* de Hermaphrod. lib 1. c. 8. p. 86 & in Annot. ad tr. *Franc. Rouſſeti* de partu Cæſareo ceu ex eo quoque refert *Ant. Molinettus* lib. 6. Diſſert. Anat. Pathol. c. 5. p. 293. tandemque *Mœbius* Inſtitt. Med p. 78. & Fundam. Phyſiol. p. 318. Veruntamen his omnibus obviam procedit *Marc. Malpighius*, Vir ſummus, cujus verba in Lib. de Structura viſcerum c 8. hæc ſunt: „Ortelii ſectio, quæ multorum torſit ingenia, pluribusque impoſuit, ſi ad trutinam eſſet revocanda, vel ſaltem levibus „conjecturis daretur locus, utique pateret, non defuiſſe „jecur, & hoc in opportuniori forte ſitu locatum extitiſſe, ut ſecreta bilis in inteſtinum derivaretur: in hoc „enim inteſtina carnoſa obſervata fuere, ita fortaſſe dicta „ab obſervatore ob ſubſtantiæ modum conſimilem carni, & rubrum calorem, cum etiam ſolidiora & compactiora muſculorum carne deprehenſa ſint; oblongæ itaque glandulæ circa inteſtina accubantis rudem nobis „exhibet ſpeciem, nec vaſorum inde enata propago conjecturam deſtruit, cava enim vena a carnoſis hujusmodi inteſtinis emergebat. „ Nullum hepar adfuiſſe habet quoque *Jo. van Horne* de Ductu Chylifero p. D. 2 Anno 1601. *P. Paw*, ut ipſe Obſ. Anat. 29. teſtatur, hydropicam diſſecuit, in qua jecoris, lienis, renum (dictu mirum, veriſſimum tamen) ne veſtigia quidem. Sic *Veſalius* lib 5. de Fabr. corp. hum. ait: Viri cujusdam ſubſtantiam hepatis omnino fuiſſe deperditam, adeo, ut lien cogeretur ejus ſuſtinere vires. Imo hepatis loco maſſam carneam 36. libras pendentem obſervavit *Zacutus Luſit.* lib. 2. Prax. admir. c. 38. *Matth. de Gradi* ad lib. 9. Rhaſ. P. I. c. 7. ſcri-

7. scribit: se vidisse in scholari Alemanno post ulcus hepatis multam quantitatem carnositatis hepatis fuisse excretam, citante Mœbio, Fundam. Physiol. c. 14. p. 347. & nihilominus curatum fuisse ægrum. Quid ergo statuamus? Cum *Franc de le Boe Sylvio* Disp Med. 6. §. 5. *Secundum naturam nunquam in corpore humano desideratum viscus* dicimus.

2. LIENE] Lienem omnibus sanguineis animantibus communem esse, testatur *Galenus* lib. 6. Admin Anat. c. 10. allegante & consentiente *Deusingio* Exerc. de Sanguificat. §. 58. Imo *duplicem* lienem notarunt *Casp. Bauchin.* Institt. Anatom. p 68. & Dom Panarolus Pent. 1. obs. 2 p. 3. qui idem Aristoteli visum fuisse narrat, ex ejus lib. 4. de Generat. Animal. c. 4. *Tribus* splenibus cadaver fœmineum luxuriasse, seque spectatoribus monstrasse ante lustrum quasi, scribit *Christ. Lange* in Progr. Anat. d. 22. Oct. 1652. Lips. edito. *Car. Drelincourtius* Fil. Disp. Inaug de Lienosis θ. 1 n. 2. ait: Numerum quod attinet, lien unicus est e naturæ præscripto; nihilosecius *duplex* observatus est ab *Aristotele, Cœlio Rhodig. Gu. Rondeletio, Com. Gemma, B Cabrol. Dom. de Marchettis, Ant. Bourdonio* & ab Excell Dn. *Hardero*, nec non ab Ephem. Germ. observatoribus sedulissimis & accuratissimis. *Cæcilius* vero *Folius* Venetiis *duos, tres*, imo *quatuor* vidit. *Fallopius* pariter *tres* lienes enumerat, unum justæ magnitudinis, alterum dimidio minorem, tertium denique ovi columbini mole. Qui vero id fiat, legere est apud *Lev. Lemnium* & *G. Hofmann.* G. C. *Schelhammerus* amicissimus Exerc. Med. 10. §. 12. ait: Lien *duplex* bis terve a Dn. *Marchettis* & *Cabrolio* observatus, *triplex* a *Fallopio*, Plegny obs. Ann. 3. 1. & 3. & *Verheyen* lib 2. c. 14. *Aristoteles* tamen strictior videtur, quando lib. 2. Hist. Anim. c. 15. scribit: Σπλῆνα δὲ τὰ πλεῖστα ἔχει ὅσαπερ καὶ αἷμα· Τὰ δὲ πολλὰ τῶν μὴ ζωοτοκούντων, ἀλλ᾽ ὠοτοκούντων μικρὸν ἔχει τὸν σπλῆνα οὕτως, ὥστε λανθάνειν ὀλίγου τὴν αἴσθησιν,

ἔν τε τοῖς ὄρνισι, τοῖς πλείςοις οἷον ἐν περιςεροῖς, καὶ ἰκτίνῳ καὶ ἱέρακι καὶ γλαυκὶ, id eſt: *Lien magna ex parte omnibus, quibus ſanguis: ſed magnæ parti eorum, quæ non animal ſed ova pariunt, lien usque adeo exiguus eſt, ut propemodum ſenſum effugiat: quod magna in parte avium experimur v.g. in columbis, milvis, accipitribus, noctuis.* In pennatis non inveniri lienem ſcribit *Highmorus* Exerc. de Affect. hypochondr. c. 4. p. 174. Quæ quoque ſanguinis proprie expertia ſunt, liene per naturam carent, ait ex *Ariſtotel.* lib. 3. P. A. cap. 7. Mœbius Fund. Phyſiol. cap. 14 p. 335. & *Deuſingius* l. ſup. c. §. 59. LIENEM plane vilipendebant olim *Eraſiſtratus*, *Democritus* & *Rufus Epheſius*, quando fruſtra factum volebant, uti invenimus apud Galen. lib. 4. U. P. cap. 15. & Comm. 3. in Hipp. lib. de Aliment. ita allegantibus *H. Barbato* de ſangu. & ſero p. 5. ac *Deuſingio* l. all. Pariter eundem contemnit *Paracelſ.* lib. 2. de nat. hum. cap. 4. & 6. Dantur quidem animalia, quibus per naturam deeſt. *Deuſingius* l. c. ex *Ariſtot.* lib. 3. P. A. cap. 7. nimirum volatilibus, quoniam pennarum vis recrementum abſumat melancholicum, teſte *Cæl. Rhodigino* lib. 4. Lect. antiqu cap. 18. quaſi vero! Ita *Thom. Bartholinus* Anat. Ref. lib 1. c. 16. ait: „Carent ſine noxa liene, quæ veſicam non habent, ut Chamæleon & alia multa. Inſecta „vero ſplene carent; quam ob rem falſum illud: Habet „& muſca ſplenem.„ Verum ſuper his nondum microſcopia conſului. De Chamæleonte vid. Panarol. in Anat. Chamæleont. Obſervatt. p. 398. *Car. Drelincurtius* Diſſ. ſup. cit. de Lienoſis θ. 1. n. 2 inquit: „Liene nullo Philoſo„phus cadaver narrat&c. Cui ſuffragantur *Hollerius*, *Bau„hinus*, *Laurentius*, *Henr. ab Heer*, & *Kerckringius*. „Tales itaque homines comparandi veniunt vel cum „volatilium quibusdam, vel cum inſectis, quæ liene ca„rent, etſi vulgo de ipſis jactetur: Ἔχει δὲ καὶ ἡ μῦα „τὸν σπλῆνα Imo nihil inter homines iſtos atque inter quadrupedem intereſt; *Democritus* enim, *Ariſto-*

teles,

teles, *Plinius*, *Solinus*, *Albertus M. Gesnerus*, & *Aldro*"
vandus unanimes atteſtantur, lienis exſortem eſſe Cha-"
mæleonta. Id ipſum vero teſtatius apud me reliquit *Pa-*"
narolus, animalculi proſector, nec non Regia Pariſi-"
enſis Societas, quæ diſſecti Chamæleontis nitidiſſi-"
mam icona lienis neſciam Rev. ad parentem transmi,,
ſit.,, Verum, ubi eſſe debuit, non raro lien defuit. Ab-
eſſe poſſe, docent *Zacutus* lib. 2. Hiſt. Med. p. 63. & lib.
3. Prax. adm. obſ. 137. ac præcipue CL. *Kerckring*. obſ. 11.
Tale animal viſum fuiſſe, ipſe ſcribit *Ariſtotel.* lib 4. de
Generat. Animal. cap 4. ac *Laurentius* Anatom. lib. 6.
qv. 25. & *Becker* de Cultricor. p. 83. liene quædam deſti-
tuta allegant. *G. C. Schelhammer* Exerc. Med. 10. §. 15.
ait: ,,Quin & natura ipſa defeciſſe & vel poſt nativitatem
periiſſe, vel a principio defuiſſe legitur lien, cit. Eph."
Nat. Cur. Ann. 13. obſ. 199. Idem vero *Ariſtoteli*, *Holle-*"
rio, *Laurentio*, *Schenckio*, *Kerckringio* obſervatum,"
adeoque itidem longe certiſſimum eſt; & §. ſeq. 16. ad-"
dit: In aliis perexiguus viſus eſt: Pollicem æquantem"
Salmuth lib. 13. in fœmina ſaniſſima, *Riolanus* Anthro-"
pog. lib. 2. c. 16. in Thuano vix unciam pendentem,"
unguis latitudinem vix æquantem in Luxemburgica"
Principe repertum *Conringius* teſtes ſunt. Ex quibus o-"
mnibus vel hoc unum colligas, non tantam eſſe viſce-"
rum neceſſitatem, ut ſine illis animal non vivat. Adeo-"
que ejus uſum eſſe talem, qui a vitalium aut principum"
viſcerum numero eum exemtum velit. Neque tamen"
hinc prorſus inutilem dixeris, quod ex philoſophis *De-*"
metrio, ex Medicis *Eraſiſtrato*, itemque Ruffo Epheſi-"
no viſum fuiſſe literarum monumenta loquuntur. Præ-"
terquam enim quod tantum viſcus a ſapientiſſimo cor-"
poris auctore fruſtra conditum piaculum eſt credere, &"
pancreas nunquam legatur defuiſſe, exſcindi interim-"
poſſe ſuperſtite animali recentibus experimentis con-"
ſtitit, quod tamen utiliſſimum & glandulam ſalivalem"
inteſtinorum eſſe certum eſt.,, Conf. huc de Ortelio"
dicta Nota I. De Muliere Pariſienſi *Holler.* num. 5. quem

 citat

citat quoque Sennertus Prax. lib. 3. P. 3. cap. 2. pag 473. & *Jo. G. Schenck* in Litho-genes cap 1. pag. 1. De fœmina hydropica, in qua anno 1601. dissecta ne vestigium quidem lienis vidit. vid. *Petr. Paw* Obs. 29. „Prope „Cortynam in Creta apparentem splenem pecora non „habent: quod amplius Medicorum scrutantes scholæ „in illis enasci herbam locis denique compertum prodi„dere; qua vescentia pecora lienes imminuerent: unde „& lienosis curandis medicamen excogitatum, quod ex „re *Asplenon* Cretenses dicunt;„ verba sunt *Cæl. Rhodigini* lib. 4. cap. 18. forte ex *Vitruvio* de Architect. lib. 1. cap. 4. ceu allegat *Rolfinc.* M. M. spec. Comm. lib. 9. sect. 3. cap. 1 pag. 783. *Plinius* lib. 24. cap. 9. ait: „Arbitran„tur quidam hanc (myricen) esse tamaricem: sed ad lie„nem præcipua est, si succus ejus expressus in vino biba„tur, adeoque mirabilem ejus Antipathiam contra so„lum hoc viscerum faciunt, ut affirment, si ex ea, alveis „factis bibant sues, *sine liene* inveniri; & ideo homini „quoque splenetico cibum potumque dant in vasis ex ea „factis.„ Conf. & inferius Not. 19. notanda ad defectum cordis ex *Ant. Everhardo Ettmüllerus* in Collcg. ad Schrœderi Pharmacop. sub tit. Scolopendrium verum, ait: „Decoctum Ceterach in aqua ferrariorum, in qua sæ„pe ferrum candens fuit extinctum multum laudatur ad „tumorem & inflationem splenis, adeo, ut dicatur a Dio„scoride, quod absumat lienem, vel potius imminuat: „Unde canes ferrariorum, qui bibunt sæpius talem a„quam, dicuntur carere splene. vid. Major. in Apolog. „in Chirurgiam infusoriam. In quibusdam fer„tur splenis parenchyma adeo absumtum repertum „esse, ut sola cutis remanserit, inquit *Rousset* de partu Cæsar. Sect. 4. cap. 5. In infante acephalo Zittaviensi nullus erat lien, Dn. D *Jænisius* Ann. 3. Acad. Germ. Nat. Cur. Obs 277. plura, qui volet, evolvat. Celeb. *Joh. Dan. Horst.* Manuduct. pag. 96. præsertim B. Dn. D. *Bausch.* heu olim Acad. Cur. Germ. Præsidem primum in Procem. Traumatol. pag. 37. ac CL. *Tilling* Anat. Li-

en.

en. sect. 1. cap. 10. pag. 205. item *Henr. ab Heer* Obs. Med. 25. pag. 289. Eundem autem exscindi posse negarunt quidam, ducti vel copiosis sanguineis aliisque vasis, vel visceris magnitudine, connexione aut usu, uti *Celsus* lib. 5. cap. 26. *Cœl. Aurelian.* lib. 3. Chronic pass. cap. 4 quem citat quoque *Sennertus* Prax. lib. 3. P. 4. cap 7. p. 494. eique adstipulatur *Vesalius*, *Vid. Vidius* de Curat. morb. lib. 10. cap. 10. *Bauchinus* Theatr. Anat. cap. 43. *Lev. Lemnius* lib. 2 de Complex. cap. ult. *Knobloch* Instit. Anat Disp. 6. qu. 2. pag. 205. *Laurenberg.* Exercit. Anat. 7. *Zacchias* Quæst. Med. Legal. lib. 8. T. 1. qu. 12. n. 14. *Melch. Sebizius* de Alim. Fac. lib. 3. cap. 5. pag. 725 *Conringius* lib. de motu & generat sangu cap. 6. *Thom. Bartholinus* Cent. 4. hist. 57. & Anat. Ref. lib. 1. cap. 16. (qui tamen cecinit palinodiam) *Highmorus* Disp. Anat. lib. 1. P. 3. cap. 3. *Jo. Conr. Dieterich* Disp. Solemn. 20. §. 18. *Timæus a Güldenklee* Respons. Med. 45. pag. 108. seq. *Joh. van Horne* Microcosm. §. 42. & prolixe Dn. D. *Tilingius* l. c. sect. 3. c. 6. p. 424 seq. 429. 431. seq. 437. Ad *affirmantium* tamen castra se recipiunt *Plinius* H. N. lib. 11. cap. 37. *Aretæus*, *Haly Abbas* & *Bertinus* lib. 18. c. 1. apud *Knobloch*. *Rousset* de partu Cæsar. lib. 5. cap. 5. (sed refutatur a Conring. l. c. quod non sua sed aliena fide) Chronicon Turcarum apud *Thom. Bartholin.* l. cit. (qui etiam de *Fioravanti* historia, ubi lienem scirrhosum muliebris libras 32. pendentem abscidit, fusius agit) *Zacutus* lib. 2. Hist. Med. pag. 63. *Paracelsus* quoque in Prælect. Chirurg. cap. 7. von Leybwunden fol. 464. ubi ita: Si esset vulnus in dem Miltz, debet exscidi, quia possumus sine illo vivere, si est tam magnum vulnus, & non debet inungi balsamo, sed wieder zusammen binden, & dari potus factus in pulmone. Et hodie omnes fere ducti experientia Anglorum, de quibus *Bogdanus* apud *Thom. Bartholin.* Cent. 2. Ep. 77. pag. 648. Hi enim sine noxa brutis animantibus, canibus, felibus, suibus exemerunt, uti modos quoque apponit *Bartholin.* Cent 4. hist. 51. item *Deusingius*

Exerc.

Exerc. de sanguific. §. 79. seq. Conf. *Wharton* Adenogr. cap. 4. pag. 13. & Jo. Bapt. Denis dans ses Conferences p. 182. seq. ubi itidem modum docet exsecandi, ut & pag. 242. seq. Canem talem D Scarbourghi vidit *Erasm. Bartholinus.* „Hisce diebus (scribit *Thom. Bartholin.* Cent. „3. Epist 50. pag. 208.) in præsentia Serenissimi Regis „nostri binis canibus experiundi gratia lien fuit exsectus „optimo successu, uterque enim canis post vulnus cura„tum convaluit & bene se habuit.„Pariter in Belgio variis in canibus, salva ipsorum vita, successit, ceu inde scribebatur ad CL. Dn. D. *Jo. Dan. Major* Anat. I. Kilon. cap. 2. §. 21. Lugduni canem pinguem, cui lien exsectus, vidit *Jac. Holste* (utut vix credere videatur) apud *Thom. Bartholin.* Cent. 3. Ep. 72. pag. 299. Quater (ait idem *Bartholin.* ib. Epist. 64. pag. 258.) expedita manu præ„sente Augustissimo Rege nostro aliisque spectantibus li„enem ex canibus majoribus minoribus extractum digi„tis exscidit Regius Chirurgus Philippus, vidimusque „vivos & superstites præter unum majorem sanosque & „agiles nec quidquam inde damni passos, sed ad cursum „expeditos. Quod forte etiam innuit ibid. Epist. 96. pag. 415. Idem Cent. 4. Epist 14 pag. 55. ait : Se in canibus expertum esse. Fuse de hoc agit quoque CL. *Jo. Dan. Major* Chirurg. infusor. Dub 6. §. 11. seq. & *Hertodt* in Tartaromastige P. II. cap. 1. pag. 165. *Guil. Charleton* lienem ante sex annos jam cani exsecuit adhuc valido & Bathoniæ belle viventi, nisi quod ex intervallo in maciem quandam tenuetur & subito iterum pinguescat, ait *Ol. Borrichius* apud *Th. Bartholin.* Cent. 4 Ep. 92 pag. 537. Sexies in canibus feliciter patravit *Barbette* lib. 4. Prax. cap. 10. Cani lienem exscidit *Regn. de Graaf* de succo pancreat. cap. 2. pag. 289. in quo duobus mensibus post exstirpationem notabilem succi pancreatici quantitatem collegit. Idem ibid. ait : Se semel canem habuisse, qui post similem lienis exstirpationem peperit adhuc duos vel tres catellos. Sic *Tobias Petermann* in Coroll. 5. ad Disp. de Gonorrhœa Lips. 1690. ait : Ob lienem exsectum animal

non

non ſterileſcit. Imo CL. *Ortlobius* Diſſert. 16. §. 13. pag. 128. de uſu lienis ait: Venerem, juxta *Helmontium*, non excitat, quia exciſo liene canes ſalaciores ſunt. Conf. & de hac lienis exiſione *Andr. Laurentii* Anat. lib. 6. qu. 25. *Kerckring*. Obſ. Anat. 11. *Lambeccari*, Medicus Romanus edidit librum Italicum ubi docet, diverſa animalia vixiſſe ſine notabili incommodo poſt exſtirpationem non ſolum lienis, ſed etiam unius e renibus & particulæ inteſtinorum, ceu ex Biblioth. Anatom. *le Cleric. & Manget* refert *Baelius* Nouvell. de la Republ. des lettres Tom. 3. pag. 797. ſeq. Quin jure hodie ejusmodi obſervationes tanquam raras ridet in Frid. Ruyſchio Obſervatt. pag. 85. *Godefridus Bidloo* in Vindiciis contra eund. pag. 50. his verbis: Pag. 85. obſervatione Ruyſchiana dignum lege & mirifice mirificum facinus: Exſecuit nempe canis ſplenem & animal manſit ſuperſtes! G. C. *Schelhammer* Exerc. Med. 10. § 13 & 14. ait: Exſectum fuiſſe legitur ſæpius non" magno animalis incommodo, quod cum ſucceſſu Ana" tomicum exercitatiſſimum *Drebincurtium* meum quo-" que facere memini. Adde Ephem. Nat. Cur. ann. 4." & 5. obſ 164. & 165. Sed in homine etiam in Anglia ten-" tatum ſine noxa, id vero ita ut eo orbatus annum ſuper-" vivens hilarem & bene valentem ſe exhiberet. Vid." iterum Ephem. noſtras ann. 4. obſ. 165. & alterum ex-" emplum luculentiſſimum anno 13. obſ. 195. Unde fi-" dem invenit *Hioravantæ* Medici ſiculi conatus, qui im-" pune lienem ſcirrhoſum duarum librar. exſecuit fœmi-" næ, referente Bartholino Cent. 4. hiſt. 51. omnino le-" gendo, quoniam & aliorum teſtimonia exhibet, ita" ut res nullam amplius dubitationem admittat." Addunt aliud novum Ephem. noſtræ anno 1. obſ. 2. 9. Sed quorſum tandem hæc? Dicat aliquis. In brutis nimirum concedi poſſe, non idem in homine. Nolo quidem hic cum aliis allegare hepar maximum, ſed nullum lienem ex Salmuth. Cent. 1. obſ. 21. nam inſcriptio ibi fallit, textus vero dicit illius puerperæ lienem tam par-

vum fuisse, ut pollicem majorem vix æquaret. Communis quoque fabula est, lienem cursoribus exscindi. In Talmud. Sanhedr. fol. 21.2. dum locus 1. Reg. 1. 5. explicatur, additur: omnes (nempe illi 50. viri, qui currebant ante Adoniam) privati splene erant & abscissas plantas pedum habebant. Hoc est, ut alibi explicatur: abscindebant carnem plantarum pedum usque ad ossa, ut possent currere super sentes & spinas. Per medicamenta autem abscindebant carnem, & quia splen hominem aggravat, & hunc auferebant; apud *Joh. Quistorp.* Annott. Biblic. ad d. l. Lepidam rem narravit mihi in arce Hafniensi d. 12. Octobr. 1695. amicissimus Collega *Henr. a Moinichen*: Primo is in Acad. patria Hafn. munus prosectoris cum laude per biennium apud Thom. Bartholinum sustinuerat, idem quoque prosecutus est laudabiliter in Italia Patavii apud *Anton. Molinettum* per quinquennium. Enchiresibus ergo anatomicis aliisque artis dotibus probe instructus domum reversus est. Potentissimus vero Monarcha Arctous, Fridericus M. uti omnium optimarum artium, ita & Anatomiæ fautor erat longe clementissimus. Jussit ergo, ut se præsente CL. *Moinichenius* aliquot canibus lienem exscinderet, quod & felicissime præstitit superstitibus caniculis. Quo facto antiqua fabula recruduit, lienem scil. abscissum facere ut animal velocius curreret; quare & in homine idem forte præstari opinati sunt Cum ergo antea magnus competitorum esset numerus, qui volebant Regum optimo a pedibus esse, (Lacquayen) falsa dein opinione & metu perculsi ne lienis sui jacturam facerent, studiose ab illo officio abstinuerunt. Sed ad certiora properemus: Vivente se sæpius successisse dixit *Adrian. Zuccarellus*, Celotomus atque Ocularius ex Palo urbe Neapolitana, apud *Fiarovant.* lib. 2. cap. 8. Thes. vitæ hum. Alii vulnerato tonsor propendentem lienem per ignorantiam abscidit, reconvalescente ægro, ex *Ballonio* lib. 2. Ephemer. pag. 251 *Thom. Bartholin.* Cent. 4. hist. 51. Neapoli alium lienem exemit

Fiora-

Fioravant lib. 2. cap. 53. Et lienis resectionem in homine proponit *Timoth. Clarke* Ephem. Nat. Cur. an. 4. obs. 164. & 165. Tota denique lis componi potest verbis Celeb. Th. *Bartholini* Anat. ref. lib. 1. cap. 16. "Non deficere potest lien naturaliter, siquidem natura non" abundat in superfluis, nec deficit in necessariis. Præter" naturam vero vel deficere potest vel eximi arte tam in" brutis, quam (ut ut difficilius & non nisi necessitate ma-" jore urgente) in hominibus. "Confer tamen prohi-" bentem hoc J. D. Majorem l. sup. cit. nempe Chirurg. Infusor. Dub. 6. §. 12.

3. RENIBUS] Renes per accidens solum esse necessarios cum *Aristotele* P. A. lib. 3. cap. 7. statuit *Deusingius* Exerc. de sanguificat. §. 92. addit tamen, non æque posse exscindi ac lienem. Eosdem nullius esse usus opinabatur *Erasistratus*, sed inepte, vid. *Galeni* Fac. Nat. lib. 2. cap. 4. quam opinionem quoque *Asclepiades* ejusque sectatores sunt amplexi, ut colligere licet ex lib. 1. Fac. Nat. cap. 13. Ceterum *Aristoteles* Hist. Anim. lib. 2. cap. 16. ait: Animalia, quæ ova pariunt, aves, piscesque non habere renes; quamvis de avibus ego dubitem. Volatilia enim renibus non destitui, testatur *Jo. de Muralto* Clav. Med. Exerc. 8. pag 376. Idem de Gen. Anim. lib. 4. altero vacans rene animal visum refert. Conf. omnino B. *Bauschius* in Procem. Traumatolog. pag. 40. & B. *Mœbius* Fund. Phys. pag. 413. De exstirpatione renis unius ex *Zambeccario* vid. sup. sub Nota 2. Unum renem saltim in puella existentem egregie describit *Joh. van Meekren* Observatt. Chirurg. cap. 37. pag. 234. De rene unico conf. quoque *Cabrol.* obs. 14. *Panarol.* Pentec. 1. obs. 3. *Rhodii* Mantiss. Anatom. obs. 82. *Cæcilius Folius* apud *Bartholin.* Cent. 1. Epist. 62. *Solenander* sect. 5. consil. 16. *Blasius* obs. Med. 4. Part. 4. *Petr. Russe* in Zodiaco Gall. ann. 2. m. Jun. obs. 1. In muliere hydropica renum (dictu mirum, verum tamen, ut loquitur Autor) ne vestigium quidem invenit *Petr. Paw* obs. 29. conf. ejusd. obs. 31. In fœmina Viennensi

renes

renes putrefactos vidit Mich. Textor Medicus; habet quoque *Schenck.* in Lithogen. p. 69. B. quoque P. i. *Sachs*, heu olim noster! Ann. 1. Ephem. Germ. Cur. obs. 27. habet exemplum nobilis fœminæ Silesiacæ, cujus ambo renes obriguerunt in alabastrinam duritiem & soliditatem. Tamen ut verum fatear, non memini me legisse, ambos aliquando defuisse; adeo forte necessarii sunt in usu, quem an plene ac plane sciamus, hæreo. *Jo. Jac. Waldschmid.* casu 43 pag. 123. quærit: An renum calculus exscindi possit? Quod affirmat, addendo: „Videmus enim stupendos effectus in canibus, qui„bus renes sine vitæ discrimine exscinduntur. Puto tamen abstinendum. Conf. & inf. nota 19. ex *Ant. Everhardo* notanda.

4. VESICA URINARIA] Virum hac destitutum obervavit *Jo. Nic. Binninger.* Cent. 2. obs. 34. Aliud exemplum refert *Frid. Ruyschius* apud *Henr. von Roonhuysen* lib. 1. observat. Chirurg. 16. in hermaphrodito quodam, qui in externis pudendis mulierem præ se ferebat, marem vero magis referebat barba & vox gravior; post apertionem in hypogastrio prope inguina inveniebantur statim sub cute duo testes viriles, quorum alter sanus & probe conformatus, alter scirrhosus, cum parastatis ejaculantibus vasis, vesiculis seminalibus &c. Renes vero præter consuetudinem altius erant siti, magnis amplisque ureteribus præditi, per quos urina non ad vesicam (*nulla enim aderat*) sed ad umbilicum tendebat, ubi utrinque per foraminula effluebat. Addit idem, se aliud quoque observasse exemplum, ubi vesica defuit urinaria, ureteres vero ad umbilicum abierunt. *Jo. Rhodius* in Mantissa Anat. obs. 52. pag. 29. ait: *Aldrighetto de Aldrighettis* Celebri Professore Medico præsente *Petrus de Marchettis* in cadavere nobilis Patavini nullam deprehendit vesicam; sed ejus loco natura cavernulas quasdam seu alveolos constituerat. Conf. & inf. Not. 19. locum ex *Ant. Everhardo.*

4. PE-

5. PENE] Virgæ vulnus fere lethale eſt, ait *P. Barbette* Chirurg. lib. 4. cap. 2. p. 387. Interim PENEM (cujus apud Gentiles venerationem ex *Tertulliano* atque *Diodoro Siculo* lib. 1. cap. 88. tangit *Rupertus* Differtt. ad Valerium Max. pag. 26. Conf. *Riolan.* fil. lib. 2. Anthropogr. cap. 30. *Rolfinc.* de part. genit. P. 1. *Cæl. Rhodigin.* lib. 4. Lect. antiqu. cap. 6. & *Jo. Th. Schenckius* Diſp. de part. genit. maſc. pag. 30.) *vel nunquam adfuiſſe*, interim tamen homines vixiſſe, conſtat hiſtoria hominis in Latio oberrantis *Annæ* nomine, qui & ano & pene caruit; feces certo poſt cibi aſſumtionem tempore cornu in fauces indito revomuit, & aqua dein os eluit, urinam vero per ſpongiam fungoſam ſub umbilico excrevit, de quo *Th. Bartholin.* Cent 1. hiſt. 65. & Anat. Ref. lib. 1. cap. 24. *Hildanus* Cent. 3. obſ. 87. *Zwinger* Theatr. vitæ hum. Vol. 2. lib. 4. pag. 358. Alium inſtar caſtrati, qui neque vulvam, neque priapum, neque teſticulos habuit, ſed per minimum foramen minxit, vidit *Haly Rhodaham* Comm. ad lib. 3. *Galeni* de art. med. t. 77. apud *Jo. Schenck* lib. 4. obſ. 2. Infantem ſine mentula, ſed cum ſcroto & teſticulis natum ad eundem transſcripſit *Tob. Cneulinus*. *Vel alio modo amiſſum* homines vita non privaſſe legimus. Ita Præfectus cuidam navi Belgicæ apud Hollandos in bello Anglicano hoc ſeculo per exploſi tormentarii globi vim teſtes ac penem omnino perdidit. CL. *Nic. Hoboken*, in Epiſt. pag. 160. Arnſtadii quondam (tale & in puero vix ſemeſtri factum ſine vitæ periculo, *Greg. Horſtius* in Epiſt. ad Hildan. Cent. 3. obſ. 47. citante *Mœbio* in Fund. Phyſ. pag. 520 conf. Hildan. Cent. 5. obſ. 47.) in Xenodochio miniſter claudicans quidam alebatur ſumtibus publicis, cui ſub pueritia ad parietem mingenti ſcrofa cum porcellis per plateas deambulans genitalia avulſerat, *Jo. Th. Schenck* Exerc. Anat. cit. pag 50. *Vel etiam abſciſſum*. Conf. omnino plura huc facientia apud *Corn. Stalp. van der Wiel.* Cent. 1. obſ. 84. pag. 357. ſeq. & ibi notas quoque. Penis cancroſi amputatio in Ruſtico prolixe deſcribitur

a *Fried. Ruyschio* Obs. Med. 30. pag. 38. qui videatur. *Jo. Conr. Peyerus* Exerc. 27. ad Jo. Jac. Harder. pag. 147. seq. Parisiis m. Mart. 1679. hæc scribit: „Haud ita „pridem in ædibus CL. *Petri Bourdelotii* virum lustravi„mus testibus & pene truncatum, quæ illi in itinere apri„canti petulantia militum abstulerat, ita ut genitalium „loco foramen duntaxat supersit, qua urina excernitur. „Quamvis autem & vesiculæ seminariæ & prostratæ sal„væ sint atque superstites, pruritus tamen omnis exu„lat vel ad libidinem propensio. cui antea probitatum „erat sæpius. Adeo salsa Venus in testibus & verpa uni„ce residet, ut iis amissis pereat salacitas.„ Totius penis cum scroto & testibus amputationem non lethalem habent D. *Salom. Reiselius* M. N. C. Dec. II. Ann. 4. obs. 7. pag. 10. seq. *Eman. Kœnig* in Schol. ad l. c. obs. 71. pag. 161. *D. Jo. Helwig* obs. 131. & ad eum Excell. D. *Lucas Schrœckius* pag. 356. seq. apud auctores Novor. Liter. 1700. m. Sept. pag. 283. Sic juveni Jenæ ab ancilla penem abscissum, scribit sup. cit. Schenckius Exerc. Anat. pag. 54. Iuvenis mercator Hafniensis cum sana quadam equidem rem habuit, sed superveniente febre ardente, penis intumuit cum gangræna. Curatus fuit a Chirurgo imposito Ægyptiaco & inflammatione refrigerantibus sedata. Tandem pars post partem sponte sua decidit, donec ad sanam colis partem perventum, quæ vix unius digiti articuli longitudine superfuit, per quam prompte minxit. *Thom. Bartholin.* Cent. 3. hist. 27. Penis ab ulcere consumtus apud *Plater.* lib. 2. obs. & lib. 3. apud *Bartholin.* Cent. 1. hist. 65. De Sartore Delphensi, cui totus penis emplastro adhærens avellebatur, vide, si placet. Disp. meam de Lupanaribus §. 19. ex *Foresto. M. Aur. Severinus* lib. 2. Pyrotech. P. I. cap. 90. testatur: Multos se servasse ferro utens & igne, quibus ad usque pubem assidua putredine perdebatur penis. Basileæ anno 1659 d. 10. Nov. Chirurgus Schwartz Tubicini annorum 70 penem cancrosum & corruptum feliciter præsente CL. *Platero* circa radicem detruncavit, brevique

vique tempore ægrum restituit, uti ex *Segero* ad *Bartholin.* Cent. 3. Epist. 9. pag. 46. ipse refert *Bartholin.* Cent. 6. Hist. 96. Ex *Petri Guenellin* Chirurgi dexterrimi communicatione *Jo. Bapt. a Lamzwerde* in App. Observatt. n. 50. pag. 262. hanc refert historiam: „Joannes Laurentii navicularis in platea, quæ a floribus" denominationem habet, carcinoma in pene tolerans," doloris tandem & frustraneorum remediorum per-" æsus me d. 12. Jan. 1656. vocat: Facto diligenti exami-" ne, ferro salutem quæsivimus, maxima penis portione," præsentibus magistris Jsaaco Rasboom & Mich. klœck-" huysen, exsecta; vulnus jam consolidatum nec urinandi" necseminandi ullam fecit remoram; & diffracta hasta" ipsam ausus est aggredi Helenam." Modum etiam, quo arte possit penis fieri & substitui, docet idem *Lamzwerde* Append. Instrum. Chirurg. Tab. 8. pag. 22. Monachum, qui ob zelum castitatis colem sibi pubetenus prorsus absciderat, curavit *Beniven.* de Abd. cap. 68. ex eoque refert etiam *Sennertus* Prax. lib. 3. P. 9. sect. 2. cap. 5. pag. 957. Aureliæ quidam maniacus in profundum puteum se dedit præcipitem, & genitalia abscidit, extractus tamen & non mortuus est. *Rousset* de partu Cæsareo sect. 4. cap. 6. Alii prope Lausannam penis in ipso abdomine exscindebatur, qui convaluit, & ad multos supervixit annos, teste *Fabric. Hild.* Cent. 3. obs. 87. pag. 494. Alium veretri conosi amputatione servatum vidit *Zacutus Lusit.* lib. 2. Prax. admir. obs. 112. Ulmensi civi anno 1635. penis sphacelo corruptus artificiose & feliciter resecabatur a *Jo. Sculteto* Annam. Chir. P. 2 obs. 65. qui allegat simile, ubi Balthasar Ordin. in nosodochio ad D. Francisci Patavii seniculo penem lue venerea corruptum amputavit, ulcusque convenienter consolidavit. *Nic. de Blegny* in Zodiaco Gall. Med. anno 1679. m. Febr. obs. 6. pag. 49. refert, ministrum Chirurgi in Angliam abiturientem in Gallia sub arbore consopitum a quatuor latronibus invasum pecunia spoliatum, ac tandem virilia ipsi ab iisdem fuisse omnino abscissa, nempe

penem cum ſcroto vaſisque teſticulorum* ſuſpenſoribus præciſe novacula ablata, adeo ut ne minima partium genitalium, quæ extra eminent, portio ſuperſtes fuerit; ipſeque deinceps nullum appetitum venereum ſenſit vel in imaginatione. *Gottſr. Schulze* in Chronic. P. IV. pag. 42. ad A. C. 304. ait: Galerius der 39. Rö- miſche Kaiſer war ein Küh-Hirte, und ein greuli- cher Verfolger der Chriſten, darumb ſtraffte ihn Gott, daß ihm ſ. h. das männliche Glied abfaulen muſte, worüber er ſich aus ungedult ſelbſt den Tod anthat. Ita Turcæ hodie non ſolos teſtes, ut olim, ſed penem quoque Eunuchis ſuis abſcindunt. *Scaliger* Exerc. 104. n. 8. *Rouſſet* lib. 6. cap. 6. *Cardanus* Comm. in Hippocr. lib. de *A.* A. & lib. 62. t. 19. *Busbequius* Epiſt. 3. conf. *Sennert.* Prax. lib 3. P. 9. ſect. 2. cap. 3. pag. 957. Conf. omnino CL. *Bauſch.* Proem. Traumatol. pag 40. *Fabric. Hild.* Cent. 3. obſ. 87. *Zwinger* Theatr. V. Hum. Vol. 2. lib 4. fol. 358. Memoratu dignum eſt (ait *Regn. de Graaf* Tr. de viror. organ. gener. pag. 43.) „quod narrat *Linſchotus* in Itinerario „Caffres Æthiopiæ populos ad oram maritimam, quæ a- „pud Caput bonæ ſpei porrigitur, invicem variis bellis „occupari: Victores victis cæſis & captis pudenda re- „ſcindere, quæ reſiccata Regi reliquorum *procerorum* „(procerum) præſentia offerunt hisce moribus: Pu- „denda in os aſſumunt ſingulatim, atque ad Regis pedes „ea exſpuunt: Rex collecta ac ſublata in regium munus „victori reſtituit, quæ victor filo connexa pro monili „ſponſæ ſeu uxori ſuæ de collo ſuſpendit: Sponſa hoc „habitu incedens in tantum attollitur, ut ſe vel totius „mundi Reginam aut aureo vellere inſignem credat.„ Conf. Zeilleri manuale lib. 1. pag. 412. Obiter huc referam ridiculum & ſtupendum illud, quando (neſcio an ſatis vere: Uſus enim penis eſt ad coitum, qui a viro recte fieri nequit absque erectione pudendorum, & hanc conſequente ſeminis excretione, ait *Th. Bartholin.*

Ana-

Anat. Ref. lib. 1. cap. 24. pag. 151.) asseritur, tales nihilominus generasse. De quodam Principe Germaniæ scribit *Nancelius* Anal. Microc. lib. 7. & ex *Jonston.* Thaumatogr. class. 10. cap. 5. art. 3. qui bombardæ ictu eviratus argenteum sibi curavit fabricari penem & felici successu liberis operam navavit, ait *Casp. a Reies* qu. 41. §. 24. & ex hoc CL. *Ammannus* in parænesi doctissima pag. 403. Ita *Sylvius* Comm. de Mens. mul. apud *Schenck* lib. 4. de pene & præputio ex *Savanarolæ* auctoritate refert, quosdam membro quasi penitus abscisso generasse, idque evenisse tum ob validam residui penis ejaculationem, tum maxime ob validissimam uteri attractionem. Quod etiam acceptum videtur *Fortun. Fidel.* lib. 3. de Relat. med. cap. 2. & *Riolan.* de Herm. cap. 12. Nonnulla exempla ad hoc affert *P. Zacchias* lib. 3. Tit. 1. quæst. med. leg. 8. n. 4. qui infra num. 18. valde (nec immerito) limitat. Hoc tamen non negandum, periculosam esse ejus abscissionem. *Forest.* lib. 26. in schol. ad obs. 3. In alio mercatore Dano, lue venerea infecto, abscindebatur quidem penis dexter, nihilominus, quia malignitas ad inguina serpsit, moriebatur. *Th. Bartholin.* Cent. 6. hist. 96. Amputato pene propter infectionem a scorto ex multis paucos curatos refert *Andr. Petr. Perusinus* in Hypomn. apud *Schenck.* fol. 526. additque alium cauda inde plus quam dimidia mulctatum. Ita extinguebatur paucos ante annos miles, cui in hac vicinia ab ancilla virgine, ob vim ruri inferendam, penis secula auferebatur; sed dubio procul ob largam sanguinis vitalis e vasis libidine æstuantibus effusionem, inquit Mœbius Fund. phys. cap. 19. pag. 250. Conf. sup. ex Barbette notata in principio Notæ hujus.

6. UTERO] De utero equidem scribit *Dav. Herlicius* in Tract. de Curatt. gravidar. puerperar. & infantum cap. 1. pag. 2. Ist unter den fürnehmsten Gliedern eins das menschliche Geschlecht zu erhalten. Interim sine utero vixisse fœminas, vide exempla apud *Mœbium* Fundam. physiol. cap. 20. pag. 580. Conf. Satyram nostram 2dam §. 1. & in nott.

7. PODICE] Supra jam nota 5. in princ. vidimus hominem, Annæ nomine, & ano & pene carentem. Puella ſine podice vivens legitur apud *Fabric, Hild*, citante *Greg. Horſtio* Tom. II. pag. 512. b. Conf. *Ariſtoteles* lib. 4. de Gener. Animal. cap. 4. De vacca Pirinthi apud Mercurial. lib. 1. de Excrementis cap. 6. pag. 231. Sine ano naſcebatur d. 2. Aug. 1671. monſtrum Pariſienſe, ſiquidem inteſtinum rectum erat plenum meconio, illud vero, ubi anus debebat eſſe, inſerebatur in veſicam, quæ alias erat pleniſſima, ceu diſſecuit Dn. *Portal* Chirurgus Pariſ. qui de hoc caſu diſſertationem edidit, referente Jo. Bapt. Denis dans ſes Conferences pag. 131. Pertinent huc exempla hominum, quibus anus clauſus imperforatusque repertus eſt. *Paul. Aegineta* lib 6. cap. 81. ex eoque *Jo. Schenckius* lib. 3. Obſervatt. fol. 419. ait: Pueris recens natis anus ex natura aliquando imperforatus reperitur, eo quod membrana eſt obſtructa; quandoquidem etiam perfectis ſæpe propter ulcus non bene curatum concretio in ano contingit. Sic *Benivenius* cap. 30. de Abdit. ita: Cuidam puero recens nato caro quædam in ano altius increverat, adeo, ut inteſtini exitus percipi nullo modo poſſet; quo factum ut paucis diebus finierit vitam. Puerulum, cui foris quidem podex apparebat, ſed absque ad inteſtinum rectum via, erat enim in extremitate clauſum, diſſecuit d. 9. Dec. 1602. *Salzmannus.* vid. ejus Obſervatt. Anatom. pag. 21. *Borellus* Obſervatt. rarior. Cent. 1. n. 77. ait: Tirefort ſenior Chirurgus caſtrenſis puerum curavit imperforato podice natum, idque ſcalpello & ruptione membranæ craſſæ, qua obtegebatur. Idem ib. alius ſimilis exempli meminit, additque, ſe vocatum ad videndum puerum villæ de Gouxiade anno 1648. qui podice imperforato natus erat, ſed cum tarde foraminis illius defectus animadverſus fuiſſet, ante operationem mortuus eſt. *Sennert.* teſte eod. *Borello* l. c. talem vidit clauſuram in puero, qui 17. diebus vixit ano licet clauſo, fecem autem cum urina reddidit. Idem ib. adhuc alterius meminit pueri, ſua æ-

tate

tate superstitis, cujus imperforati membranam scalpéllo aperuit Tobias de Rocairols Chirurgus castrensis. Duo alia exemqla refert *Julius Obsequens* apud *Jo. Schenck.* Observatt. lib. 3. fol. 419. item *Cardanus* de Variet. rer. lib. 8. cap. 43. *Argenterius* lib. 2. de Caus. morb. cap. 10. Citatus modo Schenckius eod. loc. ait: Puellam vidimus clauso ani meatu natam, quæ octavo quoque die excrementa ex naturalibus dejiciebat, teste Beniven. de Abdit. cap. 86. Talis puellæ etiam meminit *Mercurial.* lib. 1. de morb. puer. cap. 9. Modum curandi hujus affectus vid. ap. *Job van Meeckeren* Observatt. Chirurg. c. 22. pag. 160. seq. *Jo. Schenckium* l. c. qui citat quoque *Aeginetam* lib. 6. cap. 81. *Albucasim* Chirurg. lib. 2. cap. 79. *Hali Abbas* Pract. lib. 9. cap. 63. *Nic. Florent.* serm. 7. tr. 2. cap. 37. *Wierus* lib. Obs. Med. sub fin. & *Beniven.* l. c. Alia exempla allegant *Cæl. Rhodigin.* lib. 4. Ant. Lectt. cap. 9. *Albertus M.* & *Suessanus* ap. Mercurial. l. c. qui legi meretur. Aliud suppeditat Salzmann. d. 9. Mart. 1614. Obs. Anat. pag. 62. *M Sebizius* Coroll. 5. ad Disp. de Constip. alvi Argent. 1664. pag. 23.

8. LINGUA] Partem quidem ejus innoxie abscissam commemorat *D. G. H. Velschius* Cent. Episagm. obs. 25. *Paul Zacchias* lib. 2. tit. 3. qu. med. legal. 8. n. 3. ac *Th. Bartholin.* Cent. 2. hist. 22. Quod etiam multis hinc inde exemplis blasphemorum, aliove modo atrociore reorum, quibus lingua pœnæ loco abscinditur, potest probari, uti quoque adnotavit Eruditiss. *J. Langius* olim noster lib. 1. Epist. 4. Sed totam defuisse varie & prolixe exemplis probant *Zwinger* Theatr. Vit. hum. fol. 349. B. *Greg. Horstius* Cent. Probl. fol. 355. *Camerarius* Syll. Cent. Mem. 6. n. 38. *Zacutus* lib. 1. hist. 71. *Th. Bartholin.* l. a. maxime CL. D. *Bauschius* in Prooem. Thraumatol. pag. 52. CL. *Sachsius* Schol. ad obs. 35. Anni 1. Eph. Germ. Nat. Cur. pag. 119. seq. Iam olim aliquis linguam sibi mordicus abscidit convulsione, ac dein reconvaluit, ceu refert *Galenus* de Morb. diff. cap. 8. (Ita Blamontii 1666. in uxoris meæ sorore Maria Ursula, nata

Chemnitia convulsionibus correpta, linguam dimidia sui parte incisam, Dei ope restitui. De variis exemplis eorum, qui linguam sibi morsu amputarunt, lege *Ægid. Menagii* Hist. mulier. philosoph. pag. 56. seq. Martina exsecta lingua relegata est, comite filio abscissis naribus deturpato. *Jo. de Bussieres* in Flosc. Hist. areol. 12. pag. 249. *Franc. Ignatius Thirmair* in Dedicat. *Thomæ Mermanni* Consultatt. ac Respons. Medicar. refert: Hilbrando Thirmairio atavo suo innocenter ab hæreticis linguam, quoad prendi potuit, truncatam ita tamen recrevisse, ut Hilbrandus iste non sine miraculi opinione iterum loqueretur. De alio muto, ob abscissam a Piratis Turcicis linguam, post triennium ex fulgure perterrito iterum loquente, lege omnino Tulpium lib. 1. obs. cap. 41. pag. 74. seq. Notabilis est historia de puero Gallo Petro Durando, 8. vel 9. annor. cui in variolis per gangrænam tota lingua excidit; nihilominus loquebatur, gustabat, exspuebat, assumta in ore colligebat atque deglutiebat, quam gallice conscripsit & reddit Salmurii 1630. *Jac. Roland de Belebad* Chirurgus ibid. titulo: Aglossostomographia. In latinum vertit CL. *Car. Raygerus* & adnexuit Anno 3. Eph. Germ. Nat. Cur. pag. 559. Ille cap. 4. linguam semel amissam regenerari posse negat; hic vero in notis affirmat. Priori (pace CL. *Raygeri*) magis accederem. De eadem historia *Carol. Drelincourtius* Tract. de variolis §. 19. ita graphice: „Hinc nuperum octennem septica variolarum labe elinguem, sed „loquentem stupuit Academia Salmuriensis, stupuit & „universus terrarum orbis, stupebunt & seri nepotes. Et „enim de miraculo ne conticesceret ætas ulla, Academiæ Salmuriensi sui stuporis memoriam propagare licitum est. Projecto quippe titulo sesquipedali τῆς ἀ„γλωσσοστοματολαλοπαιδογραφίας historiam uni„versam illam de puero octenni sine lingua ore loquen„tis ab oblivione hominum atque silentio vindicavit. Insuper de quibusdam sibi ipsis linguas præmordentibus & versus tortores exspuentibus, lege omnino *Balth. Boni-*

Bonifac. Hist. ludicr. lib. 22. Denique avulsis linguis sanctos aliquot supernaturaliter locutos allegat ex pluribus *Keies* Quæst. 35. n. 12. & *Rayger* l. all. in nott. ad cap. 6. pag. 588. *Æneas Gazæus* in Dial. de animar immortal. & corpor. resurrect. testatur, se vidisse confessores quosdam, qui abscissis linguis optime tamen & articulate locuti fuerint; apud *G. M. Kœnig.* in Biblioth. fol. 12. b. *Sigebertus Gemblacensis* Monachus scribit: "Anno 3. imperii Justiniani in Africa Episcopis quibusdam orthodoxis a Vandalis linguæ radicitus sunt excisæ, qui tamen nihilominus, Deo mirabiliter præsentiam ac favorem erga constantes veritatis assectatores declarante, clare & diserte loqui potuerunt. Unum vero ex his superbientem hac gratia rursum privatum hoc beneficio esse affirmat" apud *Jo. Wolff.* Lect. mirabil. Centen. 12. fol. 325.

9. STOMACHO] Insignem & notatu dignam historiam Pragæ anno 1676. factam refert CL. *Sturmius* in Calend. curioso, in practica ad mens. Mart. Habetur eadem ex relatione *Franc. Lœwenwald* Med. D. in Ephem. Germ. Nat. Cur. Dec. 2. anno 3. obs. 44. pag. 124. cui adjecta pag. 126. Epicrisis *Joh. Jac. Wencesl. Dobrizensicus* Prof. P. Pragensis.

10. FELLE] Magnæ heic lites de optimo nec non (certo respectu) pessimo liquore! Quædam animalia plane eo careant, teste Deusingio Institt. Anat. cap. 4. pag. 77, uti *equus* Aristotel. lib. 4. P. A. cap. 2. & Hist. Animal. lib. 2. cap. 15. *Sim. Paulli* in Anat. Equi regii non invenit, uti testatur pecul. tract. anno 1672. & iterum 1674. edito. Adde *Thom. Bartholin.* Vol. 3. Act. Hafn. obs. 31. & Vol. 1. n. 11. pag. 37. *Frid. Ruyschius* obs. 31. pag. 41. ait: *Equi, asini & multa* alia animalia, non gaudent vesicula fellea, poro bilario illis sufficiente: Plinius tamen H. N. lib. 11. cap. 37. ait: *Sunt, qui equo non quidem in jecore esse sed in alvo putent.* Imo Blasius in Anatome equi observavit, falsum esse, quod vulgo refertur illum vesicula fellis carere, quippe invenit ad pu-

gni magnitudinem, sed in ipsa hepatis substantia insculptam, unde forsan frustra ab aliis quæsita est. CL. *Casp. Bartholinus* Thomæ fil. in Act. Hafn. Vol. 3. obs 31. pag. 63. Conf. *Sim. Paulli* Bericht von einem Königlichen anatomirten Leib-Pferde, & præcipue *H. Conring.* de Sangu. Generat. & motu naturali cap. 16. toto, pag. 124. seq. item *mulus* & *asinus*, *Aristot.* & *Plin.* ll. cc. Sic *Petr. Joh. Faber* in Patholog. cap. 43. §. 7. pag. 406. ait: „Est enim fel omnibus animalibus datum, exceptis asi„nis, inde etiam tarditas eorum ac stupor, quod sanguis „istorum ac membra spiritu felleo non ferveant, qui te„nuitatem ac subtilitatem in sanguine & membris produ„cit.„ quem tamen recte refutat *Christ. Langius* in animadverss. ad h. l. in Pathologia Animata pag 414. *Cervus*, Aristoteles ibid. cui consentit *Joh. Dan. Horst.* in manuduct. ad Medic. pag. 104. qui ad quotidianam experientiam provocat. *Jonstonus* autem Thraumatogr. Classe 7. Cap. 10. pag. 303. non in jecore, sed aut intestinis aut cauda locat; forte ex Plinio l. cit. *Aristot.* Hist. Animal. lib. 2. cap. 15. solum in Achaicis cognomine cervis fel contineri tradit &c. & paulo post inquit: Sed cervus felle, ut dictum est, vacat, quanquam ejus inte„stinum amarum adeo est, ut ne a canibus quidem attingatur, nisi cervus præpinguis sit. De *Dama* idem asserit Aristot. lib. 4. P. Anim. cap. 2. & Hist. Anim. lib. 2. cap. 15. cui αὐτοψίαν quotidianam suffragari asserit *Jo. D. Horst.* l. jam cit. *Alce* fœmina Parisiis dissecta vesicula fellea plane carebat, & totum hepar usque ad interiora sui parenchymatis livido atque gryseo tinctum erat colore; ceu ex auctore libri: *Memoires* pour servir a l'historie des animaux paris. 1671. in fol. regali refert *Joh. Frid. Leopold*, Lubecensis in Disp. inaug. Med. de Alce Basil. d. 3. Jun. 1700. §. 10. De *Capreolo* idem testantur *Mœbius* Fundam. physiol. cap. 14. pag. 339. & *Th. Bartholin.* Anat. ref. lib. 1. cap. 15. quem vide. Experimenta vesicæ felleæ in tribus *canibus* exsectæ fecit *Joh. Bohnius*, quæ videantur in ejus tract. de renun-

ciatio-

ciatione vulner. Sect. 2. cap. 4. pag. 374. seq. De *vitulo* ita *Godefr. Bidloo* in vindiciis contra *Frid. Ruysch.* pag. 27. „De monstrosis aut male conformatis in Oeconomia animalis certi nihil statuendum. Exhibui præ-" terita hyeme auditoribus meis vitulinum hæpar, cui" tota deerat vesicula fellea. Sed quid illud ad rhom-" bum? An omni propterea destitutum fuit illud hepar" bilis secretione? Aliter longe. Bile enim mucosa tur-" gens insigniter ante communem ductum bilarius po-" rus, cloacæ vel receptaculi ad instar & collectionis hoc" munere fungi visus est." *Elephanto* etiam jecur sine felle; incisa tamen parte, qua fel adhærere solet, humor felleus effluit plus minus, *Aristot.* Hist. Anim. lib. 2. cap. 15. item *apri* non habent fel, juxta Plin. lib. 11. cap. 37. item *Camelus*. teste Aristot. lib. 4. Hist. Anim. cap. 2. & *Plinio* lib. 11. cap. 37. ac *Morhard.* de Miracul. in Creatur. lib. 4. cap. 1. (habere tamen venas felleas vult Aristot. P. A. lib. 4. cap. 2. seu aliquid felli analogum *Bochart.* Hierozoic. P. 1. lib. 2. cap. 1. fol. 76. (Plura de eo commentatus sum olim in Collegio meo Physico, adhuc MSCto lib. 5. cap. 13. §. 13. Felle quoque carent, qui absinthio vescuntur in Ponto Plin. loc. cit. *Camerar.* Cent. 1. embl. 81. *Ravisius* de re hortensi num. 125. In Ponto, Asiæ minoris provincia mari adjacente, pinguescunt pecora absinthio & ob id sine felle reperiuntur, ceu ex *Theophrasto* lib. 9. cap. 18. & *Plinio* refert *Auctor* Catalogi plantar. circa Cantabrigiam nascent. pag. 36. Dubito tamen; minui in iis fel, non plane auferri crediderim. Aves, quod attinet, *Grus* vesicula fellea carens exhibetur a *Th. Bartholino* Cent. 4. hist. 12. pag. 233. In Grue a Dn. D. *Sim. Paulli* dissecto nulla vesicula fellis nec ullus in corpore adeps, ut αὐτόπτης testatur *Th. Barthol.* l. all. item *Columbæ* secundum vulgum, quos ridet *Galenus* lib. de atra bile: nam utut ejus vesicam non habeant, ventri tamen aut intestinis jungitur, teste *Morhard.* lib. 5. cap. 3. de Mirac. in Creat.

at. & *Matth. Jac. Matthiades* apud *Th. Bartholin.* „Cent. 4. Epist. 55. pag. 342. ait: Indubitato nobis con-„stat, nec *in equis, gliribus & columbis* folliculum fellis „adesse, ductus tamen in duodenum ab hepate descen-dens non deest, qui in columba liquorem viridem in-„star fellis continebat, nunc ab hepate in intestinum se „exonerantem, nunc rursus in hepar regurgitantem. Imo pridem jam *Aristotel.* lib. 2. Hist. Anim. cap. 15. di-„xerat: "Aliis fel ad jecur, aliis infra repositum adhæ-„ret, quod etiam in avibus pari modo perspectum est: „aliis enim ventri, aliis intestino jungitur, ut *columbæ*, „cervo, coturnici, hirundini, passeri; aliis jecori simul, & ventri, ut capricipiti; aliis jecori simul & intestino, ut accipitri, milvo &c. Audiamus & *Ol. Borrichium* in Act. Hafn. vol. 1. num. 96. pag. 186. seq. ita differentem: Vesicula fellis nulla in columba juniori, aderat tamen „ductus hepaticus, isque in tenui fissura hepatis ex va-„riis minutissimis prosiliens ramis, inque duodenum „se exonerans. In hoc ductu vivente adhuc columba „jam bilis est conspecta viridis, jam iterum evanuit, „succo illo felleo in hepar motu singulari, ut videbatur, „recepto. Intervallum illud motus paullo erat longi-„us, quam systole & diastole cordis: corde etiam quie-„scente adhuc motus ille aliquandiu durabat, & post-„quam ductus jam videretur inanis, mox iterum resta-„gnante ex hepate liquore bilioso implebatur. Diutius „tamen inanitas tenuit quam expletio. Ostendebatur & „prope ductus alter hepaticus, sed minor firmiorque, in „quo nulla quidem bilis notata, motus tamen idem, qui „in priori. Secundus hic priori duplo longior define-„bat in jejuni partem sex digitis transversis infra prioris „ingressum, adeo ut pene responderet loco, quo succus „pancreatis sese solet in intestina effundere, id quod jam „ante in *corvo aquatico* aliisque volucribus observa-„tum." Addit idem Curiosiss. *Borrichius*, in ventricu-lo utroque bilem viridem, stagnasse; credibile opi-nans, in conflictu ultimo mortis ex duodeno in ventri-culum

culum per pylorum sic satis patulum transiisse. *J. C. Schelhammer*. Exerc. Med. XI. §. 18. ait: „Ex avi-" bus *columbæ*, ex quadrupedibus *capreolis* omnique" *cervorum* generi, itemque *sciuro* nulla est vesica bilaria." Idem de *equo*, *asino*, *mulo Aristot.* jam olim notavit lib." 4 P.A. cap. 2. Gallinn aliisque est, sed seorsim ab hepate" locata." De *vitulo marino* felle carente vid. Aristot. ll. citt. Contrariatur vero illi *Plinius* L. XI. cap. 37. & inter pisces marinos *Delphin*; iidem Auctores ll. cc. Sic in phoea marina fel in hepate deprehendit nullum *G. C. Schelhammer* in phocæ maris anatome Kiliæ 1699. in 4. edita pag. 24. *Joh. de Mey* in Comm. Phys. ad S. Script. pag. 189. inquit: "In America ingens est cancrorum" terrestrium copia, qui quamvis merito inter pisces re-" censeri possint, perpetuo tamen commorantur sub" montibus & saxis; semel in anno mare ingrediuntur ad" suam speciem conservandam, ex quo redeuntes testas" renovant, atque alte se sub terra abdunt, adeo ut non" nisi effossi extrahantur. Eo tempore *bilem non habent*, sed ea in quatuor lapides albos commutatur. Reno-" vatis autem testis denuo lapides illi quatuor in bilem" convertuntur. Quæ omnia ipse non semel expertus" sum." Quædam vero animalia modo eodem gaudeant, modo destituantur; uti *mures Aristot.* lib. 4. P. A. cap. 2. & lib. 2. H. A. cap. 15. Item *Plinius* l. c. hoc etiam *ovibus*, *caprisque* (his tamen plane deesse scribit *Plinius* XI. 37.) evenit: pars enim earum maxima fel habet, & quidem copiosissimum, ut in Naxo; sed aliis terris quibusdam in locis omnino carent, ut apud Chalcidem Euboicam parte quadam agri. De posteriore *Plinius* quoque l. cit. Hinc & *Cardilucius* in notis ad *Hartmanni* prax. Chym. cap. 128. pag. 532. ait: "Porum biliari-" um cuncta animantia sanguinea habent, transeuntem-" que per eum in intestina bilem, quod quidem veteres" ignorarunt, fel non paucis animantibus deesse arbitra-" ti, bilemque virulentum quid & damnatum sanguinis-" recrementum."

Sed

Sed hactenus de brutis. Ipsis tamen etiam *hominibus* quibusdam quandoque deesse memorat *Aristoteles* lib. 4. P. A. cap. 2. *Plinius* l. cit. qui addit, inde iis valetudinem firmiorem & vitam esse longiorem. Vid. *Job. Dan. Horst.* Manud. ad Medic. pag. 104. Die 5. Mart. 1652. *Petro de Marchettis* visa fuit in agresti vesica bile destituta jecinore maximo, CL. *Blasius* ad *Vesling.* pag. 62. forte ex *Jo. Rohdio* Mantiss. Anat. obs. 24. In icterico nigro vesicula fellea plane vacua reperiebatur anno 1657. Erfurti a CL. D. Möllenbroc. Anno 1. Ephem. Germ. Nat. Cur. obs. 87. Nimirum non nisi in ægris tota effusa secundum *Franc. de le boe Sylvium* Disp. Med. 2. §. 18. *Arnold. Weickardus* Thes. Pharmacevt. lib 1. cap. 13. fol. 237. ait: „Si historicis credendum, senex quidam decrepitus in iram mire propensus post discessum sine felle ac sine cysti inventus est, in „cujus sede calculus ingens concreverat.„ Forte hoc hausit ex Foresti lib. 19. obs. 16. in schol. qui idem observavit. *Job. Dan. Horst.* Manud. ad Med. P. I. cap. 1. sect. 3. §. 6. pag. 103. seq. ait: „Si vesicula (bilis) continuo traheret, aliquando quoque vacua reperiretur, „quod nondum contigit nisi præternaturaliter, ut vesicam bilis bile destitutam calculis tamen turgidam vidit „*Fontanus* pag. 21. Idem ibid. paulo post addit: Illustrissimi Comitis J. E. ab J. & B. pronuper infans „demortua destituta erat vesicula bilis, teste D. „Geilfusio. Ludit nimirum (loquor verbis Excell. „Dom. Sponii, δημιεργὸς natura, ut in aliarum partium ita interdum & in vesiculæ istius conformatione, „quam huic puellæ negaverat, uti cervis, damis, aliisque animalibus usu venire αὐτοψία quotidiana comprobat.„ In monstris etiam deesse potest, ut in illo Medioburgi, de quo sup. sed an in hominibus vel mala conformatione, vel etiam vi transfossum fel deesse possit disquiritur? Et uti prius conceditur; ita posterius videtur difficilius assertu. Nobili enim cuidam rumpebatur

batur vesica fellis, inde diuturnus bilis vomitus & denique mors, ceu post obitum sectione satis apparuit, G. Bertin. lib. 12. cap. 14. Fernelius Pathol. lib. 6. cap. 5. ait: "Non pauci e vivis surrepti sunt, in quibus non alia interitus causa apparuit, quam quod folliculus" bile omnino esset exhaustus." *Ettmüllerus* in Institt. Med. physiol. cap. 12. §. 4. "Usus (inquit) bilis tantus" est, ut sine bile corpus languidum omnino & ægrum" evadat. Cujus exempla prostant hinc inde, vid. *Mæbium* in Fundam. pag. 368. item *Deusing.* in Exerc. de" alimentor. depurat. §. 69. *Glisson.* in Anat. hepat. cap." 39. Simile exemplum in quodam decollato vidi, qui" omnino cachecticus jam ad anasarcam declinabat, in" quo tamen nihil reperiebatur præternaturale, nisi" quod fellis vesicula bile esset vacua." Mortem in puero post quatuor dies a vesicula fellea rupta vidit *Salmuth.* Cent. 1. obs. 3. Hinc *Gothofr. Welsch.* in Ration. vuln. lethal. jud. pag. 64. bilis vesiculæ vulnus simpliciter & absolute lethale æstimat; atque *Helmont* de sextupl. digest. alim. hum. § 30. inquit: "Sunt enim fellis vul-" nera confestim mortalia, non autem ita hepatis:" Quod tamen non semper verum esse arbitror. Quin imo hodie esse, qui fel innoxie exscindant, nuper rumore accepi. Vid. sup. exemplum de tribus canibus ex *Joh. Bohnio.* Placet sententia *Corn. Consentini* Progymn. 6. pag. 257. dicentis: " Animantes quædam " bilis folliculo carent, ut cernere est in cervis, damis &" columbis. His tamen semper inest felleus humor, quem" peculiares tubuli e jecore ad intestina derivant &c.,, *G. C. Schellhammer* Exerc. Med. II. § 38. ait: Tantæ utilitates bilis faciunt, ut *nulli animalium* desit, etsi veteribus hepaticum ductum ignorantibus aliter sit visum. In homine vero bilis nunquam, nisi præter naturam in folliculo suo deficit, teste *Franc. de le Boe Sylv.* Disp. Med. 6. § 5. Imo deficiat ibi, absit plane folliculus, bilis tamen nunquam deerit, sed per sangvinem quaqua versum dispersa, cum vel quotidie in assumtis aliquid late-

at

at pro bile generanda, invenietur. Coronidis loco adjicere placet verba CL. *Mœbii* in Fund. Physiol. cap. 15. ,pag. 367. „Tantum abest, ut secundum *Aristotelem* & „*Plinium* quidam hominum absque bile inventi fue-„rint, ejusque absentia vitæ longævitatem caussari que-„at, ut potius ex ejus defectu hominem nunquam diu „superstitem futurum, sed vel hydropicum vel cachecticum e vita emigraturum credamus.

11. INTESTINIS] Notabilem historiam suppeditant *Petrus Vietor* & *Theobaldus Fettich* Medici *Wormatienses* apud *Helv. Dietbericum* de Acidulis Schwalbacens. pag. 44. seq. Ex quo & eandem repetit Zeillerus Cent. 3. Epist. 78. pag. 820.

12. PANCREATE] In Principe Hassiaco anniculo d. 21. Jun. 1655. denato pancreas ita consumtum, ut ejus nullum fere vestigium animadvertere liceret, a *Jo. Dan. Horstio* apud *Thom. Bartholin.* Cent. 3. Hist. 81. pag. 164.

13. OMENTO] Omento carere cuniculos, asserit *Petrus Pawius* observ. Anat. 10. Vide & notata ex Ant. Everhardo inf ad notam 19. In anniculo principe Hassiaco nota præced. 12. memorato omentum penitus putrefactum notabatur a *J. D. Horstio* apud *Th. Bartholin.* l. cit.

14. PERICARDIO] In Joannis Arminii, pharmacopolii ministri dissecto cadavere, inveniebatur cor magnum & amplum, sed sine pericardio ullove vel minimo ipsius vestigio. Intestina vero innatabant aquis, ut pulmo bili flavæ. *Tulpius* lib. 2. obs. c. 25. pag. 136.

15. DIAPHRAGMATE] Aves omnes respirant & diaphragmate carent, ait *Georg. Entius* Animadvers. in Thrustonem XII. pag. 496. seq. Idem ibid. pag. 497. ait: Testudo diaphragmate caret, desuntque musculi intercostales, & tamen respirat.

16. SINE PULMONIBUS] Solum pulmones habent animalia, quorum cordi annexus est ventriculus dexter, ait *Franc. de le Boe Sylvius* Exerc. Med. 7. §. 62.

hinc

hinc pisces aliaque animantia frigida pulmones non habent, teste, Rob. Boyle in Nov. Experim. Phys. Mechan 41. pag. 432. Pisces diaphragmate fruuntur, & pulmonibus destituuntur, ait *Georg. Entius* Animadvers. 12. in Thrustonem pag. 497. Conf. & inf. nota 19. ex Ant. Everhardo notata. Non autem indigent cordis isto labello & ventilabro, juxta *Th. Bartholin.* Anat. Ref. lib. 2. cap. 9. Quod olim jam innuit *Aristotel.* lib. 2. Hist. Anim. cap. 15. dicens: πνεύμονα δὲ ὃ πάντα ἔχει, οἷον ἰχθὺς ἐκ ἔχει, ὀδὲ τι ἄλλο τῶν ζώων, ὃ ἔχει βραγχία. De hominibus quoque constat, adhuc in utero materno pulmones feriari, nec eos respirare, testibus *Laurentio* in Anat. fol. 324. *Sebizio* Disp. 14. in *Galen.* A. P. §. 4. *Jo. Th. Schenck.* Schol. part. pag. 67. *Harvejo* & *Mauro Cordato* de Pneumon. Instrum. cap. 1 &c. (*Hippocrates* tamen respirare affirmavit, quam sententiam reanimarunt non ita pridem docti aliquot medici, teste *Rob. Boyle* l. sup. cit. pag. 464. qui ibidem distinguit, & ait, grandescentem fœtum obscurum quandam respirationem exercere, probatque ex vagitu uterino, de quo etiam fuse *Th. Bartholin.* Cent. 1. Hist. 1.) Verum in hominibus plane deesse impossibile, juxta *Laurenberg* Exerc. Anat. 1. §. 47. Phthisicis quidem pulmones interdum ultra dimidium putredine absumuntur (multos tamen annos sæpissime vivunt) testibus *Sennerto* de Pestil. cap. 1. *Panarol.* Pentec. 1. obs. 46. *Platero* in Observatt. apud *Scheuck.* in Observatt. fol. 256 b. præcipue *Mœbio* in Fundam. Physiol. pag. 288. Ita CL. *Erastus* antecessor olim meus in Disp. Paracels. Part. 4. pag. 210. asseverat, phthisicos se restituisse, quibus dimidia pulmonum pars morbo amissa. Conf. Salmuth. Cent. 1. obs. 13. & 14. Ita *Realdus Columbus* lib. 15. de re Anat. pag. 489. ait: Inveni quoque partem thoracis pul-„mone omnino destitui, hoc est minimam pulmonis „portionem adesse; quod vero reliquum erat cavitatis, ab „aqueo humore occupabatur. Quem vero heic habemus

I αὐτὸ-

αὐτόπτην? Plane vero defuisse, ecquis observavit? In monstro quidem Medioburgi genito, deerat una cum capite cerebro ac corde, uti ex *Everhardo Deusing* in fœtus Mussipont. secundin. apud *Th. Bartholin.* Cent. 4. Epist. 30. sed hoc monstrosum. De pulmonis tamen defectu, legatur *Fabritius Bartholetus* Meth. in Dyspn. lib. 4. cap. 3 pag. 291. Ejus interim loco vesiculam quandam membranoso flatu repletam habuit puer Amstelodamensis, 4. annorum. teste *Nic. Fontano* Medico ibidem, Exempl. 7 fol 16. & 56. quæ venulis exiguis munita, originem suam ab ipsa arteria (unde cordi refrigerium) repetebat: qui tamen, quia forsan non satis copiosus aër cordi subministrabatur, marasmo obiit, ait *Th. Bartholin.* Anat. Ref. lib. 2. cap. 9. pag. 285. In homine ergo adhuc defectus hujusmodi exspectabimus exempla.

17. CEREBRO] Cerebrum, inquit *Plinius* lib. 11. c. 37. omnia habent animalia, quæ sanguinem, etiam in mari, quæ mollia appellavimus, quamvis careant sanguine, ut polypi. Partem ejus innoxie demi, fusius, Deo volente, alibi docebo; interim legatur *Car. Bardili* in Colleg. Patholog. Exerc. 4. Coroll. 4. qui ait: Nihil novi, diu homines vixisse, quibus de cerebri substantia multum exemtum erat. *Volch. Coiter* Observatt. Anat. & Chirurg. Totum vero vel deficere vel auferri, aut impossibile, aut impossiibili adfine videtur. In *brutis* quidem habentur exempla, v. g. in *ovibus* aliquot, apud CL. *Kerckring* obs. 46. In *cane* apud *El. Rud. Camerar.* & ex eo *Wepfer.* Ephem. Germ. Cur. Ann. 3. obs. 129. in Scholio. In *bove* cerebrum putrefactum vidit *Jo. Theod. Schenck.* Ephem. Germ. Nat. Cur. Anno 1670. observ. 26. cum Schol. *Sachsii.* Conf. eundem *Sachs.* in Addend. curios. omiss. Ann. 1. ad obs. 130. pag. 8. *Jo. Jac. Dobrzensky de Nigroponte* Ephem. cit. Ann. 1. obs. 130. *Th. Bartholin.* Cent. 3. Epist. 8 Cent. 6. Hist. Med. obs. 91. In *monstris* quoque ex. gr. Bergensi anno 1639. apud *Th. Bartholin*, Cent. 1. Hist. 83. in Medioburgensi. *Ever bard* apud *Deusing.* In Satyro humano nullum cere

brum

brum invenit *Ol. Borrichius* apud *Bartholin.* Act Hafn. An. 1671. 1672. obs. 94. De monstro horrendo & diabolo simili sine cerebro & spinali medulla nato, agit *Kerckring.* Spicileg. Anat. obs. 23. Norimb. anno 1641. abortus editus est sine cerebro & spinali medulla, capite humeris incumbente. *Jo. Jac. Wepferus* in Schol. ad Eph. Germ. Cur. Ann. 3. obs. 129. fol. 219. Conf. quoque *Maurit. Hofmann* in anno 2. Eph. dictar. obs. 36. cujus etiam meminit *Veslingius* obs. & Epist. 44. pag. 156. ac CL. *G. H. Velschius* obs. med. episagm. 9. In hominibus tamen (quod mirabile certe!) observatus est idem defectus, e. g. in puero apud *Kerckring* l. a. Ita apud *Tamponette* visitur puer, qui cerebro caruit, teste *Borello* Cent. 3. obs. 3. Idem Sceletum apud dictum Dn. *Tamponette* chirurgum obstetricium Parisiis vidit *Ol. Borrichius* vid. Act Hafn. Vol. 1. n. 94. pag. 184 qui legi meretur. A. C. 1629 m. Decembr. *Nic. Fontanus* (ut ipse testatur Resp. & Curatt. Medic. lib. 1. pag. 13.) in puero loco cerebri & spinalis medullæ aquam limpidissimam membranæ inclusam vidit, apud D. *Friederici* Disp. de Cerebro c. 1. Conf. *Jo. Dan. Horst.* Manuduct. ad Med. pag. 42. Puer decennis ense percussus in postica capitis parte cum læsione ossis, membranarum, & deperditione substantiæ cerebri post triennium moriebatur: Apertum tunc cranium sine cerebro, sed aqua limpida plenum inveniebatur, *Zacutus Lusit.* lib 1. obs. 4. (*Sennerus* tamen in paralip. ad lib. 1. Praxeos P. 1. cap. 24. pag. 110. dubitat de veritate ejus; negat plane *G. Reies* quæst. 31. nec non *Carol. Bardili* Colleg. patholog. Exerc. 4. coroll. 4.) Journal des Savans de l' an 1690. pag. 313. proponit extractum literarum Dn. *Saviard* Chirurgi jurati in Nosocomio Paris. qui d. 23. April. 1690. fœminam 28. annor. ibi peperisse scribit infantem sine cerebro & cerebello. De alio infante Parisiis edito mense Nov. 1673. sine cerebro lege *Jo. Bapt. Denis* dans ses Conferences sur les sciences pag. 289. & 305. ubi inter alia ita: Il n' ya qu' à lire *Valeriola & Carpus*, & on trouveras

„qu' ils ont disse, qué un homme, qui n' avoit, point de „cervelle. *Fontanus* & *Zacutus* disent la même chose & „ils remarquent qu' au lieu de cervelle il n' y avoit que „de l' eau dans la Crâne. *Mr. Bary* en a fait la remarque „dans le Tome 3. de sa Physique au Chap. du Cerveau. „*Skenchius* dit quelque chose de semblable; & Mr. *Ker-* „*krin* dans ses observations n. 46. rapporte l' histoire „de quelques brebis, dans la teste des quelles on n' a „trouvé que de l' eau au lieu de cervelle, & il ajoute, qu' „il a lui même dissequé un enfant de cinq ou six mois, „qui étoit mort d'une hydropisie de teste, c'est a dire „dans la crane du quel on ne trouva que de l'eau apres sa „mort.„ Idem pag. 308. pergit: On trouve à Rome par- „mi les Curiosités Anatomiques de Mr. Riva la teste d'un „enfant, qui vint au monde en 1671. avec toutes ses „dents & deux cornes de chair aux côtez de la teste, & „qui n'avoit point de cervelle ni la partie superieure „du crane,„ De infante legitimum partus terminum adepto, bene cæteroquin formato, narrat Dn. Mery in Hist. Acad. Reg. Scient. Paris. Anno 1704. ut & Journal des Savans Anno 1707. Febr. pag. 326. hunc tam cerebro quam cerebello fuisse destitutum. De puella sine cerebro nata, vide omnino D. *Clerici*, Medici Compendiensis Observ. apud Nic de Blegny in Zodiaco Med. Gall. ann. 1681. m. April. obs. 3. pag. 54. & ibid. Dom. *des Noves* Academiæ Eruditorum socii Differt. in dictam observationem. Conf. & *Jo. Schmied.* obs. 27. Anni 4. & 5 Ephem. Germ. Cur. Puellam aliam sine cerebro natam in Reipupl. Schafhusianæ agro vidit Celeb. *J. J. Wepferus*, uti obiter meminit in præf. ad Lect. Observatt. de Apoplexia, & fusius deducit Ann. 3. Ephem. Germ. Nat. Cur. obs. 129. Conf. de eadem *Jænisii* obs. Ephem. cit. anni 1672. obs. 277. *Raygeri* ibid. obs 280. Clericum in Ann. 3. Zodiaci Med. Gall. m. April. obs. 3. Plures auctores, qui hoc se vidisse affirmarunt, recensentur apud *Thom. Bartholin.* Anat. Ref. lib. 3. cap. 3. & Cent. 1. hist. 83. *Valleriol.* & *Schenck.* Observ. lib. 1. Lege & omnino de cerebro deficiente *Nic. Stenonium* in

Actis Hafn. Vol. I. num. 131. pag. 250. Coronidis loco lepidam addam ex *G. H. Velſchio* de vena Medinenſi cap. 2. pag. 55. narrationem, quæ ſic ſe habet: "Quin" illud longe mirabilius, quod de gregario Sigismundi" Imper. in Alpibus bellum gerentis recenſet doctiſſimus" *Jac. Bidermann.* lib. 3. acroamat. § 47. Jacebat, in-" quiens, pudore, ſanie, fœtore horridum monſtrum, jam" plurium annorum nive, humore, & ipſo, ſi hæc defuiſ-" ſent, tempore conſumtum. Increverant late circum" & per totum adeo cadaver paliuri, ſentes, junci, ſpinæ," nihil ex homine, præter animum, vocemque hominis" remanſerat, nullum neque *cordis* veſtigium, nec *cere-*" *bri* indicium, nec *pulmonis hepatisque* ſignum exſtabat," & quæ ſequuntur fidem omnem ſuperantia, quam ta-" men cuivis liberam relinquemus." Ubi tunc anima rationalis, quam recentiores, *Carteſius*, *Hobokenius*, & alii in cerebro, nec forte inepte, primario locant? Forſan in loco cerebri? Diſpiciant acutiores!

18. SINE CAPITE] Caput habent cuncta quæ ſanguinem, inquit *Plinius* H. N. lib. 10. cap. 37. e quo repetiit *Jo. Beverovicus* Idea Medic. Vater. Part. I. cap. 2. pag. 50. Non equidem admiror homines ſine capite vivere ὑπερφυσικῶς, uti (ſi fides adhibenda) aſſeritur de Dionyſio Areopagita, qui, ubi decollatus erat, geſtabat aliquamdiu caput, ceu ex *Suida Joh. Manlius* in Calendario, quod collegit ex ore *Melanchth.* &c. pag. 692. item in collectione Locor. Comm. pag. 132. *Cœl. Rhodig.* Lib. 3. Lectt. Ant. cap. 23. & *Theoph. Spizelius*, qui in Veteri Acad. Jeſu Chr. n. 2. pag. 21. ita: "Qui-" dam literis prodidere Dionyſii truncum licet ex ſan-" guem tamen ſe erexiſſe, & reciſum ab humeris caput in" manus ſuas, perinde ac ſi viveret, tropoæi inſtar acce-" piſſe, atque ad duo circiter milliaria Gallica deportaſ-" ſe. Sic *Simeon Metaphraſtes:* Ferebat (ſcribit) caput" in manibus quaſi trophæum aliquod, idemque refert" *Methodius*, cujus verba latine ita ſonant: Etenim bea-" ta manu caput ſuum a corpore ab hominibus nefariis"

gladio præciſum accepit. Sed fictum potius quam factum hoc miraculum eſſe videtur." Item, quæ de capite S. Pauli ſummi apoſtoli abſciſſo terque adhuc *Jeſu Chriſti* nomen invocante ſcribit *Reies* qu. 31. (quam quæſo lege totam) n. 16. item ex *Baron.* Annal. ad A. C. 69. cap. 13. ac *Marallo* lib. 6. cap 16 confirmat *Balth. Bonifacius* Hiſt. ludicr. lib. 1. cap. 5. qui ibid. alia de aliis habet, quæ tamen multis videbuntur ſuperſtitioſa; inter alia tamen ait: „Nos ipſi non ſemel & vidimus & „audivimus capita reorum a cervicibus ſeparata τὸν Σω- „τῆρα καὶ τὴν Θεοτόκον invocantia.„ Nec admiror Cercidam interfectorem nominaſſe in terra Caria abſciſſum caput Sacerdotis Jovis Hoploſmii apud *Ariſtotel.* lib. 3. P. H. cap. 10. (qui tamen non credit) aut Orphei caput Cyro Perſarum regi a muliere necandum prædixiſſe, uti ex *Philoſtrato* memorat *Goclenius* in Synarthoſ. Magnet. pag. 251 conf. *Ariſtophan.* apud *Jo. Manlium*, item *Reies* & *Bonifac.* ll. aa. Sed aut non verum aut Diaboli luſus eſt. Nec admiror caput Dolonis abſciſſum fuiſſe locutum apud Homer. Iliad. 10. v. 458. & *Cœl. Rhodigin.* lib. 3. Ant. Lect. cap. 23. cum alii aliter interpretentur, vide *Ariſtot.* lib. 3. P. A. c. 10. vel inter nugas poeticas relegent. Nec admiror Blemmyis vel Blemmis populis deeſſe capita, eſſe vultum in pectore, juxta tradita apud Plin. lib. 5. c. 8. H. N. & aſſertionem *Gellii* N. A. lib. 9. c. 4. *Solini* cap. 3 *Pomp. Melæ* lib. 1. cap. 8. pag. 27. atque *Toneblancæ* Dæmonolog. lib. 2. cap. 33. cum fabulas illas de Samojedis egregie explicet & applicet CL. Olearius Itiner. Perſ. & Moſcov. fol. 189. Hi enim tunicas villoſas extractis brachiis ſupra caput trahunt dependentibus ita manicis, ut facies videatur in pectore. De aliis Acephalis ex *Hulſio* CL *Jo Jac. Wepferus* in Schol. ad obſ. 29 anni 3. Ephem. Germ. Cur. pag. 215. & nuper CL. Dn. D. Mappus diſſ. pecul. illos tamen ad monſtra refert P. *Zacchias* lib. 7. Tit. 3. qu. Med. leg. 1. n. 35. ſed recte pernegant *Borell.* lib. 3. c. 3. & lib. 4. c. 78. atq; *Lau-*

rem-

remberg. Acerr. philol. Cent. I. hist. 25. Idem judicium ferendum est de illis Æthiopibus, quos meminit D. *Augustin.* Serm. 37. ad fratres in eremo, præeunte CL. Wepfero l. a. pag. 214. Nec admiror *insecta* avulsis capitibus moveri adhuc & vivere, Cœl. *Rhodigin.* lib. 3. c. 23. Insecta, ait *Menjot.* Diss. Pathol. de Catalepsi pag. 177. moventur amputato capite, quoniam spiritus ob naturalem crassitiem minus fragiles sunt, tardiusque dissipantur. *Helmontius* de Flatibus n. 16. Falsum, inquit, est, cor esse ultimum moriens; superstes enim adhuc manet vita musculorum, quæ insectis est potissima, adeoque & avulso capite muscæ adhuc volant. *Eman. Kœnig* in Ephem. Germ. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 4. obs. 32. pag. 84 seq. agit de stridoris seu Cantus gryllorum or-" gano, esse nimirum membranam plicatilem, cui sub" corum alis adnectitur tendo longiusculus, cum muscu-" lo, qui dum contrahitur, plicare facit hanc membra-" nam, minime humidam sed summe siccam, ut sonus ta-" lis edatur, qui etiam hinc post mortem eorum tractio-" ne tendinis imitari (rectius effici) potest, ceu & jam" alii notarunt, quod, si gryllus in medio dividatur & ca-" pite truncetur, eum adhuc canere & diu nihilominus" vivere. Quare & inferre liceat, stridoris hujus causam" minime attribuendam esse alii fistulæ ut Scaliger voluit." Quin & *aves* ita constitutæ ad tempus subsaltant, teste *Verulam.* Hist. V. & M. art. 15. §. 32. fol. 539. Immo *anguillæ* & *serpentes* diu moventur singulis partibus post concisionem, adeo ut etiam rustici putent, partes singulas ad se rursus uniendum expedire. Idem ibid. siquidem & imperfectiora sunt animalia, & anima ipsorum est divisibilis, *Mich. Ettmüller.* in Institt. Med. Physiol. cap. 1. §. 10. fol. 2. b. ita: *Vipera* post detractam pellem omniaque exemta viscera suspensa per biduum vivit, & etiam ulterius detracta se movet, vel caput abscissum per biduum inter quisquilias absconditum morsum adhuc infert letiferum. Ita *Plinius* H. N. lib. 11. cap. 37. *Ostrearum* generi nulla capita nec spongiis nec aliis fere

quibus solus ex sensibus tactus est, esse dicit; idemque ex eo notavit *C. Reies* campi Elys. quæst. 31. n. 7. apud *Brunonem* Lex. Med. fol. 656. b. Verum easdem caput habere probat Willis de anima brutor. Part. I. cap. 3. pag. 23. Nec admiror *monstra* posse & capite carere & vivere, exemplum est apud *Everhard*, citante *Deusing*. De aliis Wepfer. l. sup. c. pag. 216. *Jo. Jac. Stolterfoth* Disp Med. Phys. de Idea errante in monstror. generat. Gryphiswald. 1695. §. 3. ait: *Ctesias Gnidius* in Persicis asserit, Roxanem Cambysis uxorem puerum peperisse capite carentem, cui dicebant Magi, hanc esse prodigii significationem, nullum regni successorem Cambysi relictum iri; ac si hisce iræ suæ opus haberet internunciis omnipotens Numen, nec voluntatem suam aliis posset denunciare signis, quam deformitate aut hominum cum belluis congressu monstrum præcedente. Procul dubio hæc hausit CL. Stolterfoth ex *C. Schotti* Phys. Cur. lib. 5. cap. 1. pag. 573. qui hanc Ctesiæ historiam refert ex Photii Biblioth. & ibid. plura acephalorum exempla recenset, quæ videantur. Sed hoc admiror, arietem adhuc sine capite ambulasse. *Ibn Raschid* 7. Phys. Comm. 4. apud *Cœl. Rhodigin.* lib. 3. c. 23. & *Kekkermann*. Syst. Phys. lib. 3. c. 15. pag 327. qui ibid. plura de vitulis & Maria Scotiæ Regina decollata. Huc quadrant verba *Aristot.* lib. 3. P. A. c. 10. ajentis: Προϊέναι δὲ ποι τὸ σῶμα τῆς κεφαλῆς ἀφῃρημένης, οὐδὲν ἄλογον: Corpus tamen detracto capite progredi quoquam non temere credi potest. Stupenda certe est sequens historia: „A. C. „1337 Ludovicus Imp. apud Monacum in Bavaria consi-„stens edictum pacis quendam ex militari genere vio-„lantem cum famulis 4. capitum truncatione damnavit „Nomen erat viri *Theodoricus Schawinburg*, qui pœ-„nam accepturus jam positis in terra genubus judicem „rogavit, quatenus famuli per ordinem ante faciem ejus „statuerentur, & ipse post omnes fieret in ordine ulti-„mus, essetque inter singulos una distantia pedum 8. de-

inde

inde sibi caput in ultimo consistenti ordine amputa-" retur, & quotquot sine capite currens sibi ordine ser-" vorum faceret posteriores, Imperiali clementia vita" donarentur. Risit hominem judex atque respondit:" ,,Etsi meæ non sit potestatis damnato concedere vitam," promitto tamen apud Cæsarem impetrare illis quod" petis, quos capite amputato tuo currens vel ambulans" prætergressus fueris. Quibus auditis Theodoricus" lætus efficitur, & dicit: Ita fiat precor, o Judex, sicuti" locutus es, & spero, quod nullus hodie servorum meo-" rum morietur. Dixit, & constans animo spiritum for-" tificans in semet ipso mucronis ictum suscepit. Ampu-" tato mox capite in terram non cecidit truncus, sed in" instanti surgens cum impetu præter singulos cucurrit" servorum, & ante novissimum cecidit. Re ad Cæsarem" delata & ipsum & plures vertit in stuporem. Servis" truncati latronis vita conceditur. Fides amorque Do-" mini pro suis commendantur;" sunt verba ex MSC. Annal. *Trithemii* fol. 87. qui asservantur in Biblioth. Bipontina, ita mihi communicante CL. Dn. D. *Jo. Frid. Miegio* SS. Theol. Prof. Collega honoratiss. Legitur eadem hæc historia in Chron. Hirschaugiensi Tom. II. ad A. C. 1337. fol. 181. seq. ex edit. Monast. S. Galli in fol. 1690. Placet quoque & hanc adnectere historiam ex *Fel. Platero* observatt. lib. 3. pag. 754. seq. Ad sup-" plicium quidam homicida ductus metu mortis, vel et-" iam quod largius forte bibisset, cordis dolore, ut vo-" cant, seu cardialgia admodum angebatur, & se affici mi-" nistro eum comitanti conquerebatur, & cum in locum" supplicii venisset, metuens, ne vomens turpiter se co-" ram populo daret, carnificem ad negotium maturan-" dum hortatus est. Quod cum carnifex facturus gla-" dio stricto ictum intentaret, in ipso capitis amputati" momento vomens erectus adhuc ex collo truncato non" solum sanguinem copiosum, sed & quidquid in stoma-" cho continebatur, in altum magno impetu evomuit," quod & ipse vidi, & ut certius cognoscerem, postea cum"

„humi prostratus jaceret, e ventriculo prodiisse cogno-„vi. ministro insuper mihi narrante, quo pacto de nau-„sea conquestus esset. „ Thom. Bartholin. de Luce Animal. cap. 4. pag. 353. ait: Amstelodami cum essem, „cuidam capite truncato eveniebet, ut horulæ spatio erectus nullum ante casuri signum monstraret, quam a carnificis manu deturbaretur. Confer exemplum aliud im Niedersächsischen Passional, im Winter-Theil, fol. 106. a. apud *Menandrum*, Cent. 2. Theatri histor. Pontif. cathol.

19. SINE CORDE] Aristoles lib. 4. de Gener. Anim. cap. 4. ait: Καρδίαν μὲν ὖν ὐδὲν πώποτε ἐγένετο ζῶον μὴ ἔχον, i. e. sed corde carens nullum animal unquam ortum est; & lib. 3. P. A. l. 4. inquit: τὴν καρδίαν ἅπασιν ὑπάρχειν τοῖς ἐναιμόις Cor omnibus inesse sanguineis animalibus. Verum cur defuit in victimis apud *Valer. Max.* lib. 1. cap 6. n. 13.? Conf. *Plin.* lib. 11. cap. 37. *Jul. Obsequens* de Prodig. Hoc autem aliqui rident, & ultra possibilitatem dici, scribit *Cœl. Rhodigin.* lib. 4. Lect. Ant. cap. 16. sed paulo post addit: At, ni mendum exemplaribus est, hoc carens viscere compertum qnandoque pronunciat *Avicenna*. Alii a diabolo dicunt ablatum, uti *Th. Bartholin.* Anat. Ref. lib. 2. cap. 6. Conf. *Rupert.* ad Valer. Max. Diss. 2. pag. 37. Alii in extis latuisse, ut *Spigelius* lib. 9. de Fabr. Corp. hum. cap. 6. pag. 350. seq. qui & in Struthio camelo tantum adipem vidit, ut facile imposuisset, cor avi defuisse. Conf. *Kolfinc.* de Corde cap. 1. pag. 6. Quin conchas margaritiferas *dentibus, corde, & ossibus* carere, scribit *Phil. Bonnanus* in Recreat. Ment. & oculi P. 3. teste Auctore Actor. novæ Acad. Philol. exoticor. nat. & artis Brixiæ ad d. 25. Apr. 1686. n. 19. pag. 42. in 12mo. Cur defuit in monstris, uti Mediobnrgensi apud *Everhardum*? forte, quia monstrum: nam in monstroso illo puero, quem *Aut. Everhardus* dissecuit apud *Ger. Blasium* in Append. ad *Licetum* de monstris pag. 300. seq. nec *cor*, multo minus *pulmones*

mones, neque *lienem*, neque *renes*, neque *vesicam urinariam*, neque inteſtina obtegens *omentum* reperire licuit. In illuſtri Romano diuturno morbo pereunte nulla prorſus cordis portio, ſed ejus tunica tantum reperta fuit, quod nimirum ab immoderato calore illud penitus jam abſumtum erat totum, apud *Bernardin. Teleſium* de Rer. Nat. lib. 5. cap. 28. citante *Fabr. Hildan.* Cent. 4. obſ 51. Sed hoc præter naturam *Santes Saccenſis* Burdegali in Vita S. Antonii deſcripta cap. 49. refert, avari fœneratoris cor adhuc calidum poſt mortem in medio nummorum ejus a parentibus & amicis inventum; idque corpore defuncti aperto revera defuiſſe, ſtupente medico, qui præcordia aperuerat, eaque vacua invenerat deficiente vitæ principio ac præcipuo organo; confirmatque in S. Antonii Relationibus *Lælius Mancinus* Politianus, veluti ex utroque & tabula Patavii a Dominico Contareno picta in ſchola dicti Antonii ſuſpenſa retulit *Carola Catharina Patina* Pariſienſis Academica, in Tabellis ſelectis & explicatis f. m. 123. Patav. 1691. in fol. Hæc ſi vera ſunt, ſupernaturaliter acciderunt, vel pio zelo conficta videntnr ad abſtrahendos animos ab aritia, ſiquidem ipſe Servator noſter ait: Ubi theſaurus veſter, ibi & cor veſtrum. *Spigelius* Lib. de Format. fœtus Epiſt. 1. fol. 64. tractat, an animal ſine corde vivere poſſit? Certe quædam animalia exemto corde non tantum vivunt, ſed & currunt & vociferantur: *Laurentius* lib. 1. Anat. qu. 7. Conf. *Schenck* Obſervatt. fol. 269. ex *Galeni* lib. 2. de placit. Hippocr. & Platon. cap. 4. Dn. D. *Chriſt. Vaterus* in Phyſiol. Experim. Parte gener. cap. 2. Experim. 3. pag. 20. ait: Ranæ ſerpentes aliaque animalia exſecto corde & omnibus arteriis veniſque ta-„ men vivunt, ſentiunt, & ſe movent, atquæ innatant &c.„ Exinde rurſus apparet, formam brutorum non ſolum„ diviſibilem & per univerſum corpus extenſam eſſe, ſed„ quoque cor ſedem ipſius animæ primariam primum-„ que vivens aut ultimum moriens minus haberi poſſe.„ *Rana* etiam integram horam poſt exſectum cor vivit,

coaxat,

coaxat, & saltitat, ait *Mich. Ettmüller* in Institt. Med. Physiol. cap. 1. §. 10. fol. 2. b. *Arnold. Montanus* in denckwürdigen Gesandschafften an den Kaiser zu Japan fol. 185. a. ait: Man muß sich nicht wenig wundern, daß der Lachs allhier (zu Jonda in Japan) so lange lebendig bleibet, ob ihm schon das Hertz ausgeschnitten ist, und daß selbst das ausgeschnittene Hertz nicht eher stirbt, als nach 24. Stunden. *Jo. Petr. Albrecht* ad Bontekoe P. 2. Novæ Chirurg. cap. 2. §. 5. pag. 686. seq. ait: Viele haben ohne Hertzen Gehirn und andern Theilen des Leibes dennoch eine zeitlang ihr Leben erhalten. vid. *Galen.* de Placitis Hippocr. & Platon. cap. 7. *Jo. Jessen Anat. Prag.* pag. 48. *J. Jac. Wepfer* in præf. de Apoplex. *Mart. Heinsii* Disp. de 4. monstris Francofort. *Borellus* obs. 3. Cent. 3. *Bonnett.* Anat. Pract. Niemals aber wird iemand ohne Blut des Lebens genossen haben. Modum, quo canis cor exscindi, idem tamen nihilominus dein progredi & clamare possit, edocet *Columbus* lib. 14. de re Anatom. in fin. p. 481. qui ipse perlegi meretur. Felicem hujusmodi eventum tum alios tum semetipsum vidisse, scribit *Paul. Zacchias* lib. 4. T. 2. qu. 2 n. 22. Wittebergæ secabant aliqui canem gravidam, catellorum cæsonum corcula duorum eripiebant, qui motu membrorum, & quod maxime mireris, etiam sono vagitum quodammodo referrent ad quadrantem horæ ex M. *Schelgvigio* D. *Sim. Schultz* Ann. 3. Ephem. Germ. Cur. obs. 263. pag. 476. Idem repetit *Happelius* in Relatt. curios. P. 3. pag. 5. seq. qui addit: Aber solches kan nicht länger gewähret haben, als die Lebens-Geister in den Pulß-Adern gewallet, denn so bald dieselbige erschöpffet, ist das Vieh umbgefallen und gestorben. Causam tribuit *Th. Bartholin.* Anat.

Ref.

Ref. lib. 2. cap. 6. & *Schultz* l. d. reliquiis sanquinis arteriosi. Vide aliud exemplum apud *Jo. Dan. Major.* Ephem. Germ. Cur. Ann 8. obs. 110. Si cor ranæ, facta ad jugulum (ubi situm est) apertione, exscindatur, ranaque aquæ imponatur, diu in ea supervivet; Auctor obs. anatom. select. Collegii priv. Amstel. (quem *Blasium* esse scribit CL. Major l. c.) pag. 30. Rationem reddere allaborat *Keckerm.* Syst. Phys. lib. 3. cap. 15. pag. 327. Latro Hafniæ miserrimo supplicio affectus, corde evulso caput adhuc motitabat, corque rejectum suum attentius contemplabatur, apud Th. Bartholin. Cent. 3. hist. 15. Conf. præcipue *Verulam* Hist. V. & M. art. 15. tit. 32. fol. 559. qui quoque addit exemplum exenterati & per rotam dissecti, qui aliquo post tempore locutus est, corde exemto & partibus a toto separatis. *Acosta* Hist. Ind. lib. 5. cap. 22. de Indo corde exemto immolato, qui ad Hispanos dixit, cum de scalis præceps daretur: Equites mactarunt me. vid. *G. Horn.* Hist. nat. lib. 2. cap. 19. qui plura. Conf. præterea CL. D. *Bausch.* in Proem. Traumatol. pag. 36. & *Gr. Fabricium Hildan.* Cent. 4. obs. 51. Disputationem signo antiquo hoc Senario:

Nil spernat auris, nec tamen credat statim!

SATYRA OCTAVA.
DE ANGUILLIS.

§. 1.

Anguilla 1) apud physicos & medicos innocenter sæpe vapulat *ratione sui* 2) *sexus*, 3) *originis*, 4) *partium*, 5) *loci*, 6) *usus alimentarii, atque* 7) *medicinalis*, 8) *& cætera.*

§. 2.

§. 2.

Ossa plubis in parturientibus relaxari, 9) *multi quidem affirmant*, sed 10) *absque ratione* & experientia atque necessitate.

§. 3.

Methodum medendi multi quidem crepant, & vasta de ea compilant volumina, sed præter vocem nihil sunt. Credo equidem rem esse arduam, & vel solius medicinæ nomine dignam; posse tamen eleganti brevitate delineari; modo qui exasciata ratione pollens & experimentis certioribus suffultus rem aggrediatur, ceu heic nomine omnium veram & rationalem medicinam amantium publice rogatos volo exercitatissimos medicinæ antistites. Ego putavi hactenus, semotis distinctiunculis medicamentorum in cephalica, otica, ophthalmica, cystica, splenetica, hepatica &c. (ut taceam lernam difficultatum specifica) non longe a vera medendi methodo abesse, qui diaphoretica, præcipitantia, purgantia, adstringentia, confortantia & si quæ forte adhuc sint, in classes suas redigeret, & in tempore *adhiberet*. 11) Tutius tamen saniores sequi, quam ipse præire.

NOTÆ IN SATYRAM IIX.

1. ANGUILLA] Vox hæc est πολύσημος: *Anguillæ* enim ut & *habenæ* vocabantur olim *scuticæ*, quæ in ædibus ad terrorem servorum in gradibus dependebant, teste *Torrentio* ad Horat. lib 2 Epist. 2. v. 15 & *Excerpta Pithœana* ex veteribus glossis pag. 34. ita: *Anguilla, qua coercentur in scholis pueri, quæ vulgo scutica dicitur.* Nobis heic de ANIMALI sermo est, quod an piscis sit,

vid.

vid. *Rondelet.* apud *Gesner.* de aquatil. fol 40. Esse, quia branchiis spiret, statuit *Morhard.* lib. 3. de Mir. in creat. eluc. cap. 9. Piscis certe est & manet, utut parum respirare dicat *Beverovic.* Thes. Sanit. lib. 3. cap. 16. quod ego tamen vix crediderim. Piscis antiquitus adeo sacer fuit, ut & Diis offerretur. De Ægyptiis *Herodotus* ait: Νομίζουσι δὲ καὶ τῶν ἰχθύων τὸν καλεόμενον λεπιδωτὸν ἱερὸν εἶναι καὶ τὴν ἐγχέλην, i. e. arbitrantur & piscium aliquos sacros esse, ut lepidotum & anguillam, ceu refert *Lud. Nonnius* de piscium esu cap. 2. pag. 4. *Athenæus* lib. 7. ex *Agathyrcide* auctor est, Bœotos solitos esse anguillas Copaidas raræ magnitudinis hostiarum modo coronare, aspersaque mola salsa cum precibus Diis immolare, apud *Nonnium* l. c. cap. 3. pag. 9. Conf. plura apud eund. cap. 29. fere toto, pag. 105. seq. Multis e contrario contemtui, imo horrori est, teste *M. Weinrichio* de Monstris cap. 15. pag. 139. b.

2. RATIONE SUI SEXUS] Nec marem nec fœminam esse scripserat *Aristot.* lib. 4. Hist. Anim. cap. 11. & lib. 8. cap. 30. in fin. & fusissime lib. 6. cap. 16 per totum; ex quo *Casp. Schot.* phys. curios. lib. 10. Plin. lib. 10. cap. 68. *Jo. Langius* Epist. 8. lib. 2. *Cardanus* lib. 9. de Subtilit. *Niphus* apud *Gesner. Sinibald.* Geneanthrop. lib. 2. tr. 1. cap. 9. pag. 120. *Melch. Sebizius* de alimentis, *Bisciola*, *Morhard* &c. Sic *Cardanus* & *Gabucinus* de vermibus cap. 5. statuunt: nullam genituram in anguillis inveniri, apud *Jo. Matthæum* lib. de Rebus Non-natural. cap. 2. pag. 82. sed nimis audacter. Eadem scribit *Guil. Rondelet.* lib. 1. de Piscibus cap. 13. fol. 20. inquiens; „Anguillæ, nulla seminis intercedente natura, quod *eo carere*, nec etiam *coire* longa multorum observatio prodidit; ab aqua sola generantur eaque purissima: & quamvis inter cæteros pisces molli multoque humore diffluente carne constent, suis tamen spinis ossibusque non carent, quarum perpaucæ, ut scribit *Aristoteles* lib. 8. Hist. Anim. cap. 2. & certis locis limo eduliisque cæte-

„ris

„ris, si quis apponat, vescuntur, contra vero plurimæ so„lo humore dulci pascuntur & augescunt. Quamobrem, „ut idem tradit, ii quibus vivaria anguillarum curæ sint, „diligenter dant operam, ut quam maxime pura sinceraque sit aqua, affluens & effluens semper per ripas, ubi „vivaria exstruunt; nam nisi aqua limpida sit, brevi „strangulatæ intereunt. Sunt autem anguillæ perfecta a„nimalia, nec quisquam nisi rerum aquatilium plane im„peritus, aliter existimaverit, nisi forte Homerum secu„tus, qui a piscium natura eas separavit.„ Demiror Tan„torum credulitatem! Recte apud *Aldrovandum* idem „priorem mutans mentem *Rondeletius* testatur, se vidisse anguillas corporum complexu coëuntes; neque putat partibus ad gignendum necessariis destitutas esse: inferiori enim ventris parte & vulvam in fœminis, & semen in maribus reperiri, sed multa pinguedine circumfusas has partes non apparere, quemadmodum neque ova. Rectissime ergo & marem & fœminam in anguillis statuimus.

3. ORIGINIS] Vide de harum generatione *P. J. Fabr.* in Panchymic. lib. 4. cap. 14. & Hydrograph. Spagyr. cap. 15 pag. 64. seq. *Jo. Bapt. Porta* Magiæ Natur. lib. 2. cap 4. *Guil. van den Bossche* Hist. Med. lib. 3 cap. 1. pag. 319. *Kircherus* Mundi subterr. sect. 1. lib. 9. P. 2. Alii dicunt coire cum serpentibus, uti est apud *Casp. Hofmann.* Institt. med. lib. 5. cap. 22. §. 10. Hinc *Bisciola* Hor. succesciv. Tom. 1. lib. 9 cap. 6. inquit: Vulgo creditur, implicari serpentibus sive anguibus; & a" probatissimis viris accepi in Thrasymeno lacu ipsis hoc" esse familiare. Item *Jo. de Mey* Comment. Phys. in" Pentateuch. loco 26. pag. 71. ait: „Tradunt aliqui, viperam nequissimum genus reptilium & super omnia" serpentini generis astutum, ubi coëundi cupiditate ar-" det, murenæ marinæ copulam quærere; progressum-" que ad littus sibilo suam præsentiam significare, nec" murenam deesse, sed viperæ expetitos conjunctionis" suæ usus impertiri. *Georg. Pictorius* Dialogo 3. de bona

vale-

valetud. pag. 41. vocat anguillas omnium pessimas, quod earum in aquis generatio similis est serpentum generationi in terris, unde rarissime veneno carent; cuius tamen vis mutilatur nonnihil, si caput, cauda & spinæ interioris medulla proscindantur. Alii saltim interdum fieri dicunt, uti *Sennertus* Praxeos lib.6. f. 5. cap. 5. Hinc serpentes & anguillæ ex eadem origine, vid. *Paracelsus* de pestilitate Tr. 1 pag. 52. Inde diminute *anguilla* ab *angue* (vel similitudine vel origine) vocatur. *Varro* lib 4. de L. Lat. apud *Gesner. Rondelet* & *C. Schott.* Viperarum sororem vocat *Rolfinc.* Med.Comment. lib. 14. sect. 1. cap. 2. Verum fabulosum judicat *Aldrovandus* teste *M. Sebizio* & quidem rectissime. Alii ex limo nasci scribunt, uti *Conr. Heresbach.* lib 4. de Re Rustica. Sed per bene rejicit CL *J. G. Elsnerus* Collega atque amicus jam olim honoratiss. in Ephem. Germ. Cur. anno 1. obs. 119. Prius & statuit *Verulamius* Hist. nat. Cent. 7. n. 696. dum ait: Varia insectorum" materia est. Alia nascuntur ex limo aut fimo, ut lum-" brici, *anguillæ*, angues &c. utrumque enim genus ex" putrefactione est, cum, aqua in limum concrescente, non ' habeant quo conserventur. Idem pag. seq. 894. modum nascendi tradit; item Mizaldus Cent. 7. Memorabil, n. 77. ait: In nonnullis stagnis feculentis omni aqua ' exhausta & limo defracto anguillæ denuo generantur si ' aqua pluvia effluxerit: quippe quod imbre vivant & a" lantur. *Aristoteles*, *Plutarchus* & *Oppianus*. Nonnullis generantur ex putredine nempe cadaverum, ex. gr. equorum aliorumque: *Melch. Sebizius* de aliment. pag. 998 *Grapaldus* lib. 1. cap. 6. & præcipue *Rondeletius* de Piscib. Fluviat. cap. 23. *Cardanus* & *Gabucinus* de Vermibus, cap. 5. anguillas ex putredine generari asserunt, eo quod nulla genitura in iis inveniatur; teste *Jo. Matthæo* lib. de Rebus Non-Natur. cap 2. pag. 82. Alii ex anguillis præ senectute mortuis & putrescentibus; idem *Rondelet.* l. c. Hinc ut plurimum putrescentis materiæ esse sobolem pronunciat *Verulamius* Silv.

ſilvar. n. 697. Imo *Fort. Licetus* ex cadavere humano eas ſua ſponte naſci credidit, ſed male, uti bene judicat acutiſſimus *Franc. Redi* de Generat. inſect. pag. 149. Quidam tradunt, convolutis ſibi invicem anguillis attritu corporum mutuo mucorem quendam in arenam limumque deſtillare, atque ita generari; *Bellonius* apud *Geſner.* forte ex *Oppian.* lib. 1. habuit; apud *Aldrovand.* & *Rondelet.* aut ex *Athenæo* lib. 7. dipnoſoph. cap. 17. quod ſuo modo poteſt tolerari. Aliqui atterere ſe ſcopulis ſcribunt, uti *Plinius* lib. 9. cap. 51. ea ſtrigmenta viviſcant, nec alia ſit earum procreatio; recte vero negat Biſciola. Ex rore & melle generari ſcribit *Helmont.* tr. Poteſtas Medicam. §. 27. Fortaſſis ſummam ſalubritatem ſic indicaturus, inquit *Chriſt. Lang.* Miſcel. Cur. n. 17. pag. 42. Roris beneficio arte produci auctorum confirmat fides, ait *Frid. Hofmann.* in clave Schrœder. lib. 5. claſſ. 5. ſect. 3. §. 58. pag. 697. ubi modum producendi adnectit. Programma Facult. Med. Tubing. Dom. Jubilate 1688. promulgatum ait: Roris beneficio agricolas in Belgio producere anguillas, didicit Polyhiſtor, Poëta & Chymicus per orbem literatum famigeratiſſimus. Nimirum *Olaus* Borrichins in Hodœpor. ſuo MSC. hæc notavit ex relatione Dom. Schrœderi: Anguillæ fiunt ita ex obſervatione Hornii: Rec. duos ceſpites vivos rore imprægnatos, inverte, ut gramen gramini adhæreat, relinque per aliquot dies, & invenies infinitos vivos vermiculos; poſt illos cum ceſpitibus in paludem aut fluvium aliquem conjice, & ſenſim naſcentur anguillæ; Lugd. Bat. d. 11. Julii 1661. *Abrah. iMylius* tr. de Orig. Animal. & Migrat. Populor. p. 9. ſeq. "ita: „De anguillis conficiendis modum teneo, uti mihi „eſt relatus, nec celabo qualiscunque ſit. Menſe Majo „cum largiter rorabit, ſeca aut diſcinde ligone ex grami„noſo campo ante ortum ſolis duos æquales ceſpites, eosque impoſitos alterum alteri ubi graminoſi ſunt, repone in ipſo margine alicujus piſcinæ, a parte aquilonari, ubi ſol radios ſuos maxime emittit, videbis inde

de propullulare quasi examen pullorum anguillarium" ante horas paucas elapsas. Sic quidam cum non pœnitendo fructu piscinis suis anguillarum numerosam copiam ingenerant." Ex eod. *Mylio* l. a. & *Morhof.* de Transmut. metallor. pag. 39. refert *Jo Jac. Stolterfoth* in Schol. ad nov. Liter. Lubec. m. Mart. 1701. pag. 88. seq. Rectius statuimus & marem esse & feminam, & ordinario modo generari ex ovis (quanquam ova iis denegent *Plinius* lib. 10. cap. 68. *Aristotel.* lib. 3. Hist. Anim c. 10. *Melch. Sebizius* de Aliment. lib. 3. Beverovic. p. 494. C. Schottus &c. imo clare dixerat Aristotel. lib. 6. Hist. Anim. c. 14. Θορὸν δὲ πάντες ἔχουσιν οἱ ἄῤῥενες, πλὴν ἐγχέλυος: αὕτη δὲ οὔτε θορὸν, οὔτε ὠόν, i. e. habent mares omnes semen genitale, præter anguillam, quæ neutrum neque semen neque ovum sortita est) uti reliquos pisces. Quamvis Exc. Dn. D. *Elsnerus* Anno 1. Ephem. germ. Cur. obs. 119. velit esse viparas; vidit enim in utero anguillarum aperto varies in diversis membranulis involutas hærere anguillas; hinc credidit illas coire invicem circumvolutas viperarum & serpentum in morem.

4. PARTIUM] Est anguilla ex piscibus longis & lubricis, a squamis nuda pellem viscosam & spissam habet, *Albertus M.* apud *Gesner.* tota tamen commode abstrahi potest. A medio dorso & ab excrementi meatu veluti limbus cutis potius quam pinnarum substantia, qui posteriores corporis partes ambit, *Rondelet:* Caput & cauda communiter rejiciuntur, vel quia pulpa carent," (*quod ego quoque crediderim:*) vel quia maligni ali-" quid (*nego ego*) in se habere creduntur," ait *M. Sebizius.* *Tergus* crassius est quam murænis. *Plinius* apud *Gesner.* *Os* habet satis apertum, *dentibus* acutis munitum multiplici ordine. *Rondelet.* & *Schottus Branchias* habet exiguas *Aristotel.* lib. 8. H. A. c. 2. *Athenæus* ex *Theophr.* apud *Gesner.* cuticula tamen tectas, rima parva, *Rondelet pennas* vero binas *Plin. Caro* est pinguis, dulcis atque viscosa. *M. Sebizius* Anguillam *Archestratus* apud

Athenæum lib. 7. so'am piscium voluit esse ἀπύρηνον velut exossem ac spinarum exsortem ait *Cæl. Rhodigin.* lib. 7. Lectt. ant. c. 8. *Gesner.* de aquatil. fol. 44. ac *Rolfinc.* Med. Comment. lib. 14. sect 1. cap. 12. quod non tam facile concedendum. Per universam ejus *Spinam* filum transit nigrum velut venula, in quo venenum absconditur, quod, antequam coquatur, extrahere convenit, ait *Mylius* Basil Chim. lib 7. cap 10. *Gesner.* fol 47. & *M. Sebizius* l. a. sed securi simus, non nocebit. *Pinque* in paucis inest, plurimæ eo carent, juxta *Aristot.* lib. 8. H.A. c. 2. *Ventre* sunt exiguo. Id. ib. qui inde mortuas non superfluitare ratioatur, de quo etiam *Plin.* lib. 9. c 21. *Jonston. Rondelet.* nisi cum aquis putrefacta dissolvitur, *Anonym.* Vetus tract. de Animalib. in specie de Piscib cap 2 Magis placet ratio Gesneri f. 45. quia scil. vesicam multo aëre plenam ut alii pisces non habent. *Gula* intus longa & lata. *Rondelet.* Exiguam esse scribit *Aristot.* apud *Gesner. Ventriculus* & intestina in longum protenduntur, *Hepar* magnum est & rubrum, ex quo pendet vesica fellis, quod aqueum est. *Rondelet.* De Anatome anguillæ videatur *Jo. de Muralto* in Experim. Anat. pag. 106. & 165. Anguillam palustrem prægnantem *M. A. Severin.* in Zootomia pag. 370. exhibet; aliam anatomiam anguillæ vide apud *Olium Jacobæum* in *Bartholini* Actis Hafn. vol. 5. obs. 98. pag. 261. seq. Ipse ego anatomiam anguillæ Argentorati d. 30. Maji 1668. auditoribus meis exhibui, ex qua hæc obiter adnotavi: Oesophagus æque rugosus intus atque ventriculus ipse, cetera satis capax; pylorus tamen crassior & carthilaginosior reliquo. In intestinis juxta venulas & arteriolas vestigia quædam ductuum alborum, veluti neureorum vel lacteorum. In intestinis vermiculi erant albi similes iis in caseis & rubri prioribus minores. Illi inhærebant tunicis intestinorum, adeo ut difficillime amoverentur. Cor aliquot post horis avulsum & rejectum adhuc palpitavit. Confirmat idea, quæ *Johrenius* Disp. de Circul. sangv. sect. 3. §. 4. Marpurgi 1672. habet;

Vidi

Vidi anguillæ corculum exſectum viginti pluribusque" attolli pulſibus, ut & admoto digito vegetam ſentirem" motionem; paullatim tamen ægrius cœpit æſtum moli-" ri & ſenſum videbatur deficere, tandemque omni modu" ceſſante emortuum credebam; poſtquam vero iterum" tangeretur, revixiſſe putares, adeo viritationis im-" patiens quaſi recollectis viribus digitum excutere" niteretur, tremulis aliquot ictibus deſperantem impe-" tum allevare & palpitare, donec ultimo ſingultu explici-" tum omnes cum calore ſpiritus effudiſſet." Idem ibid. §. 5. ait: „Si cor anguillæ vivæ exemtum dividas in" duas partes, mirum! fruſtilla aliquandiu tremulis mica-" bunt ſubſultibus." Animal certe vivax eſt, quod probat experimentum Rob. Boyle in Experim phyſ Me-Chan. 41 pag. 462. qui anguillam recipienti pro vacuo demonſtrando) impoſuit, & aërem inſtrumento omnem exſuxit; anguilla tunc quidem immota jacuit, ſed recipientis operculo remoto, & aëre rurſus illapſo revixit, quæ duratio anguillæ absque aëre forte imputanda peculiari vivacique hujus generis piſcium naturæ, ait *Sachſius* Gammarolog. pag. 138. ſeq.

5. LOCI] Sunt vel in mari, quas memorat *Epicharmus* in Muſis apud *Geſner. Quercetan. in Diætet.* pag. 420. *Morhard. Rondelet* &c. Rariſſimas tamen eſſe in mari, ſcribit *Jovius* lib. de piſcibus cap. 33. Certe in mari Balthico contrarium evincit quotidiana experientia, ubi in litoribus Sueciæ, Scaniæ, Jutiæ, (præcipue in ſinu Limico vulgo Lim.fiord, unde & Alaburgæ vulgo Aalborg nomen hæſiſſe creditur) Seelandiæ, Falſtriæ, Lalandiæ, Sleſvicenſis Holſatiæq; Ducatuum magna copia capiuntur: Vel quod potiſſimum in fluviis iisque puris, *Plinius* lib. 9. cap. 21. *Beverovic. C. Schottus* atque CL. *Elſnerus* l.a. Quibus tamen contradicit *Conr. Heresbach.* lib 4 de Re ruſt. dicens in limo cœnoque magis & provenire & degere. Ego credo in utrisque. Scimus ex Ariſtophanis Acharnenſibus anguillas venales ſolitas eſſe aſportari Thebis Athenas, nam quamdiu Athenienſes

contra Bœotas bellum gerebant, nullæ proſtabant venales anguillæ e Copaide lacu, ait *Jac. Palmer. a Grentiſmenil.* Exerc. ad Poet. Græc. pag. 510. Idem Ariſtoph. alibi: Feciſti ſicut is qui anguillas captat, qui, quieta cum ſunt ſtagna, venatur nihil, ſed cum omne cœnum hac illac ſubverterit, captura magna eſt. *Boſſch.* l. c. pag. 320. qui addit: Tempore quo crebriora mugiunt tonitrua plurimæ capiuntur, etiam aqua turbida. Ganges educat ad tricenos pedes longas. *Plinius* lib. 9. cap. 3. *Solinus* in Polyhiſt cap. 54 *G. Pictorius* in lib. 2. Convivior. pag. 250. Ad brachii craſſitiem alicubi excreſcunt & ad libras 20. *C. Schottus* Phyſ. Cur. lib. 10. cap. 5. Egregie magnæ in lacubus Fundano in Latio, & Leſinæ in Apulia, teſte *Joſ. Langio* Elem. Geogr. cap. 18. Zu Angerberg in Preuſſen, der Provintz Bartenland in Fluß Angerup, iſt ein reicher Aalfang inquit *Hier. Dicelius* in Diction. Geograph. pag. 67. *Luc. de Linda* in Deſcript. orbis lib. 12. pag. 1117. de moribus ferorum hominum in Nova Francia ex auctore quodam ignoto *Eſcabor*, dicto, refert ſeqq. Qui circa Quebecas degunt, a menſe Sept. in „Octobr. usque menſem, piſcationibus anguillarum ſe „pro more recepto exercent. Has anguillas in uſum „hyemis duratas ſervant. Anguillis conſumtis alces ali- „asve feras venantur, in quarum penuria aliquot die- „rum jejuni famelici eſſe ſolent. Repetit ex eod. auct. hæc *Jo. Fried. Leopold.* Lubec. Diſp. inaug. de Alce Baſ. 3. Jun. 1700. §. 11. Huc pertinet locus extraordinarius anguillarum, quem nobis ſubminiſtrat Jonſtonus in Thaumatogr. claſſe 1. cap. 5. art. 5. pag. 25. inquiens - „Anno 1125. erat hyems tam valida, ut in Brabantia an- „guillæ innumerabiles propter glaciem e paludibus „quod mirum dictu eſt, exeuntes (Robertus de Monte) „in fœnilibus fugientes latuerint, atque ibi præ nimietate „frigoris computruerint; vix tandem arbores frondue- runt menſe Majo.„ *Anſelmus Gemblacenſis* Abbas octavus in Chronico pag. 198. ad A. C. 1124 edit. *Stub. Miræi* Antverp. apud Hier. Verduſſen 1608. in 4to ait: „In

„multis

multis vivariis pisces absorpti sub glacie perierunt: In" Bræbanto anguillæ innumerabiles, propter glaciem a" paludibus exeuntes, quod dictu mirum est, in fœnili-" bus fugientes latuerunt, sed ibi etiam præ nimietate" frigoris deficientes computruerunt. *Zacch. Rivander*" in der Thüringl. Chronick pag. 259. *Jo. Jac. Hofmann.* Lex univ. T. I. fol 742. b. ait: Helia Bedæ, & Elia vulgo Ely urbs Angliæ Episcopalis, sic ab anguillis (quas Angli Eeles vocant) dicta, quarum ibi ingens copia ob multas aquas, quibus ut Insula continetur; Cantabrigiæ proxima. In SIEWERIA giebts überaus grosse Aale ait *Jo. Georg. Schleussing* im neu entdeckten Siwerien c. 6. pag. 51. *Felix Malleolus* Tract. de Exorcismo inquit: „Sanctus *Guilhelmus* Lausannensis Episcopus ab anguillis „læsus maledixit & exulavit & relegavit omnes anguillas „lacus magni Lausannensis, prout hodie ab isto lacu & ab omnibus fluminibus, istum lacum intrantibus, sunt expulsæ. Verum CL. *Jo. Jac. Wagner* in Hist. Nat. Helvetiæ curiosa sect. 3. art. I. pag. 50. addit: Sed Exorcismus iste tantæ haud fuit efficaciæ, quo minus nostro tempore anguillæ hoc in lacu non reperiantur, & quotidie ab accolis lacus comedantur. Danubius dicitur iis carere, & si illatæ fuerint, interficere. *Nauclerus* apud *Jonston.* Thaumatogr. pag. 407. *Libavius* lib. I. Batrach cap. 12. in Schol. pag. 235. *Morhard.* & *Gesner.* Causam in frigiditatem Danubii conjecit *Albertus* apud *Jonston.* Conf. & *Schotti* Phys. Cur. l. a. Quin & in aquis cœnoque non solum sed & in *aceto* anguillas detexere recentiores. In aceto anguillulam adultam ac vivam repræsentat *Ant. Leeuwenhœck* in Anat. & Contempl. Microscopic. pag. 4. ut & aliam adultam mortuam a se interfectam; quin magnum numerum ejusmodi anguillularum in aceto idem vulgari microscopio vidit ib. pag. 6. & pag. 7. ita super eo commendatur: Sunt multi, qui aciditatem aceti deducunt ex solo punctionis sensu harum anguillarum," quam cauda sua acuta imprimere creduntur linguæ nostræ, quod tamen erroneum est: Si enim supponere-"

„mus hoc verum esse, sequeretur multa aceta esse insipi-„da oportere, quoniam destituuntur ejusmodi anguillu-„lis, & hyberno tempore, quo moriuntur anguillulæ, o-„mne acetum futurum insipidum, sicut antea jam sæpe a „me dictum est.„

6. USUS ALIMENTARII] Judæis esu interdictæ a Theologis communiter creduntur ob squamarum defectum; verum etiam anguillas squamis præditas esse, edocet citatus modo *Leuenhœckius* in Observatt. suis microscopicis. Multis etiam naturalem ab anguillis incuti horrorem testatur *Weinrichius* l. cit. sub nota 1. Miram ergo anguillam hominis antipathiam proponit CL. *Henr. ab Heer* Obs med. 29 pag. 322 his verbis: „Vi-„vit apud nos vir primarius, qui visa anguilla lipothy-„mia gravi corripitur; imo & si crustis, artocreatum in-„star anguilla inclusa mensæ inferatur, mortui instar „concidit, nec ad se redit nisi ablata anguilla.„ De fœmina Ferrariensi, quæ, quoties gravida, anguillas mire aversatur, lege *Jos. Lonzonum*, Ephem. Germ. Cur. A. 9. Dec. 2. obs. 208. pag. 379. sed post partum statim tanquam cibum delicatum deperit. Alia exempla antipathiæ adversus anguillas habet *Pareus*. Introd. ad Chirurg. cap. 22. *Jo. Schenck.* lib. 7. Observatt. fol 917. a. Anguillam deteriorem esse propter succum lentum & pituitosum scribit *Oribasius* lib. 4. Synops. cap. 1. & lib. 1. Euporist. cap. 19. fol. 584. inter cibos maxime crassi succi refert; item *Galenus* inter cibos mali succi reposuit, teste *Beverovic.* & *Melch. Sebizio*. Hinc *Jo. Matthæus* lib. de Rebus Non Natural. cap. 2. pag. 82. ait: *Galenus* omnem anguillarum esum improbat, quapropter quibus valetudo curæ est, ab anguillis abstineant; cumprimis qui podagræ & calculo sunt obnoxii. Conf. *Quercetanus* Dietet. pag. 420. *Lotich.* Comm. in Petron. lib. 2. cap. 18 pag 320. *Gesnerus* de aquaticis fol. 46. *Jul. Alexandrinus*, *Rondeletius*, *M. Sebitius*, *Jonstonus* Hygien. pag 237. *Greg. Horst.* de T. S. S. lib. 1. cap. 7. pag. 68. *C. Hofmann.* *Cæsalpin.* spec. art. Med. Hipp. lib. 1. cap. 9. pag.

9. pag. 22. *Fr. Joel.* in Opp. Med. lib. 2. sect. 2 pag. 46. Esum anguillæ improbat quoque Dan. Becker Tr. vom Blutgang cap. 2. tit. vom Eſſen, quia *bilem* augeant; *Georg. Pictorius* Dial. 3. de bona valetud. pag. 41. ait: Anguillæ omnium pessimæ, quod earum in aquis similis est generatio serpentum in terris generationi &c. Fastidium parere anguillas, humoresque excrementitios generare, scribit *Elluchasem* apud Gesner. fol. 46. & *P. Jovius* lib. de piscib. cap. 33. tradit: In toto genere piscium anguillam cum sapidissima sit, noxiam esse, ut pene inique fecisse naturam queratur. Nec sanis nec ægris bonum præbet nutrimentum, *Beverovic.* l. a. *Timæus a Güldenklee* Consil. Diæt. pag. 152. & *Mœbius* Institt. pag. 503. Rationem reddit Hippocrates lib. 2. de Victus ratione fol. 25. quod in cœnosis & aquosis locis cibum capiant. Hinc in morbo sacro anguillæ esum idem rejicit *Hippocr.* lib. de Morbis sac. pag. 85. De *Epilepsia* ex anguilla affatim devorata vid. *Wolfg. Gabelchover* Cent. 4 fol. 117. *Choleram* easdem parere statuit *Burnetius* in Thes. Med. Pract. lib. 3. sect. 41. pag. 295. In specie imbecilli ventriculo nocent. *Quercetan. Rondelet. Beverovic.* & *Mylius* ll. cc. Esum earundem peripneumoniam causari, quia pingue habeant naturæ hominis infensissimum, ait *Petræus* Nosolog. Harmon. Diss. 16. θ. 14. Ad Calculum generandum aptas esse ait *Sennertus* Prax. lib. 3 P. 7. *S.* 1. cap. 6. pag 802. Arthriticis interdicuntur a *Rondelet. Beverov.* & *M. Sebizio* pag. 994. atque podagricis a *Mylio* & Gesner. ll. aa. ut & B. Timæo a Güldenklee Consil. Diætet. pag. 152. Hinc *Christoph.* Balista Parisinus Concertatione in Podagram v. 263. canit:

Anguilla haud mensas oneret, namque ipsa tenacem
Humorem humanis ingerit articulis.

Inter causas podagræ anguillam refert quoque *Jo. Raicus* Tract. de Podagra Paraf. 3. pag. 12. inquiens: "Omnes torrefacti, insolati, in aëre duri pisces generant"

„in sanguine mucilagines phlegmaticas, stypticas bolares sive argillosas. Pisces in palustribus & cœnosis locis degentes ex iis hauriunt nutrimentum infectum limo salso & impuritatibus sulphureis resolubilibus, ambigentibus inter impuritates mercuriales & tartareas. „Hisce vero præsertim abundat *anguilla*. „ Nocent item calculosis, *Gesner. Mylius, Rondelet. Timæus, M. Sebiz. Beverovic.* aliique teste *Rolfinc.* Med. Com. lib. 2. sect.3.cap.63. menses supprimunt, *Beverov.* l. a. ἢν φλεγμονὴ ἐν πλεύμονι γένηται, γένηται δὲ μάλιστα ἀπὸ ἀνοφλυγίης καὶ γαστριμαργίης, ἰχθύων κεφαλῶν καὶ ἐγχελύων. Ταῦτα γὰρ τὴν πιμελὴν πολεμιωτάτην ἔχει πρὸς τὴν φύσιν τοῦ ἀνθρώπου, h. e. „Si „inflammatio in pulmone oriatur, oritur autem præcipue & vinolentia & piscium capitonum & anguillarum „ingluvie, qui pinguedinem hominis naturæ maxime „infensam habent. „ Subscribunt *Gesnerus* & *Jonstonus* Idea med. pract. lib. 1. art. 2. punct. 2. item *Petræus* l. c. & *M. Sebizius*, qui addit, lienosis atque tabidis obesse. Nocent iis, qui doloribus capitis obnoxii. *Rondelet* & *M. Sebizius* l. a. Tetanum ab esu anguillæ lege ap. *Th. Bartholin.* Cent. 3. hist. 24. Quidam cum affatim anguillam devorasset, epilepsia corripiebatur, vid. *Bened. Faventin.* apud Forest. Schol. ad obs. 57. lib. 10. conf. sub nott. ex *Gabelchovero.* Quapropter veneno aliquo eas infectas putat *Petræus* in Nosol. Harm. Diss. 6. θ. 15. Imo de veneno quoque suspectæ sunt *C. Hofmanno* Institt. Med. V. 22. 10. *Arnold* in Regim. Salernit. *Gesnero, Mylio* & *Sebizio.* Esu anguillæ venenatæ in gravissima symptomata incidit Abbas. quem restituit *H. Reusner.* obs. 143. & ad h. l. Exc. Dn. D. *Velschius* pag. 77. Conf. omnino *Magnini* Mediolanensis Regim. Sanit. P. 3. cap. 18. pag. 64. a. & pluribus quoque *Elsholtii* Diæteticon lib. 4. cap. 4. n. 2. pag. 226. Antipathian quoque non raro faciunt; exempla quædam jam sup. notavimus, in principio notæ hujus. Sic quidam Procerum Galliæ in ferculis abs vi-

tæ

tæ diſcrimine non ferre poterat vid. Paræum Introd. ad Chirurg. cap. 22. Novimus, ait Weinrich. de Monſt. cap. 8. pag. 65. qui anguillarum non modo odorem, aſpectum, eſum non pati poſſet, ſed ne eſſet quidem in ædibus, absque inſigni anxietate, ubi viva occultabatur. In peſte non comedendas ait *Matth. Auctus* Med. Vratislav. in Tract. von Präſervirung der Peſt Breßlau 1542. 4. Febres faciunt, inquit *Jo. Jones* lib. de Febr. intermitt. P. 1. c. 1. pag. 2. Virum novi, ait *Mich. Ettmüllerus* de febr. intermitt. pag 273. qui eſu anguillæ, quam nonnihil invitus comederat, in febrim tertianam ultra quadrantem anni durantem inciderat. Paucis: „*Tota Medicorum Schola* docuit hactenus, piſces eſſe κακοχύμȣς, quod pituitoſum, lentum & glutinoſum humorem generent; obſtructiones hoc nomine pariant, & inde febres excitent, illæ præſertim, quæ in limoſis & fæculentis ſtagnis, verba ſunt CLmi M. Sebizii de aliment lib. 3. pag. 994. & *Guil. van den Boſſche* Hiſt. med. lib. 3. c. 2. pag. 329. ait: Anguillas, verum eſt, omni loco omnique tempore a medicis deteſtari, (rectius rejici,) quod ſtomachis & renibus ſint inimicæ, podagra quoque laborantibus manifeſte officiant, ita ut natura inique feciſſe quidam (ſed parum prudenter) dixerint, quod tam ſuavem refutandis reſpuendisque piſcibus indiderit ſaporem, his aſſentiri lubet, ſi intelligant de earum uſu quoad victum; alias non contemnendæ ſunt propter earum uſum in medicina, valentque adverſus morbos plurimos. E contrario Encomiaſtæ egregii prioribus ſe opponunt. Athenæus lib. 7 inquit: Περὶ δὲ τῶν ἐγχλύων τκέσιος Φησὶν ἐν τοῖς περὶ ὕλης, ὡς αἱ Ἐγχέλεις ἐγχυλότεραι πάντων εἰσὶν ἰχθύων, καὶ εὐςομαχία (mavult *Rondelet.* εὐςομία) αφέρȣσι τῶν πλείςων: Πλήσμιαι γὰρ εἰσι καὶ πολύτροφοι: ἐν δὲ τοῖς ταρίχεσι τὰς Μακεδονικὰς ἐγχέλεις κατατάττει i. e. *Hiceſius* in lib. de materia ait:

ait: *Anguillas* omnibus piſcibus ſucci bonitate præſtare, ſtomacho gratiores eſſe; ſatiant enim & multi ſunt alimenti. Inter ſalſamenta autem Macedonicas anguillas annumerat. Rurſus: Multum alunt, ventrem molliunt (conſentit *Braſavol.* ap. *Geſner.*) arteriam repurgant, vocem reddunt claram, (voci tamen nocere ſcribit auctor Salernitani carminis ap. Geſner; ille vero eſt *Joh. de Mediolano* teſte *Zach. Sylvio*) & genituram augent: (adſtipulatur *Alex. Bened.* apud *Geſner.*) quæ fuerunt majores, uberius alunt, ſunt verba *Elluchaſem* apud Geſner. fol. 46. Inter optimos piſces refert anguillam *Guido Patin.* de Valetud. tuend. cap. 2. pag. 372. Conf. plur. *Elsholzii* Diætet. l. c. Jac. Theod. Tabernamont. in ſeinem neuen Waſſerſchatz cap. 10. pag. 237. ait: Die Aale ſind harttdäuig; ſo ſie aber verdauet werden, geben ſie gute Nahrung, mögen derowegen von ſtarcken Leuten wohl genoſſen werden. Videlicet expeditius omnino humectans anguillæ mollities, quam bubula durities digeritur, *Chriſt. Lange* l. ſup. c. Multum nutrit, nec facile diſſipatur, cum glutinoſa ſit. *Rondelet.* Hinc hecticis & phthiſicis præſcribitur; conf. *P. J. Faber* in Panchym. Vol. 2. lib. 4. cap. 14. ſ. 5. *Guainerius* apud *Geſner.* & *Chriſt. Lange* ll. cc. Coctæ & aſſatæ dein parceque ſumtæ ſunt cibus optimus, appetitumque excitant. Quercetan. Diæt. pag. 421. Stomachicos atque dyſentericos ſanant vid. *Kiranid.* ult. pag. 145. Ferunt eas fumo ſale conditas atque induratas melioris tum ſaporis tum nutrimenti eſſe, *Lotichius* ad *Petron.* Comm. lib. 2. cap. 18. præcipue ſi coquantur cum braſſica capitata muria condita, unter dem Sauer-Kraute. Apud Georg. Pictor. lib. 2. Conv. pag. 248. ſeq. eſt anſer aſſatus, in cujus ventre anguilla, quod exquiſitum edulium recte Jovis cerebrum dixeris Anguillas Strymonias in pretio habitas, docet ex Antiphanis Thamyra Athenæus lib. 7. cap. 13. quas nunc celebrat quoque *Bellonius* lib. 1. obſ. cap. 55. ait C. Barthius in Nott. ad Statii Sylvar. lib. 2. v.

v. 21. pag. 22. Non immerito ergo vocasse anguillam videtur *Christ. Lange* pulcerrimum & in alimentum hominibus omnino idoneum piscem atque sapidissimum aquæ spolium. *Joh. Matthæus* Lib. de rebus non-natur. cap. 2. pag. 82. esum earum improbavit, addit tamen:„ Quamvis assatæ elixis præferantur, si cum foliis lauri" vel salviæ assentur, ad humoris mucosi consumtionem." Quoniam vero *Beda* lib. 4. Hist. Eccl. cap. 13. refert:" Saxones Australes *solis anguillis* olim usos esse absque" ullo valetudinis incommodo, donec a Wilfredo mona-" cho artem piscendi didicerunt, suspicari licet, Saxones" istos peculiarem modum anguillas coquendi & præpa-" randi tenuisse, qui nobis fortassis est incognitus.„ Con-" trarii vero refutantur, quando certis hominibus, justo tempore atque ætate rite præparatæ, (de hoc *Gesner*. fol. 47. *Beverovic. M. Sebizius, Christ. Lange* ll. aa. *Bernh. Swalve* in Ventric querel. & oppr. pag. 163. *Mœbius* Instit. pag. 503. *Rolfinc.* Med. Comment. lib. 2. sect. 3. cap. 63.) debita quantitate &c. adponuntur.

7. ATQUE MEDICINALIS] *Nec ullis morbis mederi anguilla* scribitur apud *Gesner*. de Aquatil. fol. 46. atque *Mylium* pag. 149. sed male. Cocta cum aliis cibis commendatur in ruptione vasorum *a*) *in pulmonibus* a *Wirsungo* Artzney-Buch P. 2. cap. 5. §. 18. interdum conceditur *b*) *in phthisi*; id ibid. §. 22. Conf. sup. Not. 6. *c*) *In morbo caduco* in principio medetur, *Paracels.* in schol. in lib. de Paragraph. pag. 264. Idem præstat decoctio ejus; idem Paragraph. lib. 3. de Morb. Caduc. cap. 3. p. 367. Extrahit *d*) *venenum pestilentiale*, Parac. de Pest. Tr. 1. pag. 50. Valet contra *Colicam*, quæ cum peste incidit. Idem ib. pag. 58. Commendatur itidem *e*) in Colica a *Crollio* Lib. de Signatur. pap. 48. Aquam anguillarum destillatam *phthisicis f*) *becticisque* summa cum utilitate exhiberi statuit *Christ. Lange* pag. 44. *Jonston.* Prax. lib. 7. Tr. 4. ex. Joelis Operum. Tomo 5. Sed jam olim Guai-

Usus medicus *a*) *pro pulmonibus*, *b*) *phthisi*. *c*) *morbo caduco d*) *peste e*) *colica f*) *bectica*.

Guainerius in cura hecticæ laudarat apud *Gesner* Commendat itidem in hectica febre *Henr. Warenius* in Nosologia. hermet. & Galenic. Disp. 4. θ. 19. pag. 43. testudinem nemoralem & aquaticam, pisces saxatiles, præsertim *anguillas*, cancros &c. ad hæmorrhoides exeuntes & dolentes anguillam evisceratam abscissis extremis tunicis tundito & in olla vitreata coquito, & cum pinguedine ac liquore, qui remanet in fundo vasis, inungantur hæmorrhoides. *Leonellus Faventinus* hoc *Alberti* experimentum esse, scribit B*osschius* l. c. pag. 322. Famosus quoque anguillæ usus est ad *g*) *vini tædium*, & ut faciat abstemios, vel suffocata vel necata vel putrefacta in vino, si hoc bibatur, testibus *Galeno* Euposton. lib. 3. cap. 152. *Isidoro* Origg. lib. 12. cap. 6. *Plinio* H. N. lib. 32. cap. 10. ex quo *Tiraquellus* in lib. 9. Connub. §. 211. *Capivaccius* lib. 3. pract. cap. 8. pag. 681. ex eoque *Prævotius* Select. Remed. pag. 150. item *Alex. Pedemont.* de Secret. lib. 8. pag. 434. *Jo. Bapt. Porta* Mag. Natur. lib. 14. cap. 12. pag. 523. *Libavius* lib. 2. Batrach. cap. 11. pag. 332. *Rondeletius* apud Gesner. M*izaldus* Cent. 1. Memor. §. 7. & Ananor. lib. 2. pag. 81. *Anonym. Vetus* Tract. de Animal. in specie de Piscib, cap. 2. *Schræder*. Pharmac. lib. 5. classe 3. pag. 325 *Tomaso Tomai* da Ravenna nel' idea del giardino del mondo cap. 45. pag. 153. Imo *Kiranus* Kiranide ult. pag. 145. ait: „Anguillæ hepar cum felle, si solutum cum vino dederis latenter alicui bibere cum vino, nunquam poterit bibere vinum. Verum hic & experientiam & rationes desidero, ac dubito, ut eventus voto respondeat. Hinc recte in hoc passu eventum cum anguilla non repondere e *Salmuth*. Cent. 3. obs. 12. scribit *P. Ju. Sachsius* Ampelograph. pag. 214. *h*) A *quartana febre* liberari censent, si anguillæ vivæ unguium resegmina collo subnectantur, & in aquam dimittatur, ait. *Freitag*. Noct. Med. cap. 39. pag. 192. qui id rejicit. Sed ad partes deveniamus. *i*) *Caput anguilla* e verrucis cutis mederi ajunt,

g) Vini tædio, *h*) Pinguedo, *i*) usus capitis.

junt, ſcil. ſi caput ſanguinolentum adhuc, quo verrucæ tactæ ſunt, terra cooperiatur, ut putreſcat. *Schrœder.* Pharmac. l. a. & *Macaſius* Promtuar. Mat. Med. per *Neſterum* edit. pag. 913. ſeq. *k*) *Cauda* ſi detur vaccæ a coitu, certo concepturam promittunt quidam, homines ſcilicet nimis vel ſtolidi vel ſuperſtitioſi, apte ſcribit *Geſnerus* fol. 48. *l*) *Cutis* valet contra ſpaſmum ſi imponatur, donec caleſiat, *Wirſung.* P. I. cap. 12. §. 15. Blancard. im holländiſchen Jahr-Regiſter c. 6. n. 49. p. 281. ait: Es hat mir ein Prieſter erzehlet, daß er vor die Gicht in den Beinen und den Krampf nichts anders gebraucht, als daß er ſich trockene Aalhäute um die Beine gebunden, und daß er nachdem von dieſer Kranckheit nichts mehr geſpüret. Dieſes Mittel hat er von einem bekommen, der ihrer vielen damit geholffen. Suffumigium ex corio anguillæ in uteri prolapſu conducere ſcribit *H. Corbejus* in Gynæc. lib. 1. cap. 6. pag. 127. præſtantiſſimum gluten eſt ad hernias recentes gluten ab exuviis aut cute auguillarum ſolutis, *Theod. Craanen* in Praxi Med. Reform. cap. 86. pag. 349. In utriusque pedisſpaſmo feliciter adhibuit Dn. Stöberlin celebris Pharmacopœus Norimberg. ceu ipſe retulit mihi m. Jul. 1691. Contra luxationes & manuum & pedum (vor Verſtauchung) memini aliquoties applicatam. Referunt quoque, fides e corio anguillarum auditores ad ſaltationem inclinare, *Cardanus* apud *Geſner.* ſed ridiculum eſt! *Reineſius* in Var. Lect. pag. 427. forte ſtatuerat e Scholiaſte Juvenalis, coërcitionem puerorum factam cum anguillarum cutibus; verum non eſſe in eo ſcribit *A. Rivinus* Epimetro XI. ad diſp. Lanx Satura Lipſ. 1649. nimirum apud Juven. anguillas eſſe ſcuticas ſup. nota 1. demonſtravimus. *m*) *Sanguis* adhuc tepidus colicos domare dolores dicitur cum vino aſſumtus, *Schrœder.* l. a. Marcellus apud Geſner. fol. 47. *Petræus* Noſolog. harmon. diſſ. 29. θ. 28.

k) Caudæ. *l*) Cutis. *m*) ſanguis.

28. *Roder a Fonseca* Tom. I. conf. 13. citante *Th. Burnet.* Thes. pract. lib. 1. sect 43. subsec. 2. pag 94. ex pluribus *Bosch.* l c. p. 322. & 323. *Pinguedo* in auditu gravi valet, quæ ita solet parari; Sumitur anguilla & aromatibus conditur, postea assatur, & pinguedo manans ad usum colligitur, ait *Benedic. Sylvaticus* Cent. 2. Conf. & Respons. 17. fol 123. b. nimirum auri instillata *Schræder.* l. d. *Fonseca*, & ex eo *Guil. van den Bosche* Hist. Med. n. 3. c. 2. p. 321. Eandem in eodem eum succo Salviæ laudat Wirsung. P. I. cap. 9. §. 9. & *Ettmüller.* in Coll. Pract. gener. P. II. c. 11, ait: Pinguedo ex anguilla pingui in veru assata exstillans & excepta foliis lauri, sic collecta postmodum in aurem instillatur contra surditatem egregie. Ad aurium dolores suadent *Rondelet.* Mylius, Anonym. Vetus ll. cc. ex libro germ. MSCto Gesnerus fol. 47. ut & ex auctore de Natura Rerum. Ad nervorum dolores Rondeletius. Hæmorrhoides mitigat, *Schræder.* Pharmac. l. d. *Leonellus Faventin.* ex *Alberto M.* apud. *Gesner.* fol 47. ut & *Alex. Benedict*, l c. item *Sennert.* prax. lib. 3. P. II. f. 2. cap. 13. pag. 425. *Petrejus* Nosolog. harmon. diss. 32. θ. 31. pag. 155. Vulneraria etiam est *Schræder* l. c & *Gesnerus* ex lib. germ. MSC. ad fissuras papillarum in mammis, *Dav. Herlicius* de Cura gravidar. puerper. & infant. cap. 31. pag 368. Variolarum vestigia delet. *Fumanellus* teste *Boschio* l. c. qui addit ex *Platero*, conducere quoque in spasmo, & illitam sanare scrophulas, teste *Riolano.* Turffa seu Cespes bituminosus cum caryophyllis aromaticis & pinguedine anguillæ contra scirmos lienis & affectum infantum vulgo dictum das Anwachsen egregie valet, ceu mihi confirmavit Illustriss. Heros Dom. Nicol. Juel Architthalassus Regius Danicus Hafniæ m. Jul. 1696. Capillos generat illita in alopecia *Gesner* fol. 47 & *Schræder* l. c. Pinguedo illita armis, sclopetis &c. eadem politissima præservat a rubigine. *o*) *Fel* ad oculorum suffusiones, Rondeletius l. c. in surditate fel anguillæ Spiritui vini infusum & filtratum

n) Pinguedo. *o*) Fel.

tum, ut fiat essentia, ejusque guttæ 2. vel 3. auribus instillatæ optime conducunt, *Ettmüller.* in Colleg. Med. Gener. Pract. P. II. cap 11. Callos pedum auctore *Fumanello* solvit anguillæ fel, si per 3. dies super ligatum maneat. *Bosch.* l. c *Forestus* lib. 11. obs. 29. habet exemplum pueri, qui ex variolis incidit in pustulas oculorum, quæ tandem fuerunt exulceratæ, & exinde oborta est nebula oculorum, cui profuit hoc collyrium: Rec. ▽ fœnic. ℥iij, Fellis anguillæ ʒj. vel ʒ iß. Sacch. canth. præteriti ʒj, M. stent in loco calido per noctem; ex eo idem commendat quoque *Ettmüller.* in annott. pract. ad Institt. Med. Physiol. fol. 88. b. Fel ad faciem dealbandam usurpat *Alex. Pedemontan.* de secretis lib 4. pag. 215. Locus, in quo evulsi fuerint pili, illinatur felle anguillæ masculæ mixto cum oleo rosarum vel sanguine vespertilionis. *Arnoldus* apud *Gesner.* l. a. fol. 48. Idem *Gesnerus* monstrat quoque usum ejus pro pictoribus ad colorem. Conf. quoque *p*) sequentia. *Hepar* cum *felle* quomodo faciat abstemios, vide supra. Helmontius in Tract. ultra necess. non inclin. §. 49. ait: "Novi remedium, quo fœtus alioqui" per diem & horas in partu staret, eoque potu sumtu mox" infra horæ quadrantem mulier parturit: sicque elu" ditur punctum nativitatis, itemque trutina Hermetis" empsychosi; hoc autem remedium in jecore & felle an-" guillæ siccatis & pulverisatis consistere scriptsi alibi." videl. in tract. Jus Duumviratus num. 46. & 47. fusissime illud proponit his verbis: "Mulieres observavi in" partu difficili aliquot dies periculoso oblato poculo" mox ad summum ante semihoræ spacium enixas; idq;" ducenties & amplius probatum. Pharmaco nimirum" adhuc in stomacho existente, apertum fit os pubis, &" valvæ ossis sacri in lumbis fœtusque statim propulsus." Notavi scilicet stomachum claves uteri gerere. Hoc-" que medicamen lubens in bonum proximi evulgavi," ne deinceps parturiens periculum vitæ subeat. Est au-"

 tem

p) Hepar.

„tem *Jecur* simul cum *Felle anguillæ* siccatum pulveratumque in vino potum magnitudinem avellanæ. Donum Dei in hoc simplici," &c. *Panarolus* pentecost. 3. obs. 21. ait: Nos remedium optimum dabimus ad par-„tum, sive sit fœtus vivus sive mortuus, experimento plu-„ries comprobatum, dono receptum a Sereniss. Duce „Guisano; videlicet *anguillæ jecur* in furno panis ex-„siccatum, ut in pulverem possit redigi. Dosis ipsius „est medietas ponderis unius aurei scilicet. Detur ve-„ro in liquore convenienti, prout Medico libuerit. Mi-„rifice partum facilem reddit:„ *Theod. Zwingerus* im neuen Artzney-Buch pag. 238. seq. ait: Die Leber samt der Galle von einem Aal getrocknet zu Pulver gestossen, und auff ein halb oder gantz Quintlein auff einmal in Melissen- oder weiß Lilien-Wasser eingegeben, befördert die Geburt sehr. Conf. omnino *Dan. Ludovici* Ephem. Germ. Cur. Dec. I. ann. 9. & 10. obs. 35. G. W. *Wedelius* ibid. dec. 2. ann. „4. obs. 117. pag. 225. ait: „Cum hepar anguillæ tanto-„pere deprædicet Helmontius, idque virtutem suam „unice ob fel junctum exerceat, cogitavi id convenien-„tius præstari posse a felle vegetabili externo quasi. Di-„ctum factum: Remiscui Aloës Socoterinæ aliquot gra-„na pulveri ad partum ex borace, croco, cinnabari nati-„va, oleo cinnamomi, succino, cum felicissimo & præsen-„taneo successu per aliquot annos. „ Christ. Gottlieb Reusnerus disp. inaug. de partu difficili Erfurti 1697. cap. 3. §. 3. pag. 24. ait: „Quid hepar anguillæ aliud est, „quam antispasmodicum, & multis laudibus deprædica-„tur apud *Helmont.* Tr. Duumviratus §. 47. *Flamant* „l'art de se conserver la sante pag. 116. qui cum Cochle-„ari vini optimi propinat; a quo medicamento *Binnin-„gerus* præsentaneum uxori suæ procuravit auxilium, „referente ipso Cent. 3. obs. 22. Adde *Frid. Hofmann.* „lib. 1. Mat. Med. cap. 19. pag 365. Panarol. Pentec. 3. obs. „21. Et certe mea quoque experientia adstipulor de

felici-

felicitate medicaminis. Contra Nyctalopiam etiam valet; quispiam aliquoties ante cibum ſumendo hepar anguillæ ſuper carbones aſſatum reconvaluit. Hoc remedio poſtea ſimili malo laborantes feliciter ad ſanitatem perduxit *Panarol.* Pentec. 3. obſ. 49.

8. ET CÆTERA] Coronidis tandem loco addendum aliquid de alacritate earundem: Tanta enim eſt, ut a phalacrocorace integræ, devoratæ per inteſtina novem repetitis vicibus elabantur, tum retineantur, cum debilitatæ fuerint. *Geſnerus* apud *Jonſton.* Thaumatogr. claſſ. 9. pag. 408. Nautam novit *Geſnerus*, qui aliquam devorare auſus eſt, integram vivamque alvo reddidit. Allegat quoque *Bernh. Swalve* in Ventric querel. pag. 115. Aliam hiſtoriam, ubi deglutita anguilla, poſt multos dolores excitatos rurſus per alvum non quidem viva ſed veluti excoriata excreta fuit, recenſet Fel. Platerus obſervatt. lib. 2. pag. 414. Hinc vivere exemtæ aquis vel ad diem quintum ſextumve poſſunt, & aquilone plures diutius durant, auſtro minus. *Ariſtotel.* lib. 8. Hiſt. Anim. cap. 2. *Theophraſt.* lib. 5. *Plinius* H. N. lib. 9. cap. 21. Baricellus in hort. gen. ex *Bodino.* Vita quoque nonnullis ad 7. & 8. annos protrahitur. *Ariſtot.* & *Plin.* l. c. ſed ultra 10. annos non putatur vivere, teſte Verulam. Hiſt. vit. & mort. pag. 503. Aliquam in piſcina per 15. annos ſervavit *Niphus* apud *Geſner.* Quando vero *Platina* dixit, 80. annos vivere, erravit, ceu recte judicat *Geſnerus.* In ſinu detentas majores præſertim hominem ad ſuffocationem vincire teſtatur *Cardanus* apud *Jonſton.* l. a. & *Geſner.* fol. 48. Quomodo capiantur, variis explicant modis antiqui; uti *Ariſtot.* lib. 4. Hiſt. Anim. cap. 8 & lib. 8. cap. 21. *Oppian.* lib. 4. Halient. v. 450. ſeq. atque ejus interpres *Laur. Lippius* lib. 4. v. 434. ſeq. *Conſtantinus Porphyrogen.* lib. 20. de agricult. cap. 14. *Ælianus* Hiſt. var. lib. 14. cap. 8. *Rondeletius* &c. Verum riſum hodie a multis exciperentur, cum in omnibus actibus diem dies doceat. In Arethuſa Chalcidenſi manſuetas in auribus argenteis & aureis ornatas

cibum de manibus largientium accepisse *Athenæus*, *Ælianus*, *Plutarchus* referunt. Idem in Gloro amne fecisse *Nymphodorus* auctor est, ait *Jonston*. Thaumatogr. pag. 408. forte ex Gesnero. *Cardanus* refert fides e cute anguillarum factas, auditores ad saltandum inclinare, v. *Bosch*. l. c p. 323.

9. RELAXARI MULTI QVIDEM AFFIRMANT] Nimirum *Hippocrates* lib. de nat. puer. in fine *Ibn-Tsina* atque *Aëtius* Tetrab. 4. Serm. 4. cap. 22. *Pinæus* de nott. Virgin. lib. 2. cap. 5. 6. 7. 8. 9. seq. ubi & rationibus & auctoritatibus suam assertionem defendere conatur, contrariasque sententias examinatas multis refutat. *Alex. Benedict*. lib. 5. Anat. cap, 3. *Fr. Rousset* de Partu Cæsar sect. 1. cap. 3. pag 6 *Casp. Bauchinus* Instit. Anat. pag. 80. *Sylvius*, *Carpus* aliique apud *Arniseum* obs. 6. Item *Gorræus* Comm. ad Hippocr. lib. de nat. puer. *Jo. Langius* Ep. 39. lib. 2. *Fabritius Hild*. Cent. 1. obs. 39. fol. 547. *Höferus* H. M. lib. 7. cap. 4. pag. 328. seq. *Barth. Bausnerus* de Consens. part. lib 1. cap. 6. p. 50. & seqq. Consentiunt quoque *Mercatus* lib. 4. de affect. mul. cap. 3. *Spigelius* de Fabr. Corp. hum. lib. 2. cap. 24 pag 72. seq. qui omnino legatur; *Deusing*. in Genesi microcosm. P. 3. sect. 2. §. 59. pag. 186. conf. eund. § 65 p. 191. seq. ubi *Veslinus* Synt. Anatom. cap. 2. & ad illud Riolan. in animadvers. pag. 458. consentientes allegat. *Bart. Bausner*. lib: 1. de Consensu part. cap. 6. pag. 50. seq. *Fernelius* hic est inconstans, ex. gr. lib. 6. Patholog. & lib. 7. Physiol. *teste Riolano* l. c. *Pareus* in suspensa puerpera post 14. dies vidit hæc ossa in medio ad dimidii digiti latitudinem diffisa fuisse apud *Job van Meekern* obs. chir. 55. pag. 372. seq. *Fabrit. Hildan*. Cent. 6 obs 29. ait: Se primo etiam credidisse non disjungi, tandem vero experientia convictum esse, ut non solum os pubis sed etiam os ilium & os sacrum fuerint disjuncta apud eund. *Meekern* pag. 373. Consentiunt *Fallopius*, *Spigelius* &c. ibid. De ossis sacri dilatatione seu retrocessione ad partum facilem pugnat *Mercatus*.

sup.

ſup. cit. De oſſis pubis notabili, ſed præternaturali dilatatione vid. *Car. Solingen* obſ. Chirurg. 25. pag. 723. Conf. pro hac ſententia ſtantes etiam *Wolfg. Chriſtoph. Weſnerum* diſp inaug. de Parturientibus cap. 2. in fine qui & *Harvejum* pro ſe allegat; item *Cummius* Diſp. de Partu diffic cap. 2. Jenæ præſide *Rolfincio* 1604. *Barbette* Chirurg. P.1. cap 23 pag. 81. ait: Oſſa pubis nonniſi in partu laborioſiſſimo & quidem rariſſime a ſe invicem ſecedunt. Eadem laxari innuit quoque *Ant. Molinettus* lib. 2. diſſ. Anat. Pathol. cap. 2. pag. 37. & cap. 4. pag. 48. ait; "Os coccygis moveri loco laxarique in partu multi putant, quod equidem non inficior, quamvis haud ſe-" mel obſervaverim, naturam ampliori via parturienti-" um incommodo opitulari conſueviſſe, dilatatis didu-" ctisque oſſibus pubis, ut ſuo loco exponam. " Et ibid." pag. 49. pergit: "Oſſa pubis per ſynchondroſin ne-" ctuntur, quæ tamen arcta adeo firmaque connexio non" eſt quin partus tempore laxetur, diſtinctis hinc inde" pubis oſſibus, quo majus exeunti fœtui ſpatium præbea-" tur, quod non ſemel aut bis, ſed pluries imo quoties" data occaſio fuit ſecandi cadaveris mortuæ ex puerpe-" rio mulieris non fieri vidimus & aliis oſtendimus." Laxari hæc oſſa in partu aſſerit quoque *Th. Bartholin.* de Inſolit. Part. Hum. Viis cap. 3. pag. 21. ſeq. allegatque Pinæum lib. 2. de Notis Virgin. cap. 6 & *Jo. Claud. de la Courvee* Part. 3. de Nutrit. Fœtus cap. 12. Idem tamen Anat. ref. lib. 4. cap. 16. citante *Job van Meeckern* l. a. pag. 374. videtur diſtinxiſſe, & interdum, non autem ſemper fieri & ordinarie affirmaſſe.

10. ABSQUE RATIONE ET EXPERIENTIA] Legatur *Coiter.* de Oſſib. Infant. cap. 2. pag. 184. *Pareus* l. de Generat. Hom. cap 13. Bartholin. Anat. ref. l. c Ratione & experimento negat *Binninger.* Cent. 2. obſ. 44. & *Jo. Rud. Salzmann.* Obſ. anat. 23 Jan. 1612. ait: In puerpera ſtatim poſt partum defuncta ſe obſervaſſe oſſa pubis nullo modo ſejuncta ſed arctiſſime & ut naturaliter fieri ſolet, firmiſſime connivere. Ridiculum eſt affirmare,

offa pubis in partu disjungi, ait *Lub. Esthius* Disp. de Cadavere ſicco Coroll. 9. Heidelb. 1599. *Fernel.* lib. 7. Phyſ. cap. 11. conf. *P. Ammann.* in Epimetr. ad Leichneri Archeum Syncopt. pag. 649. & in Paræneſi lib. 5. P. 2. ſect. 1. cap. 2. §. 11. pag. 307. ſeq. *Franc. Rouſſetus* de Part. Cæſ. ſect. 1. cap. 3. pag. 6. *Job. van Meckern* Obſ. Chirurg. 55. pag. 373. ait: Se in 4. vel 5. puerperis cultro anatomico ſubjectis nec minimam ad capilli nedum ad digiti latitudinem offendiſſe disjunctionem. *Tob. Petermann* Corol. ad Diſp. de Gonorrhœa Lipſ. 1696. ait: Oſſa pubis in partu non ſecedunt a ſe invicem. Cæterum rationes, cum ratio inſtituti jam non permittat, requirentibus dabimus e cathedra.

11. In Tempore Adhiberet] Legantur omnino, quæ habet *Herm. Grube* de Medicam. ſimpl. cogn. art. 1. ſect. 7. pag. 126. ſeq. & art. ſeq.

SATYRA NONA.
DE VATICINIIS.

§. 1.

1) *Vaticinari* 2) *ægros* de 3) *ignotis vel futuris*, poteſt *facile* 4) *exemplis, difficillime* 5) *rationibus* demonſtrari.

NOTÆ IN SATYRAM IX.

1. Vaticinari] Medicina & Vaticinatio valde cognatæ ſunt, quandoquidem & pater ambarum artium unus eſt Apollo, progenitor noſter, & præſentes & futuros morbos prædicens, & ægrotos & ægrotaturos ſanans, ait Divus Hippocr. Epiſt. 2. ad philopœmonem pag. 909. edit. Linden. Lugd. Bat. 1665. in 8vo. Eadem ex illo repetit CL. JCtus *Tiraquellus* de Nobilitate cap. 31. num.

num. 298. qui addit: Similiter *Apollodorus* in Lib. περὶ Θεῶν scribit, Æsculapium, filium ipsius Apollinis, i-" psumque alterum medicinæ parentem, præesse auguriis" & divinationibus, ut etiam retulit *Macrobius* lib. 1. Sa-" turnal. qui subdit, non id mirum esse, siquidem Medi-" cinæ atque divinationis consecratæ sunt disciplinæ." Hinc non immerito Gentiles olim Apollinem & Vatibus & Medicis præesse statuerunt, vid. *Cœl. Rhodigin.* lib. 9. Ant. Lect. cap. 1. & lib. 28. cap. 11. ac præcipue *Natal. Comitem* Mytholog. lib. 4. c. 10. Siquidem prognosis seu futurorum in valetudine tam dextra quam sinistra prædictio medicos maxime reddit admirandos, vid. omnino *Rolfinc*, Med. Comment. lib. 3. sect. 2. cap. 1. præsertim si eventus accurate respondeat, quale quid olim *Galenus, Cardanus,* (vid. *P. Zacchiam* Quæst. Med. Legal. lib. 4. Tr. 1. qu. 5. n. 8. & 9.) item *Vesalius* ille magnus præstitit, qui Comiti Maximiliano Egmontano diem & horam mortis, quæ accidit d. 31. Decembr 1548. Bruxellis, prædixit accuratissime, ceu ex *Thuano* Hist. lib. 5. refert Dilherr Zeit und Welt-Lauff pag. 859. ut taceam infinita alia, quæ quotidie ferme accidunt. Conf. *P. Zacchias* l. a. n. 7. qui n. 9. restringit. Sic notabile est exemplum Illustrissimæ Virginis Comitissæ de Witgenstein, quod prolixius legi potest in Museo *Jo. Henr. Bœcleri* Viri CL. pag. 81. seq. Aliam notatu dignam de Quarræo historiam evolve apud Celeb. *Morhofium* Polyhist. lib. 1. cap. 19. pag. 218. seq. Conf. eundem ibid. cap. 12. pag 114. Pariter de Aristæo Apollinis ex Cyrene filio dicitur apud Apollonium lib. 2. Argonaut. sect. 24. quod in Chironis schola educatus fuerit, &

Μοῦσαι ἀκεστορίηντε, θεοπροπίας τ' ἐδίδαξαν.

Musæ Medicinamque Vaticiniaque docuerunt. ut vel inde de vaticiniis suo modo tractare liceat medico. De iis conf. *Delvium* Disquis. Magic. lib. 4. *Torreblanc.* in Epit. delict. lib. 1. *Cardan.* lib. 14. de Variet. cap. 48. *Peucer.* de Divinat. &c.

2. ÆGROS] Et ita excipimus vates tum sacros, vid. *Vallesſ.* Phil. ſacr. *Boremann.* Tr. pec. de Poetis & Prophetis. *Petr. Molinæi* Vatem, & CL. Hier. *Jordan.* de Divino cap. 17 tum profanos, puta Sibyllas, (quamvis has ad Melancholicos referat *Ariſtotel.* S. 30. probl. 1.) Phœbades, Pythoniſtas, vid. *Jo. Jac. Boiſſard.* de Divinat. & Magic. præſtig. Conf. & *Ciceronem* de Divinat. lib. 1. item Sophiſtas Indicos, de quibus Arrianus lib. 2. de Expedit. Alexandri M pag. 86. ait, Telmiſſenſes eſſe peritiſſimos prodigiorum interpretes, & vaticinandi ſcientiam ipſis pariter atque uxoribus & liberis ab ortu inſitam eſſe. Idem confirmat ibidem exemplo talis Juvenculæ, & in nott. ad h. l. locum de illa parallelum ex Juſtino allegat Nic. Blancardus; ſed præcipue in Indicis, poſtquam dixerat, Indos omnes diſtingui in ſex potiſſimum genera hominum, interque illos paucos, ſed honores & gloria præſtantiſſimos eſſe, qui vocentur Σοφισταὶ, quare paulo poſt addit: „Sunt vero etiam hi ſoli inter Jndos divinandi periti, neque cuiquam divinatio „permittitur, niſi ſapienti viro. Vaticinantur autem de „temporibus anni, aut ſi qua publica calamitas immineat. De rebus privatis non vaticinantur, ſive quod divinandi rationem ad res minores pertinere non putent, „ſive quod indignum credant circa minutiora hæc laborare. Quicunque vero ter divinando a vero aberravit, „huic nihil aliud pœnæ loco infligitur, quam quod ei deinceps ſilentium indicatur, neque cuiquam licet eum, „cui ſilentium imperatum fuerit, ad loquendum cogere. „Imo excludimus omnes illos, quos recenſent *Thomaſo Garzoni* nella Piazza univerſale di tutte le profeſſioni del momdo Diſc. 6. circa fin. *P. Zacchias* l. a. n. 6. *Hier. Jordan.* l. c. & *C. Reies* Campo Elyſ. qu. 27. n. 5. & 10. Quin & ipſum S. Benedictum, ordinis ſui fundatorem, de quo *Car. Stengelius* de propagatione Ord. S. Bened. cap. 1. pag. 2 ſeq. ait: „Augebatur indies magis „divina gratia Benedictus, ut etiam prophetico ſpiritu „ventura prædiceret; quod ubi accepit Totila, Gotho-

„rum

rum Rex, exploraturus, an re ita esset, Spatharium su-" um regio ornatu & comitatu præmittit, qui se Regem" simularet, quem ut ille vidit: Depone, inquit, fili, de-" pone, quod geris, nam tuum non est. Totilæ vero præ-" dixit adventum ejus in urbem, maris transmissionem &" post novem annos mortem. Aliquot mensibus ante-" quam e vita migraret, præmonuit discipulos, quo die" esset moriturus; ac sepulchrum, in quo suum corpus" condi vellet, sex diebus antequam eo inferretur, aperiri" jussit, sextoque die deferri voluit in Ecclesiam; ubi" sumta Eucharistia, sublatis in cœlum oculis orans inter" manus discipulorum efflavit animam &c. Excludimus porro præsagia tempestatum in animalibus, de quibus Virgil. lib. 1. Georg. *Gratarol. Nollius* lib. 10. Physic. cap. 9. *Helmontius* de Magic. Vulner. Curat. Excludimus peculiare illud *Jessenii* in Zoroastre de cane suo alacri mortem ægrorum præsagiente; item Dæmoniacos: Sic *Phil. Melanchth.* in Epist. teste *Balduino* in Cas. Conscient. lib. 3. cap. 3. & apud *Wolfium* Memorabil. Cent. 16. fol. 304. talem mulierem a se meminit in Saxonia visam, nescientem legere aut scribere, quæ græce tamen & latine loquebatur, ac sævum illud bellum Saxoniæ prædixit his verbis: ἔσαι ἀνάγκη ἐπὶ τῆς γῆς καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τέτῳ; ut taceam infinita alia. Ceu exempla quoque allegat & rem totam refutat *Augustin. Lercheimer* in Christlichen Bedencken von Zauberey pag. 31. seq. & 25. De alia fœmina Norimbergensi Excell. *Jo. Georg. Volcammer* in Ephem. Germ Cur. Ann. 3. obs. 265. Notabilis est historia CL. J. N. *Binningeri* Archiatri & Professoris Montbellgartens. Amici honoratiss. Cent. 2. obs. 27. quam totam huc transferre volui: „Petrus, Joannis Bened. Bourgeois nodulorum confectoris filius, annorum forte 17. puri linguarum idiomatis ignarus Gallicum tantum & male callebat. Huic prætumidum, externa & occulta causa, collum evasit, obortus omnium corporis functionum languor, & vi-

 „gente

„gente paroxyſmo, qui frequens eſſe ſolebat, is profun-
„de dormire imo ſtertere videbatur, vultu verſus parie-
„tem converſo. Accedentibus igitur utriusque ſexus ad
„inviſendum plurimis, mira & quandoque ſecretiſſima
„cogitata, dicta, factaque, quæ reticeri voluiſſent, ore
„clauſo nec manifeſte motis dentibus labiisve nunc Ger-
„manice nunc Gallice pure & articulate referebat, mire
„interdum & contra naturam exagitato patientis corpo-
„re. Hunc inclinante Decembre 1656 Venerandus paſtor
„D. Graſſer, loci antiſtes, & ego viſitare deliberamus.
„Ille ad parentum ægroti ſermones faciens in platea mo-
„ratur; ego interim domꝰ ſcalas conſcendo. Decumbentis
„nondum viſi conclave pededentim ingreſſus rhonchiſ-
„ſantem prona verſus parietem oppoſitum facie illum
„contemplor ſolus & vicinus; qui immotis apparenter
„vocis organis: Ha! inquit, j'entend Monſ. Graſſer! i. e.
„audio Dominum Graſſer! Paulo poſt ſubſequitur pa-
„ſtor. Adſtamus utrique ſilentes ſopito adoleſcenti, dor-
„ſum obvertenti, qui varia & abſurda effutiebat. Inter-
„rogo (nec enim de vero Energumeniſmo ullum am-
„plius dubium erat) quomodo vocaretur dæmon? juve-
„nem ita ſubiens movens atque vexans? Legio eramus,
„reſpondetur: egreſſi tamen jam ſunt plures. Cujus ma-
„leficio corpus illud invaſiſſent? Nominatur ſaga. At e-
„go: Lubens perſuaderes nobis omnia hic veneficis eſſe
„plena! Auditus in corpore rhonchiſſante dæmon ſub-
„ridere; Ha! ha! il y en a par Dieu tant (dicebat ille)
„que ſi vous les voyiez, elles reſſemblent ces trouppes de
„Chevaux de Bourguignons, que vous voyez paſſer par
„la ville &c. i. e. ha! ha! per Deum, tot ſunt, ſi vobis vi-
„dere contingeret gregem equorum Burgundicorum,
„quem urbem tranſire conſpicitis, oberrare putaretis.
„Ego autem: Noſti te mendacem eſſe, patrem mendacii;
„juras? imo vero cum tot ſagarum & præſtigiatorum
„hicce commorantium mentionem facias, contrarium
„omnino credendum eſt. Ille ad hæc: Je le ſcai par Dieu
„bien, quel je ſuis menteur, mais en cela je dis la verité,
i. e.

i. e. per Deum bene novi, me esse mendacem, ast hoc in "
puncto veritatem dico. Ego insuper: Tu falsis tuis alle- "
gatis in purgatorii errorem nos tranare æstuas, ut pro "
certo habeamus, animas defunctorum post mortem nec "
cœlum nec infernum petere, sed in terris hinc inde per- "
vagari: Operam perdis! quos nominas, pie cum vixe- "
rint, nunc etiam æterna felicitate gaudent. Ille e con- "
tra: Non fait par Dieu &c. i. e. nequaquam per Deum. "
Inde pastorem nomine compellat, & neglecti officii mo- "
net &c. inquiens inter alia plura: Ha, Monsieur, vous "
êtes de mes amis, i. e. Ha Domine, tu es unus ex meis a- "
micis! Pastor: Mihi tecum nihil est, Sathana, pars tua "
in gehenna est! Inde diu siluit Genius ille malus; nec "
etiam provocatus responsa amplius dare volebat. At e- "
go: Tu antehac tam facile prompteque ad interrogata "
respondebas omnia, nunc taces? Ille: Quel diable veux "
tu que je le dit? infit puisque, quand je dis la verité, tu "
ne me veux pas croire. i. e. Quem diabolum vis ut tibi "
dicam, siquidem etiamsi veritatem loquar, non tamen "
credere vis. Regero: Sed pessime Geni quid quaue au- "
thoritate pium hunc adolescentem temere angis: Est ut "
te illius corpore depellam: non enim in eo aliud pul- "
vinar habes præter feculentam & melancholicam caco- "
chymiam, qua mirum in modum gaudes, hanc ubi ex- "
purgavero sublato nido nolens volens exinde migra- "
re cogeris. Ille, ut ab initio dialogi sopito & rhonchis- "
sante ægro & labiis fere coalitis: Ha! ha! exclamat: "
C' est par Dieu bien à faire à toy! Va! il n'est pas tems, "
je sortirai par vers la minuit d' un tel jour (quem nomi- "
nabat) tu l' apprendras bien; qn'on y prenne garde! "
i. e. ha! ha! per deum, quasi vero tu hoc possis? Abi! "
non est tempus, egrediar circa meridiem noctis tali "
die (quem nominabat) bene videbis, modo attenda- "
tur. Præscripsi ergo Gillam paracelsi ex jusculo, dein "
purgantia ex antimonio & alia, sed frustra omnia. Tan- "
dem circa mediam noctem diei (hora, quam prædixe- "
rat dæmon) suffocatus juvenis mortalitatem exuit. "

Exclu-

Excludimus quoque somniantes vera, quale quid accidit Peucero, Peirescio & alteri apud *Hug. Grotium* Part 2. Epist 405 de quibus legatur Herm. Witsius in Miscellan. sacr cap. 6. Traj. ad Rhen impr. 4. 1692. E quo recenset Auctor der monatl. Unterredungen, 1692. pag. 132. seq. item MORITUROS quosdam. Plato enim in Apol. Socrat. ap. Neandr. lib. 1. Gnomolog. græc. lat. pag. 15. ait: *ἄνθρωποι χρησμῳδοῦσιν ὅταν μέλλωσιν ἀποθανεῖσθαι.* Solent homines divinare quando videlicet sunt prope mortem. conf. Neandri gloss. margin. ad h. l. TALIUM &c. Vaticinia leguntur apud *L. Domit. Bruson.* lib. 4. Memorabil. cap. 10. pag. 514. seq. *Hornmann.* de mirac. mortuor. Part. 4. *Reies* Camp. Elys. qu. 27. n. 7. Sic Adelhardus Monachus Cœnobii S. Aurelii Hirschaugiensis, vir pius, sed tandem cœcus factus Monasterii istius desolationem, quæ post annos ferme 80. subsecuta fuit, tam claro & aperto prædixit vaticinio, ut præsentem ante oculos ejus putares expositam. Triennio prius quam moreretur, obitus sui diem & horam quibusdam e fratribus prænunciavit, teste *Jo. Trithem.* in Chron. Hirsaug. ad A. C. 923. fol. 65. Memini memet ipsum optimi Principis Caroli Elect. Palat. lectulo ferali una cum cubiculi ministris adstantem paucis horis ante eius obitum ipsum fata Palatinatus sui 4. post annis misere a Gallis vastati mente præsaga deplorantem audivisse, his in ecstasi quadam inter alia effusis verbis: Vah! quantæ copiæ! quantæ turbæ? quanti motus! ô quam vastatum video Palatinatum. Videatur, qui ad hæc & talia respondet *P Zacchias* lib. 4 T. 1. qu. Med. Legal. 5. n. 39. quocum & nos facimus. In specie heic excludimus illos, qui ad certum eumque futurum diem aliquos citarunt in vallem Josaphat, sive ad extremum judicium. Quando enim injuriam passi circa vitæ exitum spiritu quasi prophetico quædam sunt vaticinati, quæ eventus comprobavit; ceu aliquot historiæ eorum prostant, qui adversarios citarunt ad vallem Josaphat. „ Sic Georgius Sophocardius Concionator

Scotus

Scotus jussu Cardinalis Santandreani anno 1548. d. 19." Jan. ad supplicium ductus, cum in pyro exstructa ad pa-" lum staret, & Cardinalis ex adversa fenestra tapetibus" ac stragulis sericis & pulvillis ornata spectaculo frue-" retur, jam ardente flamma, hortante Georgium praefe-" cto, ut bono animo esset, regerit: Haec quidem flam-" ma corpori molesta est, ceterum animum minime fran-" git, at qui nos ex editiore loco tam superbe despicit, in-" tra paucos dies, quam nunc arroganter sedet, tam i-" gnominiose jacebit. Nec vaticinio exitus defuit:" Nam multis vulneribus a conjuratis aliquot confossus" exanimis omnium oculis expositus est, in illa ipsa fene-" stra ex qua nuper Sophocardii supplicium laetus specta-" verat teste Thuano lib. 3. Eandem historiam fusius" exequitur *Gilb. Burnet.* Hist. Reform. Anglic. Tom. I. Vide multa alia exempla apud *Georg. Richter.* append. ad Regulas Histor. n. 290. pag. 474. & n. 299. pag. 508. Praecipue evolve Disp. pecul. Theol. Jo. Gerhardi Jenae 1660. & Disp. Jurid. *Adami Cortreji* ibid. 1665. 4. Nec ad hos nostros aegros relatos volumus istos, qui ex fracturis, vulneribus &c. jam pridem curati imminentem tempestatis mutationem praesentiunt: Sie fühlen, wenn ander Wetter will werden; false dicitur: Sie haben einen Calender am Leibe. Vid. Helmont. de Magic. vulner curat. Causam reddit *Rob. Boyle* in novis Experiment. Phys. Mechan. exper. 18. pag. 162. seq. qui evolvi meretur; Nec illum praefectum in Roßlau haemoptoicum, qui quotiescunque malum recurrere conabatur, triduo ante titillationem quandam praesentiebat a fovea nimirum cordis vulgo sic dicta incipientem, & sursum ad epiglottida quasi vergentem, quo triduo exacto subsequebatur sanguinis sputum, teste *H. Salmuth* obs. 43. Cent. 3. Sed forte aliquibus videri posset, famosum huc spectare illum Plinii locum, quando lib. 7. Hist. Nat. cap. 50. inquit: *Est aliquis morbus per sapientiam mori;* Certe P. de la Cerda definit, per sapientiam mori esse illam vaticinandi & futura praedicendi facultaculta-

cultatem, quam in ægris & moribundis sæpius fuisse observatam historiæ loquuntur, vid. *Tacitus* lib. 6. Annal. cap. 46. 48. *Huartus* in Scrutin. Ingenior. *Aretæus* lib. 2. acut. cap. 4. *Horstius* lib. 3. Epist. 7. Verum longe aliam esse Plinii l. c. mentem erudite peculiari disquisitione evicit præstantissimus Medicus Hispanus *Casp. Culdera de Heredia* in Tribunali Medico, tit. Feralia ad tumulum Anti-Thesci fol. 379. seqq. qui Stat. 8. pag. 392. b. definit: Mori per sapientiam esse per phrenitidem maniam aut furorem mori; & ob varia elegantis eruditionis adspersa sale miscellanea huc facientia totus perlegi omino meretur. Peculiarem item de illo Plinii Dissertat. Academ. Kiliæ anno 1703. edidit CL. „*W. H. Waldschmid*, ubi pag. 6. ita inter alia: Hujus „quidem rei causam altius hic indagare nolo. Sunt „nonnulli, qui animam habere vim quandam præsciendi „futura cum Platone Dial. de natura existimunt; alii „actui separationis animo a corpore hoc adscribunt *Ter-* „*tullianus* de Anima cap. 53. quod anima a corpore fe-„re soluta omnem locum & tempus comprehendat. *A-* „*grippa* de occult philos. Tom. I. opp. pag. 369. Quid-„quid tamen horum est, hanc de la Cerdæ sententiam „textui minus convenire, sed vi quadam huc esse coa-„ctam qui vis facile videt, cum de vaticiniis aut præsa-„giis nihil in toto hoc, in quo de fragilitate corporis hu-„mani & morbis ipsius agitur, capite reperiatur. Non „jam dicam, quod illi, qui post editum ejusmodi vatici-„nium moriuntur, non per sapientiam istam, sed vi mor-„bi intereant.

3. DE IGNOTIS VEL FUTURIS] Sic *Beniven.* de Abdit. Morbor. Caus. cap. 10. describit aliquem, qui per morbum vaticinabatur vera, & ignotum quemlibet nomine proprio citabat. Sed hoc non adeo mirandum; de præsentibus quam de futuris loqui.

4. FACILE EXEMPLIS] In morbis posse ægros vaticinari statuit *Plato* in Dial. de natura. Miram de quodam somnambulone historiam recenset *Henr. ab*

Heer

Heer obſerv. 2. pag. 49. & inter alia ſtupenda tandem addit, illum quinquagenarium ferme ceſſante ſomnambulatione ſomniis multis, ſed plerumque veracibus detentum fuiſſe; In iis ſoceri, uxoris, filii primogeniti, affinium plurium ſecutura funera tam clare vidit, quam cum poſtea exſequiis intereſſet. " Addit idem Heer: Etiamnum pleraque poſtridie ſibi eventura læta, triſtia, rixas, damna, lucrum, ſomnio ita prædocetur ut fere horam venturorum certo prædicaret domeſticis, quovis oneirocritien profitente certius. " Sic *Joh. Guiotus de Garamberio* in Triumpho divinæ naturæ artisque ſacræ pag. 6. ait: Virginem 12. annorum omnia, quæ illi debebant contingere ſive bona ſive mala ſagæ inſtar præſagiſſe. Conf. *Cardanus* de rer. variet. lib. 8. cap. 43. ubi inter alia ait, ſe hoc mirabili re ipſa pollere, ut per ſomnium vi imaginationis poſſit omnia fere ſibi obventura præſcire. In cauſa hoc interdum fieri docuit olim Aretæus lib. 2, Acut. cap. 4. idem ibid. cap. 3. in Syncope hoc quoque accidere ſcribit. In peſte impuberes vaticinatos eſſe habet Greg. Horſtius lib. 3. Epiſt. 7. Delirantes quandoque vaticinantur, teſte *Varandæo* lib. 2. de Prognoſ. Med. cap. 4. Mania correptos quandoque futura prædicere ait *P. Jo. Faber* Pallad. Spagyr. cap. 20. pag. 185. Phreneticum talem meminit *Rhaſis* & *Paul. Ægineta* lib. 5. cap. 14. Ita Guil. *Æler* Part. 3. de ægrotis & morbis in Evangel. Enarrat. 6. pag 399. inquit: Scribit ingenioſus Hiſpanus *Joannes Huarte* libellulo " de Ingenior. ad ſcientias examine, mulierem mechanicam phrenitide cum febre gravi correptam, quæ latine loquebatur & multa prædicebat quaſi vates. " Prædixit Chirurgo ſibi venam ſecanti intra menſem moriturum: ejusque uxorem proximo ſequenti matrimonio vicinum fabrum ducturam, quod vere ſucceſſiſſe teſtatur *Jo. Huarte.* Hæc autem vi morbi nullo dæmonum interventu acta ſunt. De Melancholicis " *Alex. Trallian.* lib. 1. cap. 17. pag. 99. ita: ἄλλοι δὲ δό-

ξας

ζας ἔχουσι καὶ προλέγειν τὰ μέλλοντα οἴονται, i. e. alii opinionibus adducti sunt & futura prædicere arbitrantur. De iisdem confirmat quoque *Rhasis* 1. Contin. & consentire videtur *Forestus* in Schol. ad lib. 10. obs. 19. De puella rustica in ecstasi vaticinante legatur *Andr. Mollerus* in Annal. Freibergens. pag. 156c. simulque addit, plura de hoc habere *Hier. Wellerum* in præf. ad pecul. tract. de eadem, & *Job. Fincelium* Parte 5 von Wunder-Zeichen. Aliud longe notabilius exemplum in Anna Fleischeria Freibergensi prolixius refert idem Mollerus pag. 423. usque 440. qui legi meretur. *Jul. Cæs. Vanninus* in Amphitheatro div. provid. Exercit. 6. pag. 38. ait: Haly Abenzagel ex siderum sibi cognita positione prædixit infantem natum statim vaticinaturum & ita evenit: nam ab ortu suo 24. horis post locutus est, mortem suam prænuntians & finem, ad quem natus erat, patri scil. ut imminentes familiæ calamitates denunciaret, ut refert idem Abenzagel cap. 7. 5. Part. *Conciliator* in explicat. 27. problem. & *Junctinus* in defens. bonor. Astrologor. fol. par. 20. ex impressione Francofordiana. Idem de *Abenzagele* refert. *Henr. Ranzovius* in Tract. de ver. prædict. Astrolog. inopinatorum eventuum pag. 71. qui addit: *Alcabitius* narrat, *Hali Abenzagelem* scripsisse, quod hujus pueri adscen-" dens fuerit 8 gradus libræ terminus Mercurii, & quod" habuerit in eo Jovem, Venerem, Martem & Mercurium." Cum sub Carolo IV. Imp. circa A. Chr. 1350. pestis sæva esset, inter alios puella 12. annorum rapiebatur, quæ ante mortem visionem habuit, ac post alia hæc dixit: Damit ihr sehet, daß ich wahr gesagt habe, so nehmet das zum Wahrzeichen: Diese folgende Nacht werde ich sterben, und du, meine liebe Mutter, den dritten Tag hernach; und streckte darnach seine Hand aus, und zeigete mit Fingern sieben unterschiedene Personen, und sagte, auff welchen Tag

und welche Woche sie sterben würden, und geschah also, wie es gesagt hatte. Crusius lib. 5. Part. 3. fol.251. apud Mich. Sachs. Käyser-Chronicke, Tom. 4. in vita Car. IV. cap. 8. fol. 169. e quo repetit *Jo. Gotfr. Lembach* in Continuat. der Historischen Todes-Post cap. 2. n. 12. pag. 53. A.C. 1630. prophezeyete eines Schneiders Sohn von zehen Jahren zu Schwerin, in Hebräischer und Lateinischer Sprache von des Königs aus Schweden Zug und künfftiger Ankunfft, und von der Restitution der Herzoge von Mecklenburg. Gottfried Schultz in der historischen Chronicke Part. 10. p. 292. LeFevre aus Roüan (welcher im Schlaffe allerhand Sprachen, so er sonst nie gekont, geredet (de quo conf. & Satyr. seq. X.) hat auff ein andermal einem Schiffs-Capitain, welcher sein Freund nicht war, im Schlaffe wahr gesagt, daß nemlich er das Caput Algol auffsteigend hätte, und eines gewaltsamen Todes sterben würde; wie dann derselbe auch in der That nach der Zeit in einem Gefechte ist erstochen worden. De *la Mothe le Vayer* in Epistolis miscell. Garsias Sanchez de Badajoz natus in urbe hujus nominis ad Anam fluv. Poëta suo tempore nulli secundus: is cum ex amore propinquæ cujusdam fœminæ insaniam contraxisset, divina & inimitabilia passim jacere consuevisse refertur; quare poëtis insaniam tribui, quæ in Garsia nostro tam ingeniosa fuit & alacris, non sine ratione usurpari cœptum est, ait Nic. Antonius Bibl. Hisp. nov. Tom. 1. fol. 396. a.

5. DIFFICILLIME RATIONIBUS] Id adeo verum est, ut inde Divinum audiat. Recte Salmasius in præf. eruditi operis de annis climacter. pag. a. 5. 1. ait: "Nihil est, in quo sibi indulgentius & licentius blandiantur" homines, etiam non stulti, quam in futuri divinatione.

„Inde eſt, quod tam avide omnem artem, quæ id vendi-„tat, conſectantur, eosque, qui tale quid pollicentur, o-„mni genere cupiunt demereri, & quaſi aliquid ſint aut „ſciant plus quam mortalem eſſe aut ſcire fas ſit, *Divinos* „ex eo appellant, quia pars eſt nimirum divinitatis id „præſcire, quod ſit eventurum, cum ad Deum proprie „pertineat facultas hæc, quam niſi ab eo donatam & in-„fuſam hominum nemo poſſidere poteſt.„ Et CL. Gaſ-„ſendus Phyſ. ſect. 2. lib. 6. cap. 1. fol. 715. a. ait: „Illud „quoque mente tenendum, prænotionem certam nec „fallentem rerum, quarum connexio neceſſaria cum „cauſis vel ſignis latet homines, haberi merito divinam; „quippe ſublata notitia hujuscemodi connexionis nihil „ſubſidii ſupereſt, unde provideamus, tales res futuras, „niſi Deus, cui omnia patent, id nobis revelaverit. „Heinc certe, qui ſolent futura vaticinari, dicuntur *Di-„vini*, & ipſa rerum prædictio. *Divinatio* vocari ſolet, „Corn. Martini in Compend. Theol. diſſ. 3. §.10. probat, „ejusmodi vaticinia in prorſus cætera rudibus ab ange-„lis (præcipue ſi blaſphema ſint) malis eſſe, pag. 74. „onſ. cit. ſup. Morhof Polyhiſt. cap. 12. pag. 114. *Levin. Lcemnius* lib. 2. de Occult. Nat. Mirac. cap. 2. inquit: Si-„mili ratione (ſcil. ac linguas quidam ægri peregrinas „proferunt (moribundi, quod in his excitetur ardens „animi vigor &c. vaticinari ſolent, quæque eventura „ſunt, certo prædicere, idque diſerte atque oratione „tam meditata, ut adſtantes admiratione afficiantur &c. „Hanc ſententiam (ait *Jo. de Mey* Comm. Phyſ. in S. „Script. pag. 170.) quoad moribundorum divinationem „jam ante merito rejecimus, quanquam enim moribun-„di mortis meditatione aliisque maxime eo tempore ſe-„riis & attentis cogitationibus atque animi elevationi-„bus quodammodo abrepti ſæpe non contemnenda, „ſed inſignia quædam ac ſolito diviniora dicta profe-„rant; proprie tamen dictam divinamque prophetiam „(qualem circa mortem fuiſſe in Iſaaco Jacobo & Moſe „ſacræ nobis enarrant literæ) adſcribendam iis eſſe non

puto

puto. Ridiculam alioquin quæstionem: utrum videli„ cet futura vaticinari per somnia sit peccatum, pertractat *Barthol. Sibylla* speculo peregrinar. quæstion. p.314 sqq. Sed ad rem! Rationes alii faciunt universales, alii particulares; ex gr. in morituros hoc *Tertullianus* lib. de Anima cap. 53. refert ad libertatem animæ corpus relinquentis, seque adserentis in divinitatem; illa ergo libertati suæ propior puriorem ipsius radium sentiat. Conf. Vallesii Phil. sacr. c. 30. apud C. *Reies* Camp. Elys. quæst. 27. n. 16. qui n. 19. hoc recte negat. Alii, ut Plato in Dial. de natura, & in Socratis Apolog. hoc divinandi munus in genere animæ tribuunt, ea enim habeat ex suis principiis vim quandam præsciendi futura. Hujusdemque sententiæ fuisse *Q. Herenn. Tullium*, *Jamblich. Porphyr. Macrob. Gregor. M. Gregor. Nyssen* imo *Aristotel. Ciceron.* &c. refert Reies quæst. cit 27. n. 4. Item *Marcell. Donat.* lib. 1. Hist mirab. cap. 1. conf quoque *Petr. Petitum* lib. 1. de Sibyll. cap. 8. Sed bene iterum negat *C. Reies* ibid. n. 11. & Herm. Witsius in Micell. Sacr. cap. 8. Indos sumto Cohobæ semine externari, mox cessante furore vaticinari, scribit *Petrus Cicca de Leon* in Tomis Rer. Indicar. Verum omnes voluntarios hujusmodi raptus non dubitarim certissimum esse indicium occulti cum geniis commercii aut fœderis, verba sunt *H. Jordani* de Divin. cap. 17. pag. 69. Qui bibunt ex urbis Hysiæ puteo in Bœotia, futura vaticinantur: *Plinius*. & alia plura apud *P. Zacchiam* l. sup. cit. n. 19. Credat Judæus Apella, non ego. *Artephius* & *Rogerius Baco* prophetiam tribuit astrorum influentiis, sed optime negat *H. Jordan.* l. c. pag. 57. & *Herm. Witsius* in Miscell. sacr. cap. 9. quemadmodum *Conciliatorem* & *Guainerium* idem sentientes recte ab omnibus fere rejici refert *C. Reies* quæst 27. n 30. *Guil. Ader.* l. sup. cit. pag. 338. ex *Massaria* tribuebat vi morbi; aliqui humori melancholico, sed male, vid. *Reies* qu. 27. n. 23. & *P. Zacchias* l. a. Nec oritur vaticinatio a vaporibus e terra exhalantibus, quod olim aliqui de oraculo del-

 phico

phico crediderunt, ceu recte refutat *Herm. Witſius* Miſcell. Sacr. cap. 9. ubi & morbis & humori melancholico talem efficaciam denegat, quamvis *Gerh. Meierus* Theologus CL. & amiciſſimus, qui in Paradoxo de Archangelis, Enthymemate Theoretico 1. §. 18. pag. 12. ait: Melancholico humore abundantes propterea ingenio magis valent, quod atræ bilis acrimonia ſpiritus contrahit, ut obſcura & difficilia perſpiciant accuratius. Hinc idem concludit, non adeo opus eſſe, ut energumenis tribuamus. Rectiſſime ergo ſentit laudatus *Zacchias* l. d. n. 3. & 40. nullo modo a natura proficiſci, & futurorum notitiam hominibus plane denegat *Polyd. Virgilius* lib. de Prodig. Imo ſi ægri vaticinantur (aliique) aut non vera divinatio dicenda eſt, ſed potius quædam illatio urgentis & acutæ indagationis, ex imaginationis optimo & perſpicaci diſcurſu proveniens; juxta *C. Reies* n. 29. aut eſt ab inſpiratione ſpiritus alicujus boni (uti ſanctarum Patrum & proborum hominum, vel mali, ceu ex *Greg. Horſtio, Euſeb. Nieremberg.* & *Mirandulan.* ſtatuit idem Reies n. 19. ſicque a mali genii conſortio deducunt *Fernelius* lib. 2. de abdit. cap. 15. *Alsharav. Serapio, Licetus, Valleſius* & plures alii Theologi, Jurisperiti atque Hiſtorici, teſte *Reies* ibid. n. 30. Hinc obſeſſi indicium eſt, ſi prædicet futura, teſte *Guil. Ader.* 1. a. *Binninger.* Cent. 5. obſ. 32. & *Gisb. Voëtio* de Energumen. pag. 1031. Conſentit *Felix Platerus* Praxeos Tr. 1. lib. 1. cap. 3. pag. 102. Imo proprie & ſtrictiſſime neque angeli teſte *Reies* n. 12. neque Diabolus hoc poſſunt, *idem* n. 15. niſi certo modo, de quo *P. Zacchias* lib. 4. Tit. 1. qu. 5. n. 41. (Erudite quoque de hac reſcripſit *Jo. Bapt. Sylvaticus* Inſt. Med. de iis qui morbum ſimulant, deprehenduntur cap. 17. per tot.) ſed ſoli Deo vera futurorum divinatio competit. *Zacchias* n. 23. & Reies n. 12. & 32. Hinc D. Petrus Epiſt. 2. cap. 1. 2. ait: ὀ γὰρ θελήματι ἀνθρώπȣ ἠνέχθη ποτὲ προφητεία, ἀλλ᾽ ὑπὸ πνεύματος ἁγίȣ φερόμενοι ἐλάλη-

ἐλάλησαν οἱ ἅγιοι Θεȣ ἄνθρωποι, i. e. vertente Theod. Beza: Non enim libidine hominis allata eſt olim prophetia, ſed acti a Spiritu ſancto locuti ſunt ſancti Dei homines.

SATYRA DECIMA.
DE
LINGVIS PEREGRINIS.

§. I.

ÆGros aliquando 1) *linguis peregrinis* locutos eſſe, illarum ſcilicet *alias* 2) *rudes*, 3) *ſtupendum eſt*.

NOTÆ IN SATYRAM X.

1. LINGUIS PEREGRINIS] Homines ſimplices & certarum linguarum rudes in morbis ita locutos eſſe, ex ſequentibus hinc inde collectis patet hiſtoriis. *Eraſmus* in Declam. pro laudibus Medicinæ refert: Se ipſo vidente celebrem Medicum facili remedio curaſſe Spoletanum quendam, qui novo maniæ genere ex vermibus correptus probe Teutonice loquebatur, ſanatus vero nec intelligere nec amplius loqui valebat. Ex eodem *Cardanus*, *Schenckius*, *Caſp. Reies*, atque *Binninger*. Cent. 5. obſ. 32. Mania correptos ſcientias & artes, quas non novere, quandoque docere, & idiomata linguarum varia, etſi ignota, loqui ait *P. J. Faber* Pallad. Spagyr. cap. 20. pag. 185. Ita Foreſtus in Scholio ad lib. X. obſ. 19. inquit: "At ego puerum quendam vidi, & nautæ filium 13. annorum, quem etiam cum Petro Friderico " Chirurgo Delfenſi curavi, cum in capite ictus eſſet, " dum pontem tranſiret, delirantem, & ſemper lingua " Germanica ſyllogiſmos optimos facientem, & curatus " poſtea eosdem componere neſciebat. *Ludov. Guyo* in " variis ſuis lectionibus narrat famulum Henrici IV. " ignarum licet, Græca in febri lingua locutum fuiſſe apud

Borell. Cent. 2. obſ. 54. Eandem ex Fernelio hiſtoriam recenſet *E. G, Happelius* Ralatt. curioſ. p. 3. pag. 19. qui tamen ephebum nobilem Pagen vocat. Pariter de ruſtico febriente aſſerit *Oetheus* in obſervatt. propriis, quod cantilenas Italica lingua, quam nunquam antea noverat, modulatus ſit. In Hoſpitio B. Virginis in Antoſana melancholicum vidit *Fontecha*, Luminar. 2. de Ebrietate (citante *Reies*) qui, ut retulerant ſocii, nedum prima Grammatices rudimenta guſtaverat, in quarundam tamen erraticarum febrium initio exactiſſime latine omnibus ſatisfaciebat, aliis temporibus nunquam. Imo jam olim Lev. Lemnius lib. 2. de Occult. Nat. Mirac. cap 2. referebat in æſtuoſis febribus ægrotos linguam, quam non ſunt edocti, modo diſerte, modo obſcure & confuſe loqui; & paulo inferius pag. 142. pergit: „Videmus nonnullos in æſtuoſis febribus, quæ fere æſtate „vigent, copioſos promtosque fuiſſe in diſſerendo, u„ſosque oratione culta atque elaborata, eoque idioma„te, quod morbo defuncti nullo modo exprimere po„tuerunt; quos ego pronunciavi non malo infeſtos ge„nio divexari, nec Dæmonii inſtinctu impulſuve illos „iſta per agere, ſed vi morbi humorumque ferocia, qua „tanquam face ſubdita hominis mens exardeſcit atque „inflammatur. Illos ſiquidem admotis capiti fomentis, „exhibitaque ſomnifica potione a morbo mentisque er„rore vindicavi, quo diſcuſſo omnium eorum, quæ ab „his dicta factaque erant, profunda cœpit oblivio, quo„rum nonnulla cum in memoriam illis revocarem, ſub„pudeſcere cœperunt; miratique ſunt, in tantum ſibi ex„cidiſſe mentem.„ Hominem vidiſſe ſe meminit *Jo. Bapt. van Helmont* in Dedic. ad Deum, non niſi Hiſpanico idiomate utentem, qui & Hiſpanus audiebat; is lethaliter vulneratus mentis inops multa, ſed Italice loquebatur, vixque intelligebat Hiſpanice compellatus. Idem ibid ait: „Vidi Germanum ægrotantem ſedentem vel „jacentem, prout ipſum collocarent, ſculptilis ad inſtar, „qui nunquam ad interrogata reponere compoſerat,

nec

nec intelligebat, quæ vel ejus uxor, vel natorum quis" alia quam propria Germanica lingua pronunciarenčta cum tamen intra domesticos parietes jugiter uteretur" Italia Lingua & Gallica; Quum imo paulo post ab hoc" Comate vigili liberatus vix persuadebatur, idem ut" crederet." Post *Jo. Fernelium* lib.2. de Abditis Rerum" causis cap. 16. refert *Carpentarius* (digress.3.in Alcinuo.) Episcopum græce & latine in morbo locutum fuisse, licet græcæ ignarus linguæ esset, ait *Borellus* Cent. 2. obs. 34. Italorum rustici quidam Lunatici plerumque latine ac græce loquuntur; hinc ἐνεργυμένων nomine satis commode insigniuntur tales epileptici, scribit *Hieron. Jordanus* de Divino cap. 26. Ita *Sirenius* lib. 9. d Fato ait, se nosse juvenculam illiteratissimam, quæ dum ægrotaret, per 15. dies lingua *H*etrusca belle admodum locutam, apud *C. Schottum* Phys. Cur. pag. 552. Mirandam historiam retulit doctissimus Vir, *Franc. de la Mothe le Vayer* Parisinus, Consil. status ordinar. & præceptor Ducis Andegavensis in opusculis suis, & testimonii confirmavit, Dn. *le Fevre* nobilem Gallum, civem Rothomagensem, cætera indoctum, nec aliud præter vernaculum callentem idioma, nihilominus in somno ad quæsita variarum linguarum iisdem respondisse, ex gr. Germanice, Ebraice, Græce, Arabice, Latine; imo aliquando Brasiliensem quendam adductum, ad cujus quæsita & eadem lingua respondit; expergefactum vero affirmasse, se ita male habere post illa interrogata, ac si omnia membra fustibus essent depexa, quare cubitum iturus januam cubiculi pessulo firmavit & sera. Ex Vagerio eandem repetit *B*orellus lib. cit. ut & Christ. Thomasius Hist. Sapient. & Stult. P. 2. mens. 4. 1693. pag. 1. seqq. usque ad pag. 52. Epicrisin quoque ejusdem vid. mens. 6 pag. 146. usque ad pag. 156. ex qua excerpta quædam dabimus sub nota 3. Borellus vero ibid. addit aliud exemplum his verbis: "Domina de Pile, Mansi Asilii" in Vasconia morbum passa est, perque totum ejus curriculum Hispaneptime locuta est, licet illius linguæ"

„ante & poftea ignara fuerit, & præterea exftafin tan-„tam paffa eft, ut pro mortua haberetur; cumque re-„mediis revocata fuiffet, adverfus adftantes indignata „non mediocriter fuit, quod a loco miro & delitiofo re-„vocata ab iis fuiffet: dixit autem inter multa, fe vidiffe „fenem, qui dixit ei, fratrem ejus in bello mortuum effe, „patremque in cubiculo remoto pfalmum certum lege-„re, cujus verba retulit, hæcque omnia vera fuerunt. „*Paul. Zacchias* lib. 4. T.I. qu.5. n.16. ait: „Mirum eft, quod *Cardanus* lib. 8. de variet. rerum cap. 43. narrat „de quodam, qui cum Italus effet, nec unquam in Ger-„mania fuiffet, ac ne per fomnium quidem Germani-„cam linguam calleret, tamen germaniffime loque-„batur, quod illi ob vermium copiam, quam in cor-„pore habebat, contigiffe vult. Conf. quoque *Zacu-„tus Lufitanus* lib. 3. Praxeos admir. obf. 122. Plura „exempla, cui libet, evolvat apud *Morhof.* Polyhift. „Literar. cap. 12. pag. 115. feq. & omnino apud Jonfton. „Thaumatogr. Claff. 10. cap. 7. art. 1. pag. 483. Con-fultiffimus Dominus *Joannes Berfandius* (rectius *Brandefius JCtus* & Syndicus Reipubl. Francofurten-fis) Tract. Venatio hominum & genius mundi cap. 40. pag. 399. feq. ait: „Quæ caufa eft, quod ægri „exoticis nonnunquam loquuntur linguis, quarum ru-„des ante omnino erant? Sirenius lib. 9. de fato ait: Se „noffe juvenculam illiteratiffimam, dum ægrotaret, per „dies 15. lingua Ebraica belle admodum locutam. Quæ „caufa, quod fomniantes nonnulli, quod civi Rothoma-„genfi contigit, omnibus linguis refponfa dent imo „Græce & Indice, ait Borellus lib. 2. cap. 54. Certe hic „mihi refponfa illorum non fatisfaciunt, qui hoc vel „craffis, atrocibus, melancholicis, ac violentis humoribus „vel vermium copia vel aliis, quas comminifcuntur, ra-„tionibus adfcribunt: Rectius enim hanc peregrinarum „linguarum in rudibus notitiam improvifam naturæ de-„rogaveris, adque divinum vel fanctum vel malignum „retuleris. Vide in Compendio eleganter hæc tractan-

tem

tem CL. & curiosum D Francum in Sat. Med. Cent 9." Sic & CL. Christ. Franc. Paullini in Observatt. Medico-Phys. Dec. 1. obs. 1. ad Eph. Germ. Cur. Dec. 2. An. 7. in App. pag. 112. refert de quodam Astihulfio, in miro morborum concursu quoque *illum locutum insolita*; & in Anal. hujus casus pag. 122 ad illa verba sic commentatur: De Jtalo verminoso perfecte Germanice loquente, quod tamen nunquam didicerat, vid. Cardan. lib. 8. de Var. rer. cap. 43. Conf. *Zacut. Lusit.* lib. 3. Prax. adm. obs. 222. & eruditam *Argi* nostri Dissertat. de Ling. peregrin. habitam Heidelb. 1675. puella 13. annorum variis symptomatibus & catalepseos specie laborans, tribus idiomatibus peregrinis, cumprimis Gallico, quod tunc non adeo perfecte callebat, sine hæsitatione loquebatur. Verme autem mirandæ formæ excluso, omnia cessarunt symptomata. Vid. Analecta ad Dec 1. Ephem. Germ. Cur. Ann. 4. pag. 303. Sic J. P. Wilhelmi Civis & Bibliopegus Heidelbergens. hominem quendam, seu ipse retulit, Hallensem Suevum cætera rudem novit, qui in delirio anno 1654. probe Catechismum perlegit, imo etiam post morbum retinuit, utut plane literarum ignarus antea fuerit. *Gotfried Schulze* in der Chronick P. 10. pag. 292. ait: A. C. 1630. prophezeiete eines Schneiders Sohn zu Schwerin in Hebräischer und Lateinischer Sprache von des Königs von Schweden Zug und künfftiger Ankunfft, und von der Restituirung der Hertzoge von Mecklenburg. *E. G. Happelius* in Relatt. Curios. P. 3. pag. 17. seq. hæc nobis exempla recitat: Ein gewisser Frantzösischer Scribent meldet von einer Bäurin, die in dem hitzigen Fieber drey Tage nach einander das schönste Frantzösisch geredet, und als sie genesen, hat sie nicht gewust, was sie gesagt oder gethan hatte. Niemand konte sich errinnern, daß sie iemahls diese Sprache geredet, vielweniger darinnen un-

tertwiesen wäre; die Erfahrung hat auch bezeuget, daß sie hernach nimmer also fertig in gemeldter Sprache geredet hat. Panacæus ein junger doch berühmter Medicus gedencket Phylarii eines Italieners zu Spoleto, der in seinem Fieber gut hochteutsch gesprochen, unerachtet er vorhin kein teutsch Wort reden noch verstehen können. Erasmus von Roterdam glossirt hierüber also: Welcher solte wohl, woferne er keine gründliche Wissenschafft von solcher Kranckheit hat, anders urtheilen, als daß solche Leute besessen wären? Gleichwol hat die Wissenschafft des gedachten Medici solchen Patienten wieder zurecht gebracht, da er hernach nichts mehr von der teutschen Sprache gewust. Fernelius schreibt von einem Sohne eines Frantzösischen Ritters, der von einer Quaal, die mit der fallenden Seuche grosse Gemeinschafft, hart geängstiget worden, er blieb in dieser Kranckheit bey seinem Verstande, aber bald hernach begunte er Griechisch und Latein zu reden, darinnen er doch sonst gantz unkundig war; ja er erzehlte viel hohe Dinge, darüber sich viel Leute verwunderten, worunter dieses das vornehmste, daß er alle verborgene Sachen der Umsteher, absonderlich aber der Aertzte, zu entdecken wuste. Ein anderer Bauer, der von der Lateinischen Sprache so viel wuste, als eine Kuh von der Music, machte in seiner rasenden Kranckheit gute Lateinische Verse, wie Forestus bezeuget. Simon Goulart Thes. Hist. hat einen Bauer gekannt, der in der Kranckheit seiner Raserey vor den Umbstehenden gar zierlich von seiner

Ster-

Seeligkeit gesprochen. Er hat ihnen seine Kinder und Haus-Frau auf den Fall, da es GOtt beliebte, ihn aus dieser Mühseligkeit abzufordern, mit einer solchen Wohlsprechenheit und Zierlichkeit der Sprache recommandiret, als Cicero immer in dem vollen Rathe perorirend hätte thun mögen. Alle anwesende verwunderten sich zum höchsten über diesen rasenden Redner, und fragten erwehnten Goulart, woher doch solche Wohlredenheit kommen möchte, in einem Menschen, der bey seinen gesunden Tagen nicht ein einiges Wort von gutem Verstande und Klange herfür zu bringen wüste, der ihnen aber zur Antwort gab, daß die Kunst wohl zu reden, eine sothane Wissenschafft sey, die aus einer gewissen Stuffe oder Grad der Hitze herfür käme, und daß der Patient durch Hülffe seiner Kranckheit eine solche hiezu erforderte Hitze überkommen hätte. Man hat an einem andern Ort eine Frau gesehen, welche in einem hitzigen Fieber gantzer 3. Wochen lang sehr gut Frantzösisch redete, in welcher Sprache sie vorhin gantz nicht erfahren gewesen, auch nachdem sie wieder genesen, nichts davon verstanden, geschweige, daß sie dieselbe solte geredt haben. Ich errinnere mich, daß ich vor etwa 12. Jahren auff Universitæten einen Studiosum aus Wißmar gekant, welcher, da er noch zu Hause in die Schule gegangen, mit einer Phrenesi belegt worden, und darinnen solche Gesetz-Predigten gethan daß sich alle Zuhörer, auch selbst die Geistlichkeit darüber verwundert haben. Hactenus Happ. Maxime autem omnium Melancholici huic malo obnoxii narrantur, teste *Reies* qu. 27. n. 9. (quamvis non videa

deatur consentire *Herm. Witsius* in Miscell. Sacr. cap. 9. nec forte male) Hinc *Forestus* lib. 9. obs. 19. in scholio inquit: Veteres, ut *Alexander* & *Rhases* scribunt, quosdam melancholicos futura prædixisse ferunt, quæ postea evenerunt, & alios ex humore melancholico illiteratos literatos evasisse; & ut recte disputarint & ad oblata responderint. Melancholica mulier illiterata latina congrue loquebatur, sanata minime poterat, ceu ex fideli Medico accepit *Conciliator* Comm. ad Aristot. S. 30. probl. I. e quo refert etiam *Jo. Bapt. Sylvaticus* Instit. Med. quomodo qui morbum simulantes deprehend. cap. 17. pag. 151. Habet quoque *Cæl. Rhodigin.* lib. 17. Lectt. ant. cap. I. Pomponatius lib. de Incantant. cap. 4. (citantibus *Reies* & Schotto) meminit melancholicæ fœminæ Mantuæ variis linguis loquentis a Medico Aelleboro purgatæ & furorem dein & linguæ peritiam amittentis. De alia Rustica Melancholica refert Forestus lib. 10. obs. 19. hæc: Quod dictu mirum est, cantiunculas latinas & hymnos aliquando cantabat, referente marito, quos nunquam didicerat, ita ut illam quasi possessam a dæmone putasses, nisi forte ex longiore auditu memoriæ impresserit. Sic Petræus in Nosolog. harmon. Diss. 3. θ. 23. ait: „Sæpe futura & mirabilia *furore uterino* correptæ, & „quidem in diversis linguis proferunt, ut a dæmone ob-„sessæ videantur, ob singularem veneni perniciem.„

2. ALIAS RUDES] Heic tamen exclusos volunt alii ἐνεργεμένες hoc est, a Diabolo obsessos, quos veteres δαιμονῶντας vel ab Hecate aut Heroibus infestatos vocabant, hi enim linguis, quas nunquam didicerunt, congrue locuti sunt, tam prosa quam versa, scribit *H. Jordanus* de divino cap. 22. pag. 86. & hinc illud non magnopere miratur *Lev. Lemnius* l. a. cum illi omnia calleant, rerumque omnium scientiam obtinent. Quod tamen limitatum volo. Alias recte statuerunt esse fraudes dæmonis μιϱιοτεχνίτε uti *Adam Tribbechovius* Exerc. 2. ad Baronii Annales sect. 3. &c. Sic *Lazarus Bonamicus*

ta-

talis puellæ Patavinæ meminit, quæ alias plane rudis tandem optime latina & græca loquebatur; quæ etiam quærenti optimum hunc esse *Virgilii* versum respondit:

Discite justitiam moniti & non temnere divos

citante Taubmanno Comm. ad Virgil. Æneid. VI. pag. 731. apud Dannhauer Scheid und Absag Brieff P. 1. qu. 3. pag. 40. Eandem historiam habet *Jo. Manlius* in Locis Phil. Melanchth. & alior. pag 40. ubi ita: „In Italia fuit quædam virgo a Diabolo obsessa, etsi ea ignora-" bat latine loqui, tamen interrogata a *Laz. Bonamico*" Prof. Bononiæ, quis esset optimus versus in Virgilio?" quod scivit Diabolus, & respondit per eam &c. Ante pau-" cos annos fuit similis mulier in Ducatu Luneburgensi" ignara alias Latinæ & Græcæ linguæ; tamen obsessa a" Diabolo perfecte latine & græce loquebatur.„ Sagam" Græca locutam asseverat *Boaistvæus* in Historiis suis prodigiosis teste *Borello* l. sup. cit. Plura exempla lege sis apud *Vellum*, *Hieronym.* in vita Hilarionis, *Philostrat.* in vita Apollonii, *Marchant.* in Horto Pastor. Tr. 3. sect. 4. pag. 897. *Beniven.* de Abditis cap. 8. *C. Schott.* Phys. Cur. lib. 4. cap. 9. pag. 542. ex variis *Wier.* lib. 4. de Præstig. dæmon. cap. 22. *Balduin.* Cas. Consc. lib. 3. cap. 3 art. 1. Dannhauer. Scheid- und Absag-Brief P. 1. qu. 8. *Hier. Jordan.* cap. 45. pag. 164. & *Bodin.* in Coll. MSC. heptaplomer. lib. 2. Exemplum vide quoque apud *Thom. Bartholin.* Act. Hafniens. Vol. 2. obs. 8. pag. 12. *Olaus Borrichius* in Hodœporico suo MSCto refert, Dn. Gotwaldum anno 1665. d. 5. Sept. Leidæ ipsi narrasse, visos sibi multos Dantisci obsessos, & in illis præcipue pharmacopœum, qui variis linguis expedite loquebatur, cum ante hoc malum nunquam audisset. Excludunt quoque alii infantes locutos: Nobili Curdt de Voigt, præfecto in Paltzkaw, duo nascuntur filii, qui, in-" vicem colloquentes, peregrino prorsus idiomate & in-" cognito utuntur, seque mutuo intelligunt, dum unus" alteri aliquid porrigit cum articulato quodam sermo-" ne, sed, ut dictum, omnibus adstantibus tam doctis"

quam

„quam indoctis plane ignoto. Datur parentibus hoc con„silium, ut eos separent, & alterum ad agnatos mittant: „Obtemperant illi; inde patriam linguam Germanicam „nimirum addiscunt. Sunt verba *H. Salmuth.* Cent. 3. obs. 56. In Lusitania infans in ulnis matris dixit: Ave Maria. *Reies* qu. 55. n. 7. qui ibid. plura exempla, item *Marianus Scotus* apud *Lud. Septal.* Comm. in probl. Aristot. & *H. Jordanus* cap. 28. pag. 107. Infantes biennio gestatos in utero in lucem editos statim & loqui & progredi potuisse, ex *Albert Kranzio* & *Aventino* Annal. Bojor. lib. 5. refert *Jo. Schenck,* Observatt lib. 4 fol. 581. & ad h. l. CL. *Strauß,* ex *Jo. Wolfii* Memorab. Tom. 1. fol. 659. Hoc tamen non inter naturalia sed prodigiosa (si vera modo sint) refert *C. Reies* qu. 55. n. 22. Rationes reddere prolixe allaborat *Aristot.* S. XI. probl. 27. quæ tamen mihi non placent. Nec huc spectabit exemplum Guionii apud Grotium. P. 2. Epist. 405. qui Græco dicto (illius linguæ rudis) monebatur in somnio excedere domo, quod & fecit, quippe illa seq. die concidit. Allegavimus jam historiam hanc ex *Morhofii* Polyhist Sat, præced. 9. conf. Auctor der monatl. Unterredungen, Ann. 1. mens 1. pag. 102. seq. & A. 1692. pag. 132. seq. ubi Deo per angelum illa nuncianti tribuitur. De Crœsi filio loquente vid. *Herodot.* lib. 1. & *Plin.* lib. 9. H. N. cap. 51. Pariter Calvariam locutam esse ex *Franc. Pico* & *Melch. Flavino* allegat (sed & limitat) *H. Jardanus* cap. 28. pag. 107. qui pag. seq. de capitibus humanis abscissis adhuc loquentibus & nos in Sat. 7. nota 18 Locutos quoque esse quibus linguæ exemtæ, habet *Reies* qu. 55. n. 12. uti Martyres ex *Procopio* recenset *Evagrius* lib. 4. Hist. Eccl. cap. 14. seq. apud *H. Jordan.* pag. 107. Imo Bruta quandoque, uti *Canem* apud *Plin.* lib 8. H. N. cap. 41. *Reies.* qu. 35. n. 6. Canem Simonis Magi apud Nicephor. lib. 2. cap. 27. De alio cane *Grillandus* Tract. de Sortilegis cap. 7. num. 23. *Bovem* fuisse locutum habent Plinius lib. 8. H. N. cap. 45. & Tacitus lib 1. Hist. quos laudavi in collegio meo Phys. Curios. lib. 5.

cap.

cap. 13. §.8. *Equum* Achillis locutum fuisse vid. ap. *Cæs. Longinum* in Trino Magico cap. 17. pag 48. qui ibid. perquirit, an magi possint bestiis loquendi facultatem tribuere, & an voces bestiarum intelligant. De *Corvo* in Austria loquente v. *Barth. Sibylla* in specul. peregrin. quæst. Decad. 3. cap. 5. qu. 1. pag. 510. item *Columbas* in sylva Dodonæa responsa atque oracula dedisse habet *Dion. Halicarn.* lib. 1, fol. 12. *Herodotus* in Euterpe *Jo. a Meyen* ad Virgil. pag. 44. *Peucer.* de orac. pag. 85. (Verum non inepte per mulieres explicant *Lamb. Hortensius* ad Lucan. lib. 3. pag 315. & *Bernartius* ad Statii Thebaid. lib. 3. v. 106. conf. quoque *Dickinson* in Delph. Phœnicisſ. cap. 9. pag. 72. seq.) Ex sacris locutus est *serpens* in paradiso. de quo *C. Chemnitius* in Genes. cap. 3. qu. 1. item *Asina* Bileami Num. XXII. 28. imo *parva Genesis* & *Josephus* statuunt, antiquitus omnia animalia loquendi facultatem habuisse, verum absurde, teste C. *Chemnit. l. a.* & *Bochart.* in Phaleg. cap. 57. Nec ad hunc censum pertinent aves verba sæpius repetita imitantes, uti psittaci (vid. *Cæl. Rhodigin.* lib. 3. c. 32. *C. Schott.* & *Nieremberg.* lib. 3. Hist. nat. cap. 12. *Camerarius* Hor. subsic. Cent 3. cap. 71. item *Corvi* (*Plinius* l. 10 cap. 43. *Simon Majolus* dier. Canicul. Coll. 6. pag. 183. *Scaliger.* Exerc. 237. *Meiger.* in Nucl. Hist lib. 2. cap. 8. fol. 186. & *Zeillerus* Epist. 25. Cent. 1.) item *Picæ.* (*Martial.* lib. 7. Ep. 86. & lib. 9. Ep. 59. *Petronius* in Satyr. pag. 13. *Persius* in Prolog.) *Statuæ* quoque Idolorum locutæ sunt, uti Fortunæ; *Valer. Max.* lib. 1. cap. 8. Caussam vide apud *Cæs. Longin.* l. sup. cit. pag. 48 & de unguento armar. pag 389. *Arbores* denique locutas (sed Satanæ astu) habet *Reies* qu. 55. n. 13. in specie Quercus Dodonæ in Chaonia teste *Probo* apud *Mancinell.* ad Virg. Georg. II. 16. & *Peucer.* de orac. pag. 89. Tandem *lapidem* locutum apud *Reies* l. c. n. 6. refert *Euseb. Nieremberg.* Verum hæc omnia vel saltim pleraque aut a Deo aut a diabolo, nulla ex naturæ viribus.

5. Vid.

3. *CL. Gerardus Meier* Disp. de *Thomæ Hobbesii* Angelographia Hamb. 1694. habita §. 5. ait: „Nonne „origo cognitionis Linguarum exoticarum, qua nonnunquam arreptitii pollent idiotæ, & illius sermonis, „quem de futuris quandoque instituunt, v. *Bodin*. Dæmonoman. lib. 3. cap. 6. pag. 349. *El. Henr. Henckel.* de „ord. & meth. cognosc. & cur. Energumen. pag 119. investiganda est philosopho?„ Idem in paradox. de Archangel. Enthym. Theor. 1. §. 18. pag. 13. ubi negat, ab energumenis posse duci argumentationem ad Angelos, ait: „Nec est, quare inexspectatam linguarum, quas nunquam didicerunt, notitiam vehementer urgeas: Nihil „impedit, quo minus gentilium principis imbutas eam „vel animæ cuidam separatæ linguarum peritissimæ, & „ad tempus corporibus obsessorum sese associanti, vel „absolutæ adsignet Dei potentiæ, quam minime supera „loquendi potentiam & actum in fuso novarum linguarum habitu collocupletare. Ecquid vero jubet blasphemiarum, quæ linguis eructari ignotis consueverunt, & peritiæ linguarum exoticarum unum agnoscere eundemque auctorem? Aut quid prohibet pari jure, quo Angelis solent, easdem animæ separatæ, quam „male agendi voluntas non deficit, imputasse? Tantæ „est molis Angelos per energumenorum operationes „commonstrasse. Rationes stupendi hujus varii varias comminiscuntur. Multi vi morbi hoc fieri tradunt: *Lev Zemnius* lib. 2. de occult. nat. mirac. cap. 2. ita: Sunt humores tam violenti atq; atroces, uti vel inflammati sint „vel corrupti, ut eorum fuligo in cerebrum delata, quod „in meracissimo quoque vino affluenter hausto observamus, peregrinam linguam extorqueat. Quod si a malis „Geniis proficisceretur, non consilescerent morbi purgantibus medicamentis, nec iis, quæ somnum conciliant, discuterentur. His enim & plerisque aliis, quibus „abunde instructa est res medica, rite adhibitis restitui „illos videmus, atque ad consuetum loquendi usum „mentemque saniorem reduci. Cum itaque ferventissima

ſima ſit humorum ebullitio, vehemens quoque ſit ſpiri-" tuum agitatio, mentisque humanæ concitatiſſimus mo-" tus & concuſſio, quæ voces quasdam inauditas, lin-" guamque prius incognitam extundit, non ſecus quam" ex contritu ac colliſione ſilicis emicantes ignitasque" ſunt illas elici videmus. Eſt autem hoc menti humanæ" inſitum, ut appoſita aptaque ſit ad percipiendam rerum" cognitionem, ipſaque imbuta eſt artibus ante illarum" uſum. Sicut non ſit abſimile vero illud Platonis:" Noſtrum ſcire nihil aliud eſſe, quam reminiſci. Mens" ſiquidem hominis omnium rerum ſcientiam ac notio-" nem in ſe ipſa complectitur, ſed mole corporis denſis-" que humoribus oppreſſa non facile eluceſcit, eoque ut" ignis cineribus obductus exſuſcitari foverique poſtu-" lat, quo ſe proferant ingenii nobis igniculi, naturæque" lumen reſplendeat. Si quando igitur divina hæc poti-" orque hominis pars anima concutitur morbisque exa-" gitatur, ea profert, quæ in intimo receſſu latitabant, in-" ſitasque vires palam exſerit.,, Imo ſicut Tarantati" ignariſſimi artificioſe ſaltant utut nunquam didicerint vid. *Mouffet.* lib. 2. de inſect. cap. 12. & *Aldiovand.* lib. 5. de inſectis cap. 12.) Sicuti maniaci alias ſatis debiles ſæpius ſtupendum robur exercent: (*Braſſavol.* Comm. ad lib. 5. Aphor. 65.) ſicuti noctambuli loca præcipitia noctu ſine metu adeunt, interdiu nunquam (vid, *Jac. Horſtii* Tract. pecul. & *Tob. Tandler*, Diſſ. Phyſ. Med. de noctiſurgio) ſicuti ebrii dolores minus ſentiunt, (hinc Germanorum proverbium; Sie fallen auff den Wein,) fiuntque generoſiores ſolito) ſic *Fontecha*, Lumin. 2. cap. de Ebrietate ait: Grammaticum ſe vidiſſe, qui ebrietate correptus poëticam mire exercebat, cum tamen alias ſobrius nil tale feciſſet; videlicet:

Fœcundi calices quem non fecere diſertum)

Ita & heic in morbo majorem credunt adquiri notitiam, & quidem linguarum peregrinarum. Verum ſicuti fatemur per chariſmata SS. Apoſtolos easdem in feſto Pentecoſtes eſſe locutos; ac a Deo immiſſas illas in con-

 fuſio-

fusione Babylonica atque Bileami asina; ita plane naturæ hoc derogamus, posse nimirum unquam fieri, ut quam quisque non didicerit, loquatur linguam. Vide mecum facientem prolixè *C. Reies* qu. 55. & Lemnium refutantem fuse C. Schottum Phys. Cur. lib. 4. cap. 3. & cap. 9. pag. 542. & cap. 12. pag. 552. seq. Hinc recte Jo. de Mey Comm. Physic, in SS. pag. 169. inquit: „ Affirmat *L. Lemnius* lib. 2. cap. 2. de occult. nat. mirac. Melancholicos, Maniacos, Phreneticos, quique ex aliqua „causa furore correpti sunt, nonnunquam linguam aliam „personare, quam non didicerunt, neque tamen esse Dæmoniacos. Imo, ut ex verbis ejus manifeste patet, non „hoc asserit de fortuita quadam confusa atque incognita „quorundam verborum pronunciatione, quam in ebriis ac mente captis contingere facile posse non dubito: „verum etiam de distincta & cum judicio prolata oratione. Ipsa enim &c. (vid. sup. auctoris verba) Verum „id ego totum falsum esse puto, quia vires naturæ excedere credo, ea proferre cum ratione, quæ ante sensibus „non percepta, aut nunquam memoriæ fuere mandata: „Deinde, quia hoc modo miraculum illud, quod Lucas „de XII. Apostolis Act. II. describit, illudi plane posset, „imo dicendum erit, non sine ratione a quibusdam illis „objectum fuisse, quod essent pleni vino dulci; quo excitati scilicet (ut vult noster Lemnius) & proferrent, quæ „alioqui non possent. „ Sic quoque D. *Rosinus Lentilius* apud *Mich. Bernh. Valentini* in pandectis Medico-Legalibus casu 6. Part. 1. sect. 1. pag. 26. ait: Præterea cum „toto die videamus, Melancholicos quosdam, Phreneticos, catalepticos (*NB.* de his equidem valde dubito) & „ex febri maligna decumbentes nonnunquam scitissima „imo longe sapientiora, quam sani solent, proferre, „rythmice loqui, alienis, quas nunquam didicerunt, linguis loqui, vaticinari &c. nunquid eos propterea non „delirare censebimus, cum sciamus eos talia si sani mansissent, non fuisse locuturos? non enim talia causis supernaturalibus, aut obsessioni Dæmoniacæ statim, imo

ceteris

ceteris paribus rarissime forte accepta ferenda. Mens" enim, quæ auræ divinæ particula, in se scientiarum" quarumlibet ac omnigenæ sapientiæ capax haut raro" corpori tardo infunditur, sic ut corporis sui, cui est" incarcerata, brutis & sensitivis appetitibus adeo immer-" gatur, ut altioribus & profundioribus meditationibus" vacare non possit; per ejusmodi morbos autem abstra-" cta quasi & sibi relicta pro augusta sua indole in illustres" speculationes liberius fertur, unde talia tunc proferun-" tur, qualia nunquam sani proferre possent Adeoq; non" sequitur: hic æger prudenter satis agit aut loquitur," ergo non delirat." Happelius l. sup. cit. P. 3. pag. 19. post exempla allegata addit: Verständige Leute urtheilen gantz anderst von diesem und dergleichen Exempeln; nemlich dergleichen seltsame Wirckungen entspringen aus den Humeuren, welche so kräfftig sind, daß so bald sie angestecket, entzündet oder verdorben, der Rauch davon in dem Gehirn eingesperret wird, und verursachet, daß man eine fremde Sprache redet, wie an etlichen trunckenen Leuten zu sehen. Geschähe solches durch den bösen Geist, könte man sothane Patienten mit blossen Medicamenten nicht zurechte bringen, allermassen dannoch durch Purgantzen und andere Schlaffmachende Dinge zu geschehen pfleget. Gleichwie aber zuweilen die Humores wunderlich sieden also werden auch die Geister seltsamer Weise gerühret, und der Verstand perturbiret, welche Concussion und Erschütterung sich durch einige Worte äussert, dergleichen man an solchen Leuten nicht gewohnt ist. Vid. *Lud. Guyon* Var. Lect. lib. 4. cap. 14. Christ. Thomasius in Epicrisi (sup. cit. nota 2.) ex Dn. de la Mothe le Vayer Epistolis miscell. ita de Nobilis le Feure historia

 ratio-

ratiocinatur: Der berühmte Spanische Medicus Huarte in seinem Examine ingeniorum behauptet, daß man Leute gefunden habe eines so temperirten Gehirns, daß sie Lateinisch geredet haben, ohne daß sie dasselbige iemals gelernet hätten, und er giebt für, daß krafft solches Temperaments auch etliche Kinder, die nur unlängst aus Mutterleibe gekommen, geredet haben, wie solches Aristoteles probl. 27. sect. 11. referirt; aber diese Krafft der Natur kan man nimmer augenscheinlicher erkennen, als wann unsere Seele beynahe von der Materie, die ihr diese Erbflecken angestrichen hat, ihre Wirckung verrichtet, ohne Hülffleistung der Sünden, wie da geschiehet, wenn sie in Ohnmacht fällt, oder wenn die Einbildung in einem ungewöhnlichen Schlaff frey bleibet, und ihre Wirckung verrichtet, welches man vor miraculös hält, rc. Die hitzigen Fieber machen den Leuten, so damit besessen sind, unbekante Sprachen schwätzen. Pomponatius lehret uns, daß eines Schuhflickers Frau zu Mantua sey von einem Medico in einer melancholischen Kranckheit curiret worden, die sie unterschiedene fremde Sprachen sprechen machte. Einer, der des Petri Messiæ verschiedene Lectiones viel durchgeblättert gehabt, bekräfftiget das Exempel von einer Frauen aus Limosine, welche das hitzige Fieber hatte drey Tage lang frantzösisch redend gemacht, obschon ihr dieselbige Sprache unbekant war. Er sagt auch, daß der berühmte Fernelius geschrieben habe, daß er einen Edelknaben Königs Henrici des II. gesehen, der nicht lesen oder schreiben konte. so

gar,

gar unwissend war er, und gleichwol in einer Tobsucht, damit er geqvälet wurde, gut griechisch reden konte. Derselbige Fernelius hat zwar in dem 16. Cap. seines 2. Buchs de abditis rerum causis von einem besessenen Edelmann Meldung gethan, dem der Teufel den Gebrauch der Griechischen Sprache gegeben hat; aber das thut nichts zu unserer Sache, und ich glaube nicht, daß man in einigen seiner Tractaten das von der Frauen, davon vorhin gemeldet ist, gelesen habe. Lasst uns vielmehr wiederholen, daß die eintzige Verwirrung des Verstandes bißweilen habe lauter Lateinisch sprechen gelernet, die ihr Lebelang nicht studiret hatten, wenn wir dem Huarto, so wir vorher eingeführt hatten, glauben wollen. Erasmus will auch, daß ein Mann (wie in seinem Panegyrico de Medicina zu sehen) aus der Stadt Spoleto unsinnig worden, und in seiner Raserey gut teutsch, welches er zuvor nicht gelernet, geredet habe, mit diesem Umstande, daß, so bald er wieder curiret worden, er kein teutsch mehr verstanden habe. Nec esse potest ab humore Melancholico, uti bene refutat *Jo. Bapt. Sylvaticus* de morbum simulant. cap. 17. pag. 170. seq. Notatu digna sunt verba CLmi Philosophi Cornelii Martini Compend. Theolog. diss.3. §.10. pag. 74. seq. qui ita: „Efficior est eorum argumentatio, qui a mirabili-" bus quibusdam effectibus vim omnem humanam exce-" dentibus & in hominibus tamen deprehendi non raro" solet, existentiam angelorum saltim malorum probant." Ex gr. quando homines arreptitii, etiam idiotæ, variis" linguis, quas nunquam didicere, loquuntur, iisque fu-" tura prænunciant, mentiuntur, & in Deum ipsum bla-" sphemias spargunt: quando item velocissimo corporis

„motu, robore extraordinario, voracitate prorſus ſtu-
„penda ſunt præditi, aut alios denique exercent actus,
„quos mirari potius mortales cæteri quam imitari poſ-
„ſunt. Etenim homo rudis, ut de priori prius dicamus,
„& illiteratus variis linguis loqui aut futura prædicere
„nequit, nec Deo tamen attribui poſſunt hæc eadem de
„quibus diximus, quia Deus nec mentitur, nec blaſphe-
„mias loquitur; ergo omnino ad intelligentem ali-
„quam virtutem a Deo hominequo diſtinctam videtur
„recurrendum.„ Et §. 11. pag. 75. pergit: Nec eſt eo-
„rum in hoc negotio ridicula, ut molliſſime dicam ad-
„mittenda exceptio, qui a Melancholica & vitiata com-
„plexione ejusmodi effectus prodire autumant; con-
„tra quos recte diſputat Fernelius lib. 2. de abditis re-
„rum cauſis cap. 16. cum ne quidem explicari aut perci-
„pi a quoquam poſſit, qua ratione Melancholia (optan-
„da quidem illa, & vehementer a nobis omnibus deſide-
„randa) peregrinorum idiomatum peritos reddat. Sa-
„ne per febrem humores exſiccantem forte melius quis
„expeditiusque eloquatur, quæ ante didicit, quam po-
„tuiſſet ſanus; ſed per eandem vel bilem atram aut
„quemcunque humorem alium incogniti alicujus idio-
„matis promptum ſtabilemque durante morbo uſum
„conferre alicui poſſe, credat Judæus Apella. Meum
„certe hic ruſticum eſt ingenium, neque tantarum adeo
„ſubtilitatum capax. Idem ibid. §. 12. pergit: Quin
„imo ſi arreptitii ejusmodi homines corpora aliqua
„qualitate morboſa ad loqendum peregrino idiomate
„vel maxime excitarentur, non aliter certe hoc fieret,
„quam interventu motus organorum ad efformandam
„vocem articulatam a natura ipſa factorum. At quid
„tunc dicendum de iis, qui non modo immota lingua,
„ſed ore etiam prorſus clauſo peregrinis ſermocinan-
„tur linguis, quos ideo ventriloquos appellatos Galenus
„in expoſitione vocum Hippocratis, verbo ἐγγαστρί-
„μυθοι docet. Ergo his quidem reſponſionibus ar-
gumen-

gumentum propositum non enervatur: Enervari" autem posset ab homine obstinato, si dicat, animam" quandam separatam, quæ linguarum variarum peritiam adhuc in corpore delitescens habuerit, effectus ejusmodi causam esse: neque obstabit, quod *Peirerius* cap. 2. libri de Magia, cum nonnullis aliis contendit, animas damnatas nunquam in hæc superiora redire. Illud enim ipsum probari ex lumine rationis itidem non potest; multo minus cum Medicis quibusdam ad reminiscentiam Platonicam jam toties a viris doctissimis refutatam hoc loco est recurrendum." Hactenus *C. Martini.* Imo & exempla allegata partim valde dubia sunt, partim ex alieno auditu, partim ex ignorantia adstantium, partim ex aliis erroribus. Conf. quoque P. *Zacchiam* lib. 4. Tit. 1. qu. 5. n. 16. imo una vel altera vox forte fortuito prorumpens posset admitti, neutiquam vero concinna oratio. Etsi forte hoc fiat, a Diabolo fieri statuunt *Psellus, Hercules Saxonia* lib. 1. cap. 17. fol. 98. *Sylvaticus* l. all. *Platerus* Prax. Fr. 1. lib. 1. cap. 3. pag. 102. *Jo. Ludov. Schiappcritius* Disp. de Mania pag. 5, Imo hanc esse communem tam Theologorum quam Medicorum opinionem ex *Petr. Garc.* apud *Fontecham* refert *C. Reies* qu. 27. n. 37. Et signum a Diabolo obsessi explicant *Balduinus* Cas. Consc. L. 3. cap. 3. *Aderus* Part. 3. enarrat. 6. pag. 541. & pag. 335. ex *Massaria Binninger.* Cent. 5. obs. 32. *Gisb. Voëtius* de Energum. pag. 1031. *Thyræus* lib. de Dæmon. cap. 17. ex *Alph. Tostato* in Matthæum cap. 8. qu. 114, &c. Exemplo esse potest miles apud *Thom. Bartholin.* Vol. 2 Act. Hafn. obs. 8. pag. 11. imo horrendum sed memorabile est exemplum, quod ex M. Tobiæ Seileri Dæmonomania Witteb. 1605. edita refert M. *Christoph. Ebinger* in Dæmonologia, oder etwas neues vom Teufel, Aug. Vindel. 1681. in 8. art. 6. seq. de duodecenni virgine Leobergæ in Silesia a Dæmone obsessa. vid. pluribus liber ipse. Certum est, inquit, Primerosius de Error. vulg. lib. 2. cap. 25. pag. 195. Peregrina lingua, quam quis nunquam didicerit, loqui, aut

futura prædicere, neminem posse, sine ope aut divina, ut Apostoli & Prophetæ, aut Dæmonum ut reliqui. Conf. eundem pag. seq. 192. Magis tamen placet sententia B. *Dannhaueri* im Scheid- und Absag-Brief, Part. I. qu. 8. pag. 134. dicentis: Wann ein Mensch in fremder, unerlernter, ungeübter Sprache Lästerung, Zoten und andere unheilige Wort aussprâche, so lassen wir es gelten, daß es freylich von gemeldten Menschen eigenthûtlicher Weise nicht geschehen könne, sondern es stecke ein anderer Redner hinter der Decke, der die Zunge mißhandelt, daß er aber inwendig im Menschen wohne, ist noch nicht erwiesen.

SATYRA UNDECIMA.

DE AURIBUS HUMANIS MOBILIBUS.

§. I.

DIctatoris ad instar summi Magnus *Stagirites* scripserat lib. I. H. A. cap. II. *ἀκίνητον δὲ τὸ οὖς ἄνθρωπος ἔχει μόνος τῶν ἐχόντων τοῦτο τὸ μόριον*, h. e. interprete *Theodoro Gaza*: *Aures homini tantum immobiles.* Et ne quisquam de rei veritate dubitet, statim paulo post idemmet adstruit, inquiens: *ἀλλὰ μόνον ἄνθρωπος οὖς οὐ κινεῖ. —— τὰ δ' ἄλλα κινεῖ πάντα*, i. e. *Verum homo unus aurem non movet, —— Cetera suas auriculas omnia movent.* Hæc eadem latine reddidit doctissimus *Plinius* (male enim eum sæpi-

ſæpius inique naſutuli vellicant, quippe qui nunquam ſcripta ejus inſpexerunt) lib. 11. cap. 37. dicens: *Aures homini tantum immobiles.* Hinc noviter etiam *Leonh. Coqueus in nott. ad D. Auguſtin. de Civ. Dei* lib. 14. cap. 24. allegat *Caſaubonum* ad *Athenæi* lib. 10. ita commentantem: *Iſtud* (nempe movere aures) *vero plane communi hominum naturæ contrarium eſt, quibus ἡ πολυποίκιλ⊙ τȣ̃ Θεȣ̃ σοφία aures dedit moveri ſua ſponte neſcias.* Et jam olim *τὸ πρέπον* obſervaſſe ingenioſiſſimum Poetarum *Ovidium* credendum eſt, quando Midæ aures non humanas eſſe ſcribit, quia mobiles. Merentur elegantiſſimi verſus ex Metam. 11. 4. 29. ſeqq. apponi:

—— —— —— Nec Delius aures
Humanam ſtolidas patitur retinere figuram;
Sed trahit in ſpatium, villiſque albentibus implet,
Inſtabileſque illas facit, & dat poſſe moveri:
Cetera ſunt hominis: partem damnatur in unam
Induiturque aures lente gradientis aſelli.

§. 2. Et ne deſint rationum momenta, Compilator quidam *problematum Ariſtotelis* (ſi Dîs placet, nec enim in ipſa *ſectione problematum* 32. quæ de auribus agit, quidquam inveni, nec alibi,) *Edit. Amſtelod,* 1650. *p. m.* 27. ita inquit: *Quæritur quare omne animal movet aures, præter hominem? Reſpondetur per Ariſtotelem, quod quidam muſculus eſt circa mandibulam in homine, qui probibet motum in auribus. Sed animalia illo carent, ergo aures ſuas movent.* Conf. Caſp. *Bauchinus* Inſtitt.

Anatom. pag. 185. Thom. *Williſius* de Anim. brut. P. 1 cap. 14. pag. 178. ait: Auriculæ in beſtiis pleriſque ſunt mobiles, nempe ut ad ſtrepitum quemvis quaqua verſum convertantur & de ſono alias incerto nuncium certiorem captent; quin etiam probabile eſt, quod auriculæ humanæ a natura mobiles exiſtunt, quia ſcilicet muſculos appenſos habent; verum quod diuturno faſcium uſu, quibus infantum capita colligari ſolent, hæc facultas iis adimitur.

§. 3. Ejuſdem fermeſubtilitatis eſt ratio *Georgii Vallæ Placentini l. de phyſic. quæſt. lit. C. 7. b.* ſcribentis: *Quid eſt, quod homo non micet auribus? Quoniam motabiles partes nactus non eſt, ut extra corpulentam nervoſamque materiam habeat, unde fit motus; ob hoc prorſus movere micareque non poteſt.*

§. 4. Aliter Ariſtotelem interpretatur *Lud. Vives ad D. Auguſtini XIV. de C. D. 24.* quando dicit: Illud intelligendum eſſe, ſuapte ſponte non agitari, ut in canibus, equis & aſinis videmus.

§. 5. *Volcherus Coiterus de auditus inſtrumento c. 3. in fin. f. m. 91. Animadvertendum etiam, quod in hominibus parum vel nihil moveantur, ratio eſt, quod etiam ſi mobiles verſatileſque eſſent, cum parvæ ſunt, parum vel nihil nos juviſſent.* Conf. omnino *CL. Schelhammer. de auditu P. I. c. 1. §. 7. pag. 14. ſeqq.*

§. 6. Aliam rationem comminiſcitur *B. Keckermannus Syſt. phyſ. l. 3. c. 21. p. m. 377.* inquiens: *Soli homini natura dedit aures immobiles, quia oportebat eum non tantum ſonos ac voces in-*

arti-

articulatas percipere, sed etiam inprimis sermonem, literis ac syllabis suis formatum, ad quam literarum ac syllabarum in auribus expressionem opus erat quiete, firmitudine & constantia, atque adeo accuratissima quadam hujus sensus intentione. Rectius *Thom. Willis* de anima brutor. P. 1. cap. 14. pag. 178. ait: Auriculæ in bestiis plerisque sunt mobiles, nempe ut ad strepitum quemvis quaqua versum convertantur.

§. 7. Sed quid respondebitur ad contrarium, cujus quam plurima prostant exempla (utut *Lindenius med. physiol. c. 11. §. 7. f. m. 521.* dicat: *Certe rari sunt, qui auriculas manifesto movent*) ceu ex fide auctorum aliquot jam allegabo. *Quin mobilitati* (sunt verba *Lindenii l. a.*) *in quibusdam adtestatur proverbium nostras*: Ick mach myn Ohren schudden, dat se klappen. *Usurpant qui fiducia conscientiæ & omni culpa libere dicunt in munerum aucupes & habentes venalia cuncta, inque alios quovis astu Reip. aut privatæ cujuspiam obnoxios.* Sicuti vero hoc videtur esse signum bonæ conscientiæ; ita in contrarium aures demittere est confusionis & pudoris. Sic *Horat.* Sat. 4. lib, 9. 20.

Demitto auriculas ut iniquæ mentis asellus,
Cum gravius dorso subiit onus - -

conf. omnino ad h. l. *Torrent.* pag. 497. seq. & *Theod. Marcil.* f. 96. a. qui plura habent huc facientia.

§. 8. Antea autem, quam exempla in theatrum adducam auctoritate (postea experientia & ratione) utendum est. Instar omnium sit mihi *B. Augustinus l. XIV. de C. D. c. 24.* loquens: *Sunt enim*

qui

qui & aures moveant, vel singulas, vel ambas simul. Quem locum etiam allegat *Cæl. Rhodiginus* ex eodem *l. 20. L. A. c. 16. Marcelus Donatus l. 6. Hist. med. mirab. c. 2. & Zwingerus Theatr. vit. hum. vol. 2. l. 5. f. m. 385. Theod. Marcilius* ad Horat. d. l. ait: Hoc figurate dictum quidem a sermocinatore nostro & Galeno, sed & vera interdum motio auricularum. Etenim ut ait D. Augustinus c. 34. lib. 4. (non convenit cum nostris allegatis) de Civit. Dei. Sunt qui & aures moveant, vel singulas vel ambas simul. Sed jam ad exempla.

§. 9. (Exemplum I.) Wolffgang. Ostermeyer vulgo Cappelmeyer Theol. D. Lutheri Præceptor A. C. 1531. obiit, cui canenti aures movebantur miraculo quodam. Ni fallor legitur ap. *Joh. Wolffium Cent. rer. memor.*

§. 10. II. *Muretum ipsummet miraculoso plane modo aures suas asinorum instar pro lubitu movere potuisse certum est*, sunt verba *Sauberti de sacrif. veter. c. 19. pag. m. 463.* Conf. omnino *C. Hofmannum com. ad Galeni V. P. XVI. num. 110.*

§. 11. III. Tales aures etiam vidit Anatomicorum, qui unquam fuerunt, princeps, (ita Vesalium honorat *Primerosius l. 4. de error. vulg. c. 24.*) *de hum. corp. fabr. l. 2. c. 13. p. m. 98.* Patavii in lepidi ingenii jurium Doctore non minus egregie erudito, quam jucunde faceto, Claudio Symionio Forojuliensi. Ex eodem repetit *Cardanus de var. rer. l. 8. c. 40.* ap. *Jo. Schenck. l. 1. obs. f. m.*

m.166. & ex *Vesalio L. Coqueus Comm. ad Augustin. de C. D. l.14. c. 24. f. 151.* ut & *Zwingerus Theat. vit. hum. volum. 2. l.5. f. 385.*

§. 12. IV. Similes idem Magnus *Vesalius l. a.* addit; se observasse, in non minus audaci, quam forti & strenuo Petro Rava'cherio Genuensi. Ex quo itidem allegat *Cardanus l. a. uterque etiam* ap. *Schenck. loc. all. Leonhard. Coqueus l. d.* ex *Vesalio* etiam, e quo similiter *Marcellus Donatus l.6. Hist. med. mir. c. 2. p. 620.* item *Zwingerus l. a.*

§. 13. V. *Dalechampius annott. ad lib. XI. c. 37. Plinii lit. α* inquit: *Quibusdam mobiles* (scil. aures) *visæ sunt: Mihi quidem adolescens, qui & aures & capitis cutem promte moveret.* Ap. *Joh. Schenckium l. a.* Ex *Dalechampio* quoque idem confirmare videtur *Joh. Jonstonus Thaumat. class. X. c. 7. art. 7. p.m. 491.*

§. 14. (VI. & VII.) *Casp. Bauhinus de Corp. hum. fabr. l.3. c. 22.* ait: Se duos novisse, qui aures, quando volunt, movere possunt. Itidem ap. *Joh. Schenck. observ. l. a.*

§. 15. (VIII) Aurelianensis Dux stultum quemdam habuit, qui poterat omnes, vel centum, habitu & facie repræsentare. Ille ipsas aures æque movebat atque ipsas palpebras. *Casp. Wolphius de obs. propr. ap. Joh. Schenck. l. c.*

§. 16. (IX.) *Intellexi* (scribit idem *Wolphius ibid.*) *a Doctore Antonio Schnebergero Medico Cracoviensi, fuisse quemdam magnifici cujusdam Poloni filium, qui postea in Italia diem suum*

um obiit: qui natura, non usu aures moverit.

§. 17. (X.) *D. Aureolus Castrensis Presbyter proprietatem non prætereundam possidet, aures enim ad libitum movet, cujus rei ipse testis oculatus sæpe fui,* inquit P. *Borellus Cent. 2. obs. 16.*

§. 18. (XI). *Vidus Vidius l. IV. de tuend. Valet. membratim. cap. I. f. m. 174.* refert: Homines qui aures moveant se raros admodum vidisse. *Idem de Anatome l. 7. c. 5. f. m. 303.* ait: *Manent immobiles aures plerisque hominibus (Galen. IX. V. P. 12.) quod breves sint & idcirco nullam valentes ex motu utilitatem afferre. Moventur belluis, quod sint longiores & circumactæ magis ad audiendum accommodantur: Vidimus tamen nonnullos homines, qui aures moverent.*

§. 19. (XII.) *Athenæus* l. X. *in principio* ex *Epicharmo in Busiride* Herculem descripsit κινεῖ δὲ ὤατα, aurem utramque movet; ap. *Leonb.* Coqueum, *in nott. ad Augustin. de C. D. l. a. p. m. 151.* & *C. Hofmann. Com. ad Gal. de V. P. XVI. n. 110.* Idem allegat Theod. Marcilius Comm. in Horat. Sat. l. 9. 20. fol. 96. a. inquiens: Notat & in Hercule Epicharmus. Nam de corbitante illo agens, ait: Σίζει δὲ ταῖς ῥίνεσσι, κινεῖ δ᾽ ὤατα, i. e. nasoque runcat, auriculasque commovet.

§. 20. (XIII.) Narrat *Eustathius* (sunt verba *Casauboni ad Athen. l. X ap. L. Coqueum l. a.*) *Sacerdotem fuisse quemdam aures motitantem. Accepimus autem* (inquit) *a viris fide dignis, visas manifeste aures moveri Viro cuidam eruditissimo, cum per Allobrogum fines transiens, vivi comburi periculum sibi a*

Magi-

Magiſtratu imminere intellexiſſet, quod diceretur nefandi criminis reus Tholoſa in Italiam fugere. Hunc tamen fuiſſe Muretum (ſupra §. 10.) vult *C. Hofmann. com. ad Gal. V. P. l. d.* Idem Euſtathius ad Iliad. XI. ait: ἀνθρώπε μόνε ἴδιον μὴ κινεῖν τὰ ὦτα, εἰ καὶ τὶς τῶν τε ὑςέρε γένες ἀνὴρ ἱερὸς ἱςόρηται θάτερον τοῖν ὠτίοιν ὑποκινῶν. i. e. Hominis ſolius proprium aures non movere; quanquam hujus ſeculi Sacerdos quidam narratur alterutram auricularum ſolitus motare. *Theod. Marcilius* l. all.

§. 21. (XIV.) *Andr. Laurent. l. XI. hiſt. anat. c. 12.* ſcribit: Se in quibusdam obſervaſſe aures moveri ap. L. *Coqueum l. a.* Idem aſſerit *Reald. Columbus* de re anatom. lib. 5. cap. 10. pag. 228. verba vid. inf. §. 29.

§. 22. (XV. *Valvardus l. 2. Anat. corp. hum. c. 2.* refert: Se Romæ vidiſſe Hiſpalenſem quemdam, cui nomen erat Manſiglio, qui aurem moveret, citante eodem *Coqueo ibid.*

§. 23. (XVI.) *Thom. Bartholino*, Viro diligentiſſimo A. R. *l. 3. c. 9. p. m. 353.* Semel vidiſſe contigit.

§. 24. (XVII.) Juſtiniano ſimiles fuiſſe oportet, quem mobilibus auribus depingit *Procopius*; ait *Idem CL. Th. Bartholin. l. cit.*

§. 25. (XVIII.) *Vidi ego etiam unum atque alterum*, ſunt verba acutiſſimi Germanorum Medici *C. Hofmann. com. ad Galen. l. XVI. de V. P. n. 110.* Exemplum quoque ex *Aretæo* citat *Rolfinc.* M. M. Specif. pag. 45.

§. 26. (XIX.) *Unum vidi & habui in triviali*

condi-

condiscipulum, scribit Linden, Med. physiol. c. XI. §. 7. f. m. 521.

§. 27. (XX.) Ut tandem aliquid de meis observatis addam, adsevero, me vidisse auriculas ἐκ προαιρέσεως mobiles in eruditissimo Juvene Med. Licent. quippe qui joci ergo, easdem sæpe motitans, mihi monstrabat.

§. 28. (XXI). Denique egregie mobiles aures habui heic in Palatinatu in vicino Heidelbergæ pago Geuberg senex quidam, Prætor rusticus; qui sæpe adstantibus movit risum (capite enim erat raso) quando, veluti palpebras, movebat aures præcipue ubi bibebat, & alias ad lubitum. Testes quam plurimos advocare possum autoptas heic Heidelbergæ cives aliosque; pauculos enim ante annos diem suum obiit.

§. 29. Quid jam ergo dicendum? Erravit Aristoteles? Carpendusne tot convictus præjudiciis? Neutiquam. Ille loquitur de eo, quod ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, imo ordinarie, natura ita gubernante fit; hæc vero, quæ adduxi exempla, a generali regula exceptionem & petunt & impetrant. Hocque jam olim dixerat *Linden, Med. Physiol. c. XI. §. 7. f. m. 521.* scribens: *Certe rari sunt, qui auriculas manifesto movent. Hac enim παραμυθίᾳ seu correctorio opus est illi, quod Philosophus bis dicit, & Plinius Nim. Ita est in plerisque nobis, non omnibus sunt immobiles. Reald. Columbus lib. 5. de re anatum. cap. 10. pag.* 228. ait: *Ego musculos aures moventes non describo, nam* RARO, IMO QUAM RARISSIME *inveniuntur. In quodam tamen ego muscu-*

musculum inveni, qui a buccis nascitur, & in auris primam desinit, eamq; movet voluntarie versus anteriora; quandoque etiam alium vidi musculum in posteriore parte a mamillari processu proficiscentem; sed hi 2. ultimi in brutis semper conspiciuntur, in homine perraro, &c.

§. 30. Antea autem quam insolitæ hujus mobilitatis caussam enucleemus, per transennam saltim videamus, quid subsit ponderis rationibus; quas supra §. 2, 3. 4. 5. & 6. produximus, pro aurium stabilitate a natura concessa. Ratio *Compilatoris* §. 2. ferme contrarium probat; adeo ineptulus est G. *Valla* §. 3. idem per idem fere probat. L. *Vives* §. 4. convenit cum §. 29. *Coiterus* §. 5. sibi relinquatur. *Keckermannus* §. 6. non adeo abludit a veritate. *Vidus Vidius* §. 18. in priori *Coitero* accedit; in posteriori vix se tuebitur; siquidem & quæ moventur in quibusdam hominibus; reliquis, quæ non moventur, majores non sunt: imo dantur in quibusdam animalibus minores, quæ tamen moventur. Ut taceam naturam fuisse novercam, ubi brutis mobiles dederit; quæ magis ad audiendum accommodentur, cum homo auditu, eoque exquisito, magis habeat opus.

§. 31. Sed jam ad aurium mobilitatis causam. Hæc danda est musculis aurium in uno homine magis ac altero comparentibus, teste *A. Laurent. l. a.* ap. *Coqueum.* Et hoc est, quod *Alb. Kyperus Med. Contract. l. 1. §. 107. f. m. 250.* ait: *imo quandoquidem auricula moveri pariter in quibusdam solet, musculi quoque ad id dati sunt.* Hos vero mu-

ſculos Ibid. prolixe deſcribit ;uti & C. *Baubinus* Inſtitt. Anatom. pag. 143. Siquidem nec ipſe Galenus noſtris auriculis omnem adimit motum, ceu ex aliquot ejus locis probavit *C. Hofmann. comm. ad de U. P. n.* 110.

§. 32. Sunt autem illi muſculi deſcripti a Celeb. *Veſalio l. 2. de H. C. F. c. 16.* (non c. 17. uti *Coqueus* refert) his verbis: *Lineamenta vero muſculorum, quæ in IV. de ſect. admin. lib. Galenus poſt aures obſervari docuit, neutiquam hactenus in hominibus reperi, quanquam in canibus aures moventium muſculorum naturam, formam, ortum, functionemque optime adſecutus fuerim. Dein hos muſculos non nihil, ſed nimis quam obſcure, ſimiam oſtendere obſervavi. Interdum etiam quibusdam raris fibris carneis membrana, quam carnoſam vocamus, ſupra aures augetur, & modice auri proximam cutem & ipſam quoque aurem motu agit arbitrario.* Idem paulo ante *eod. lib. c. 13.* hoc etiam tribuebat muſculis, qui buccas, labra & naſi alas moveant *p. m. 98.* ſcribens: *Poſterius itaque bujus muſculi initium a ſpina cervicis ſede omnino promitur, deinde ſecundum oſſis occipitii baſin fertur, mox ſub aurem, ut ipſius radicem perreptando contingat. Imo interdum hic adeo aſcendit, ut & auris bujus beneficio quibusdam hominibus (non etiam ſtupidis aut aſinis) moveatur.*

§. 33. Audiamus verba C. *Baubini de Corp. bum. fabr. l. 3. c. 22.* inquientis: *Muſculi aures moventes raro in homine reperiuntur, duos tamen novimus, qui aures, quando volunt, movere poſſunt.*

Quare

Quare duo aliquando reperiuntur musculi, quorum alter a buccis enatus, in auris pinnam desinit, eamque voluntarie versus anteriora movet. Alter vero in posteriori parte a mammillari processu prodit, & hi in brutis conspiciuntur. Quæ verba procul dubio desumsisse videtur ex *Reald. Columbo Anat. l. V. c. 10. per tot.* sunt enim ὁμόψηφα.

§. 34. *Vidus Vidius l.4. de Val. tuend. membratim c. 1. f. m. 174.* scribit: *Auris humana non musculos habet, cum non moveatur hominibus, sicuti quadrupedibus: Si qui autem homines aures moveant, quos raros admodum vidimus, his impertiuntur aliquæ fibræ illorum musculorum, qui juxta siti sunt: Belluis vero, quibus aures magnæ ac mobiles sunt, multis musculis continentur &c.*

§. 35. Fusius musculos aurium motores delinearunt Celeberr. *Rolfinccius Anat dissert. l. 3. c 17.* variorum varias proponens sententias; atque *Deusingius Inst. Anat. part. 3. c. 4. s. 2. §. 10. 11. 12. 13. & 14.* aliique. *Casserius* tres musculos post aurem describit, nos vero duos perpetuo, tres nonnisi raro invenimus, ait *Arnisæus* obs. 2. §. 6, pag. 251. Per compendium vero *P. Barbette Anat. Pract. l. 2. part. 3. c. 1. p. m. 326. seq.* inquiens: *Auris externa seu auricula musculos quatuor accepit, quorum tres priores ipsi cum aliis partibus communes sunt; quartus proprius est. (1.) est antrorsum ducens. (2.) retrorsum ducens (3.) Quadratus, deorsum trahens* (4.) *Tripartitus, attollens.* Similia ap. *Kyper. Universæ med. contract. l. 1. §. 107. f. m. 250.* atque *Joh. van der Linden Med. Physiol. c. XI. §. 7. f. m. 521.*

§. 36. *Dubito autem quin se possit tueri Rondeletius*, reputans ap. *Casp. Wolph. de obs. propr. citante Schenckio f. 166.* in stulto Ducis Aurelianensis consuetudine quadam fieri potuisse.

§. 37. Quin imo statuo fieri naturæ luxuriantis lusu, ut quandoque illi musculi adsint robustiores atque valentiores, indeque motum accedere auribus magis conspicuum; quod vero inde ab hoc motu concludendum sit ad belluinam naturam, uel stoliditatem aliquam

— Credat Judæus Apella
Non ego quidquid & Martialis lib. 6. epig, 39. jocetur:

Hunc vero acuto capite & auribus longis
Quæ sic moventur, ut solent asellorum
Quis morionis filium neget Gyrthæ?

Si quidem exempla pleraque, quæ adduximus illud neutiquam confirmant, quin potius infirmant; ut & verba *Vesalii* supra §. 32.

§. 38. Hæc boni consulas, Amice Lector, sicubi cæspitavi, Chremes sua mihi largiatur ap. *Terent. Heaut. I. 1. 25.*

Homo sum, humani nihil a me alienum puto.

Quidquid vero Nasutuli cum aliis stultulis oggannitis, tandem necesse est audiatis illud Satyrici *Persii Sat. I. vers. 121.*

Auriculas Asini quis non habet?

SATY-

SATYRA DUODECIMA.

DE GALLICO PLANCHETTE.

§. I.

DIxeram equidem pronuper (in Orat. Apologetica pro mulieribus) quæ poteram, cumque ex principiis medicis atque physicis, ut liberarem ab objectionibus & calumniis non raro, quibus oneratur sexus muliebris. Non autem abs me obtinere possum, ut præter veritatem illi quidquam adblandiar, quin potius in nobilioribus taxem perditum istum morem, quo thoracem velut cataphractæ justo strictiorem sibi adaptant, inepte sane in sanitate custodienda. Audiamus præclare ea de re differentem *Adr. Spigelium* lib. I. de Corp. hum. fabr. cap. 9. pag. 23. Ineptum etiam est, & ultra fidem perniciosum illud studium, quod omnes fere virgines adhibent, ut junceæ videantur, loris & mortifero artificio pectus in angustias cogentes, ignaræ, se angustando thoracem, januam tabi marcorique aperire. Quibus enim strictior est thorax, ii sanguinis sputo & destillationibus partiumque in thorace contentarum inflammationibus necessario redduntur opportuni, cum pulmones talibus maxime incalescant. Nam cum reliquum corpus proportionem suam debitamque magnitudinem retineat; thorax autem angustior fiat, plus sanguinis circa pectus colligitur, quam aut idem digerere, aut a sese propellere possit, unde in cavitatibus illis stabulans, (præsertim vero venæ arteriosæ & arteriæ venosæ) in multorum morborum causam degenerat. Accedit, thoracem ipsum compressum multo im-

„becilliorem fieri, unde ſanguis calidior eo afflu-
„ens vel ibi hærens, acrior redditus facillime vaſa
„erodit, neque ſe defendere natura amplius jam
„poteſt. Hinc non immerito tales ſalſe ridentur a
„Terentio in Eunucho, dum ſic inquit:

„Haud ſimilis virgo eſt virginum noſtrarum: „quas matres ſtudent
„Demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, ut „graciles ſient.
„Si qua eſt habitior paulo, pugilem eſſe ajunt; „deducunt cibum,
„Tametſi bona eſt natura, reddunt curvatura junceas.

§. 2. Et ne quidquam blandiori deſit βασανισμῷ, Cataphractariæ inſuper quaſi obice pectus claudunt, quem Gallica lingua (ſiquidem & Latium & Græcia & optima noſtra vernacula ignoraverunt, & quidem ſatis laudabiliter) vocant PLANCHETTE. Gallis enim *la Planche* eſt aſſer; inde diminutivum *Planchette*, id eſt, *aſſerculus*. Nimirum hæc inſtrumenta ſunt quaſi aſſerculi modici, ut Columellæ verbis utar, quamvis & *aſſercula* neutro genere dixerit Cato de Re ruſtica cap. 12. Vocatur & idem inſtrumentum Gallis aliter *busque de femme*, quo nomine venit in Itinerario P. Marquette e Soc. Ieſu & Dn. Iolliet pag. 372.

§. 3. Hac voce *Planchette* Galli, noſtratesque Gallizantes, intelligunt inſtrumentum, vel ex materia lignea, vel eburnea, vel cornea, vel ferrea vel oſſea, vel alio paulo rigidiore, (eaque vel ſimpliciore, vel ſuperinducto corio variis figuris exornata) conſtans longitudine 5. 6. præter propter palmorum, latitudine fere pollicis, & infra medium aliquantillum recurvatum, ac a pylori regione ſub thoracis medio ſurſum verſus intruſum; quo ventri faci-

at περιπέτασμα, mamillas reclives, thoracemque erectiorem, indeque speciosiorem, atque ventrem compressiorem.

§. 4. Verum frigidus, ô Bellæ, fugite hinc! Latet anguis in herba! Externum quæritis decorem, internam eamque meliorem perditis salutem. Hoc idem mihi caussæ satis superque fuit, instrumenti hujus noxam paucis delineare; siquidem merito refertur inter causas morborum, adeoque ad res præternaturales. Et ne sine teste litem faciam meam, audite Reipublicæ Medicæ egregios Duumviros.

§. 5. In acie colloco felicem illum *Felicem Platerum*, qui Prax. Med. Tom. 3. lib. 2. cap. 3. pag. 537. ita inquit: Flatus si ventriculo intestinisve" inclusi retineantur, nec exitum inveniant, discur-" rendo per horum cavitates & ductus murmura" rugitusque in abdomine edunt, circa sinistrum" maxime hypochondrium, si in ventriculo vel il-" li substrato & adnexo intestino colo coërceantur," cum hæ partes ad hanc sedem potissimum occu-" pent, (quod tamen causa lienis, qui flatibus imple-" ri nequit, communiter putant accidere) vel etiam" in alia ventris regione hi rugitus audiuntur, si alibi" inclusi sint, maximeque circa umbilicum, pro-" pter tenuium illic intestinorum convolutionem." Quorum flatuum causas in variis ventris & intesti-" norum affectibus exposuimus: N B. inter quas &" coarctatio hypochondriorum in virginibus," quam vestibus arcte strictis, quo graciles appare-" ant sibi conciliant, existit; sic namque flatus coa-" cti murmura illic edunt, & ut turpiter se sæpe" dent, occasionem frequenter præbent."

§. 6. Sed longe clariora sunt verba eruditissimi & in Praxi Medica versatissimi viri *Wolfg. Hœferi*,

Medici Cæsarei dignissimi, quæ in ejus *Hercule Medico* lib. 3. cap. 1. pag. 134. se ita habent: Exemplum „Illustrissimæ virginis Alexandræ Spinolæ, vomi„tum post quamlibet cibationem patientis, medica„tionem tamen ferentis, satis rarum, per modum „consultationis describit *Barthol. Tunianus* in Bu„liatria fol. 270. (nimirum locus est lib. 4. cap. 10. „pag. m. 274.) ubi symptomata hoc non ventricu„lo, sed utero adscribit, & scirrho penes ventricu„lum, ex retentione quinquennali mensium, & cu„mulatione plurimorum excrementorum, nec „non NB. gestatione alicujus ligni vel cornu, Gal„lice *Planchette*, contracto, quo nostræ nobiles „mulieres etiam hoc tempore non sine dispendio „valetudinis, ut erectæ incedentes superbiant, u„tuntur. Sic enim non solum ventriculum com„primunt, sed & pectus coarctant, atque respira„tionem impediunt, & sic evadunt cachecticæ & „flatuosæ; unde audimus, apud juvenculas inpri„mis, sæpius regurgitantes flatus circa has partes, „quas vel per prædictum instrumentum, vel per an„gusta vestimenta comprimunt, quasi ranas coa„xantes subtus absconderent.

§. 7. Duumviris hisce plures succenturiamus Parastatas: Sic ex tali uteri coarctatione animi deliquia, in gravidis inprimis abortus, imo & monstra generari posse, haud proletarii attestantur auctores. Legi omnino merentur CLmi *Eyssonii* monita lib. de Ossibus infantum cap. 6. pag. 91. seq. *Christ. Crusius* in Disp. Inaugur. de Abortu, Lipsiæ, Præside D. Sulzbergero, anno 1669. habita, cap. 6. §. 2. varias abortus recensens causas addit: Motus impeditus „quoque nocere potest, ad quem commode refer„tur arcta thoracis & abdominis ligatio mulliercu„lis nostratibus ad conciliandam corporis venusta-

tem„

tem & gracilitatem, per aſſulas ligneas, eburneas" ve. ferreas, vulgo Blanckſcheid (*Planchettes*) di-" ctas, valde familiaris; vid. *Eyſſon.* de Oſſibus in-" fantum Monito 1. pag. 98. ſeq. Perſtrinxit hanc" ſuo tempore *Roder. a Caſtro* lib. 4. de Morb. mu-" lier. cap. 4. fœminisque Venetis, Anglicis & Ant-" verpienſibus, easdem in uſu eſſe, aſſignavit. Aſ-" ſulæ enim hæ cum a ſterno ad pubem uſque per-" tingant, & abdomen comprimant, ſine fœtus de-" trimento id fieri non poſſe, quilibet hariolari po-" terit. Accedit huic *Jo. Chriſtoph. Metzlerus*" Diſp. Inaug. de Abortu Erfurti 1693. habita §. 20." his verbis: Animi deliquium & abortus eo citius" metuendus eſt, ſi dictæ gravidæ præſertim iis in" locis, & interdum cibo potuque repletæ, ſimul ve-" ſtibus arctis indutæ ſint, & ſi pro gracili vel proce-" ra corporis figura aſſerculas (Planchettes dictas)" pectori habeant impoſitas, de quarum damno vel" cauſa pro abortu inferendo efficaci, videatur Ex-" cellent. Dn. D. *Dolæus* Encyclopæd. Med. lib. 4." pag. 920. aliique plures. *Burnetius* in Theſ. Med." pract. lib. 1. ſect. 5. ait: Ad abortum faciunt veſti-" um coarctationes, ab aſſulis illis eburneis aut ba-" lænaceis, quas mulieres veſtibus ad ſternum ſubji-" ciunt ad corporis venuſtatem."

§. 8. Monſtra item inde naſci poſſunt! Sane *Fortunius Licetus* lib. 2. de Monſtris cap. 5. pag. 68. inter monſtrorum cauſas uterum anguſtantes, refert nimis arctam ventris adſtrictionem ſtudioſe a muliere factam, ſeu conceptus occultandi cauſa, ſeu quavis alia ratione; & ibidem cap. 16. pag. 100. expreſſis ait verbis: Sed & arcta inferi ventris conſtrictione, faſciis aut veſtium muliebrium ſtructura, uterus nimium anguſtari poterit, & inde monſtrum exoriri. *Mart.* quoque *Weinrichius* de Monſtris

cap. 14. pag. 132. a. inter caufas monftrorum decimo loco refert fafcias, inquiens : „Decimo loco „adjungi poffunt fafciæ pectorales arctiores, circa„que ea loca, ubi fœtus continetur, cum laxamen„ta neceffaria fœtui defint, quod ipfum eodem in „loco (nimirum lib. de Genitura) diligentiffime „*Hippocrates* obfervavit, qui videatur.„ Tandem & hiftoriam monftri a conftrictione orti, cui legere volupe eft, adeat obfervationem D. *Benjam. Scharffii* in Ephem. Germ. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. 2. obf. 102. pag. 254. & feq. pag. Scholion CLmi *Schrœckii.*

§. 9. His probe penfitatis, non poffum non & meum adjicere calculum album in re nigerrima. Siquidem ifta conftrictione jufto duriore, non folum coftæ, earumque mufculi (quippe pulmonum & cordis promontoria, interim & refpirationis adjumenta) ftrictius comprimuntur, unde refpirationis vel imminutio, (quod fæpius) vel depravatio. Inde & minor, imo pejor fanguinis & per pulmones circulatio & ventilatio, & (pace Celfi, Medicorum Ciceronis, hanc vocem dixero !) fpirituefcentia five πνευμάτωσις.

§. 10. Nec fatis malorum ! Comprimitur diaphragma, comprimuntur vafa fanguinea vicina, fubfiftit ita alicubi fanguis, hinc communia vitiatæ circulationis vitia, nempe hypochondriaca, cachectca, flatulenta, chlorotica, & fi qua funt plura alia. Conf. pag. 3. Ephem. Germ. Cur. obf. 242. quæ apprime huc facit. Sic novi ipfemet fœminam nobilem, quæ ab arctiore conftrictione thoracis femper cœcas paffa eft hæmorrhoides, extra anum tumentes ac dolentes.

§. 11. Nimirum ipfa radix vitiorum inde & propullulat & fovetur, quando compreffo ventriculo ejus-

jusque potiore orificio, puta dextro sive inferiore, el πέψις impeditur, vel depravatur; vel ἡ τῆς χυλώσεως διόκρησις moram trahere cogitur; unde iterum βορβορυγμοὶ, ructus acidi, rugitus & ventris murmura, ancrexia, picæ, atrophia & sexcenta alia.

§. 12. Et ne meris Theoreticorum videar inhæsisse opinionibus, utut sana ratione suffultis, en, præter infinita alia quotidiana, unicum: Virgo nobilissima 23. annorum, præter propter sanguineo-cholerica, eodem, quem supra satis depinxi, utitur vestitu. Quoties repagula ista thoracis, relaxatâ ligula, removentur, toties illa post magnum stridorem cogitur edere ejulatum ὀλιγοχρόνιον quidem, sed quem evitare ἀδύνατον est. Illa quoque interim cum adversa valetudine satis superque conflictatur, cujus rei non auritus, sed oculatus usque testis sum.

§. 13. Huc posset, sed jure meliori, referri aliud formæ virginum subsidium, minus contemnendum, quod Græci jam olim ἡ ἀναλεκτὶς, ab iisque mutuatum Latini Analectis, idis, dixerunt; Germanice redditur **ein Küßlein, damit die hagern Jungfrauen die Leibchen ausstopffen, damit die Schulterbeine nicht also heraussstehen**, ut ait *Jo. Lindnerus* in Fodina Linguæ Lat. Lipſ. 1686. in 8vo edita pag. 146. Mentionem ejus jam olim fecere Cælius lib. 7. & Ovid. lib. 5. de Arte amandi; sed manum de tabula. Conf. tamen de eo quædam in Diss. nostra de Restitut. in integr. Coronidis loco addere placet amici cujusdam lepidi jocum in Planchette, tetrasticho tali Germanico effusum:

Du artliches Planchett', **wem soll ich dich vergleichen?**

Dir

Dir muß die beste Uhr an Kunst und Tugend
weichen:
Sie weist nur eine Zahl; du zeigest beyderley
Von oben ab auf EJNS, von unten auf
auf ZWEY.

SATYRA DECIMA TERTIA
DE
SUPERFOETATIONE.

§. I.

SUperfœtatio (quam Superimprægnationem vocant inelegantius Medici Neoterici, ait *Jo. Bapt. Pius* Annotatt. prior. pag. 365.) Græcis ἐπικύημα vel ἐπικύησις (quamvis aliquam inter utrumque agnoscam differentiam; conf. *Fœsii* Oecon. Hippocr. fol. 228. a.) ab ἐπικοέω, vel ἐπικυΐσκομαι aut ἐπικυΐσκω, (istas usurpavit Aristoteles lib. 4. de Generat. Animal. cap. 5.) id est, superfœto, qua voce usus *Plinius* lib. 7. H. N. cap. 7. Germanice Uberschwängerung, (Auctor Interpret. *Cosmi Viardel* Hebammen-Buchs lib. 1. cap. 6.) Superfœtatio inquam meretur, & in gratiam *JCtorum* & *Medicorum* & *Physicorum* accuratius tractari, siquidem inter naturæ spectabilissima opera non infimum porro est illud, quæ uti raro accidit, (testibus *Mart. Weinrichio* de Monstris cap. 14. pag. 129. b. & *Ger. Blasio*, qui in nott. ad *Jo. Veslingii* Syntagm. Anatom. cap. 7. pag. 102. inquit: Nihil tam

tam rarum, quam vera superfœtatio, quam cum CLmo Patino aliisque neque unquam vidi, neque possibilem judico, licet varii contrarium sustinere conentur) ita majorem sui contemplationem exposcit, ut utar verbis *Sinibaldi* Geneanthrop. lib. 8. Tract. 2. cap. 3. conf. omnino *Marc. Donat.* lib. 4. Hist. memorab. cap. 16. Lepide Casp. Barlæus P. 1. Epist. 45. pag. 168. ait: Periculosa est omnis superfœtatio in humano sexu, nec minus in carmine.

§. 2. De hac congerere quædam ex optimatibus Reipublicæ Medicæ aliisque constitui. Sunt autem præter alios illi, qui modo sequuntur: *Hippocrates* Lib. pecul. de Superfœtatione, (utut eum prætermiserit *Erotianus*, teste *Fœsio* ad h. librum. Hippocratis tamen esse contenduut *Fœsius* Oecon. Hipp. fol. 228. b. & *Sinibaldus* aliique; quamvis, si verum fatear, ego potius dubitarem ob obliquas rationes) *Nic. Massa* Epist. 25. *Budæus* in L. antiqui §. sed π. si pars hered. pet. allegante *P. Zacchia* *Rousset* de Partu Cæsar. sect. 6. cap. 7. *Bauhinus* in Append. 6. *Raynaudus* de Sect. Cæs. cap. 11. *Marc. Donatus* lib. 4. Med. Hist. memor. cap. 16. *Joh. Schenck* Observ. lib. 4. tit. de Superfœtat. *Saxonia* Pract Med. lib. 4. cap. 27. *Greg. Horstius* lib. 1. Epistolar. *Hucherus* de Sterilitate lib. 3. tit. de Superfœtat. *Sylvaticus* Controvers. Med. 81. per totum. *Pareus* lib. 23. cap. 52. *Roder. a Castro* lib. 3. de Nat. mul. cap. 13. *Sinibaldus* Geneanthrop. lib. 8. Tr. 2. cap. 3. *P. Zacchias* lib. 1. tit. 3. quæst. med. Leg. 3. & 4. *Sennertus* Prax. lib. 4. P. 2. S. 4. cap. 6. *Cosmus Viardel* Observatt. de Partu lib. 1. cap. 6. *Sperling.* de Format. fœtus in utero cap. 6. qu. 3. *Laurentius* in Anat. lib. 8. qu. 22. fol. 313. *Etmüller* de Morb. mul. cap. 7. fol. 588. b. seq. *Thom. Bartholinus* de insolitis partus hum. viis cap. 11. pag. 86

Raym.

Raym. Ioh. Fortis lib. de morbis mulier. fol. 99. & in alia edit. fol. 452. & *Fœsius* in Comm. ad Hipp. lib. de Superfœt. fol. 114. n. 1. *Th. Bartholin.* Cent. 4. hist. 14. *Olay Borrichius* in Actis Hafn. Vol. 5. obs. 56. *Varandæus* de Morbis mul. lib. 2. cap. 4. fol. 599. Jonstonus in Thaumatograph. classe 10. cap. 5. pag. 461. Raro eandem fieri, & quomodo fiat, edocet *Fort. Licetus* de Monstris lib. 2. cap. 14. pag. 97. seq. ut & cap. 25. pag. 122.

§. 8. Hæc *Herc. Saxoniæ* lib. 4. pract. cap. 27. est nihil aliud, quam secunda conceptio post primam facta. Sed quot instantias hæc patitur descriptio, bone Deus! Nec multo videtur melior illa *Sennerti* l. sup. all. ubi dicitur esse, quando ex diversis congressibus plures fœtus concipiuntur. Certe rem melius videntur tetigisse, *Gorræus* Definitt. Med. fol. 113. b. *Fernelius* Physiol. lib. 7. cap. 12. atque *Foësius* Oeconom. Hippocr. fol. 228. a. dicentes, ἐπικύημα esse fœtum alterum, gravida jam muliere conceptum. Videlicet superfœtatio est, qua intra pauciores dies, hebdomadas vel menses, post prioris fætus alicujus conceptionem, unus vel etiam plures adhuc fœtus ex diversis congressibus concipiuntur. Vid. *Sperling*. l. d. qui tamen fere omnia transscribit ex *P. Zacchia*, præcipue ex lib. 1. T. 3. qu. 4. n. 1.

§. 4. Antea autem quam progrediamur ulterius, clamitant aliqui: *Heus! Daturne talis superfœtatio?* Et pro negantibus allegantur B. *Augustinus* lib. 5. de Civit. Dei cap. 6. quem vero rigide falseque perstringit *Jo. Bapt. Pius* Annotatt. prior. pag. 262. seq. nec non alii Doctores, referente *Glossa* in L. Antiq. §. sed π si pars hered. pet. apud *Zacchiam* l. c. qu. 3. n. 1. Ex Medicis quoque rem pro impossibili habet *Blasius*, cujus verba expressimus sup. §.

1. &

1. & pro ridiculo reputat *Jo. Valverda* Anatom. lib. 3. cap. 14. aliquot ratiunculis rem impugnans, sed quas fortiores optabat, ideoque refutabat recte *Zacchias* l. a. qu. 3. Multi quidem dicunt impossibile esse, ut uno edito eoque primo partu atque perfectiore, alter superfœtatus non simul in tanto naturæ conamine ejiciatur. Sed his respondet *Cosmus Viardel* Observatt. de Partu lib. 1. cap. 6. in fine. Alias objectiones pro negantibus movet, sed simul quoque resolvit *P. Zacchias* lib. 1. T. 3. qu. 3. n. 2. & *Jo. Sperling.* l. a.

§. 5. Beatiores ergo sunt partes affirmantium, quippe qui se tuentur 1) *Auctoritate*; ut enim taceam jam sup. cit. §. 2. laudatos, huic affirmationi insuper patrocinantur *Hippocr.* lib. de Diæta teste *Sinibaldo*; *Aristot.* lib 4. de Gener. Anim. cap. 5. & Hist. Anim. lib. 7. cap. 4. (quem locum etiam allegat *Jo. Bapt. Pius* l. a. pag. 363.) *Plinius* lib. 10. H. N. cap. 63. *Ebn. Sina* lib. 3. Fen. 21. Tr. 2. cap. 17. *Ebn. Roschdi* lib. 4. de Gener. Anim. cap. 7. *Alzaravius* lib. pract. Tr. 25. cap. 23. *Ebn. Zacharias Rasæus* 22. Con. Tr. 6. cap. 1. *Solinus* de Situ Orb. cap. 3. *Gordon.* in Lilio Med. Part. 7. cap. 2. apud *Schenck.* & *Sinibald. Fernelius* Physiol. lib. 7. cap. 12. *Forestus* Schol. ad lib 28. obs. 45. *Vidus Vidius* de tuend. Valetud. membratim lib 14. cap. 7. *Föesius* in Nott. ad Hipp. lib de Superfœtat. fol. 114. *Bonacciolus* Ennead. mul. cap. 3. *Joubertus* Error. Popul. lib. 3. cap. 1. *Platerus* Prax. Med. T. 3. lib. 2. cap. 1. pag. 473. *Andr. Laurentius* Anat. lib. 8. qu. 22. *Greg. Horst.* de Causs. Similit. infant. *Amisæus* de Partu hum. legit. term. *Nancelius* in Anal. microc. ad macrocosm. lib. 10. probl. 7. *Melch. Sebizius* Specul. med. Pract. Part. 5. cap. 1. pag. 1480. *Röder a Castro* de Nat. mul. lib. 3. cap. 13. Harsdörffer im grossen

Schauplatz hist. 141. *Casp. Schottus* Phys. Cur. lib. 3. cap. 30. pag. 553. Quin etiam admittunt ipsæ leges in L. Antiqu. §. Sed π. si pars hæred. pet. & in L. cum quidam §. suum hæred. π. de Acquir. hæred. & ibi *Gloss. Paul.* n. 3. & *Alex.* n. 3. apud *Zacchiam* qu. 3. n. 12.

§ 6. Statim & hoc adnotatum volo, quosdam statuere *solam mulierem* superfœtare, ut *Rod. a Castro* l. a cui ferme consentit *Sperling. p. 50.* quosdam pleraque alia animalia: Sic *Fernel.* physiol. lib. 7. cap. 12. inquit: Canibus aliisque plerisque animalibus frequentius accidere. Hinc *Th. Bartholin.* Cent. 4. Epist. 56. p. 361. ait: "In brutorum genere crebriora vidi exempla, cui multiplex fœtus familior." Quosdam saltim aliqua animalia superfœtare, alia non, uti *Aristot.* lib. 4. de Gener. anim. cap. 5. imo idem lib. 7. Hist. Anim. (apud *Jo. Bapt. Pium* l. a. p. 363.) ita: "Verum equa nunquam superfœtat, sed magna ex parte unum tantummodo generat. At vero in muliere raro quidem evenit, ut superfœtetur, sed factum tamen aliquando est; qui itaque longo post tempore sint concepti, nihilo perfici possunt, sed præmaturius dolorem, quo ipsi & primus fœtus intereat, movent. Jam incidit ut facta corruptione *duodecim* superfœtata puerperia ederentur. At vero si proxime a primo conceptu secundus sit factus absolvi edique potest quod superfœtarit, ut quasi gemini nasci videantur, quomodo Herculem & Iphiclam procreatos esse fabulantur. Nam id etiam constitit adultera quadam quæ alterum suo marito alterum adultero si-

milem peperit." Idem J. B. Pius l. a. addit: Cartilaginea genera superfœtare *Aristot.* auctor est lib. 6. Dasypum superfœtare testatur *Plin.* & *Aristot.* lib. 4. de Gen. Anim. Solipedes non superfœtant, inquit *Arist.* alibi. Unum aut alterum superfœtare animal præter mulierem statuit quoque Plinius lib. 7. H. N. cap. 11. ex. gr. *Lepores*; *Aristot.* IV. G. A. 5. & VII. H. A. 4. *Plin.* L. X. H. N. cap. 63. cujus verba sunt: Sed superfœtant dasypus & lepus tantum; sed *Dalechampius* in Comm. ad h. l. addit: *Mures* quoque superfœtare pro certo habetur. conf. *Mizald.* Cent. 5, aphor. 49. *Menard.* ad S. Barnabæ Epist. n. 51. fol. 33. a. *Theophylactus Simocatus* in Aporiis physicis num. XI. pag. 55. seq. item *Canes*, ex *Fernelio Zacchias* lib. 1. T. 3. qu. 3. ac *Laur. Straussius* de fœtu mussipont. pag. 6. item *Equas*, *Mizaldus* d. l. & *Mart. Weinrichius* de Monstris cap. 14. pag. 129. ubi ita: " Sola mulier & equa gravida coitum admittunt: *Aristot.* lib. 4. de G. A." cap. 5. ubi etiam causam attulit, cur id in utroque" eveniat. Certe cæteris non evenit, quæ ubi se im-" pleverunt, non amplius concupiscunt, quomodo" nec cibum affectant, quæ satiata sunt, quæ gravida" esse inceperint, minus avida Veneris evadunt, ut" est X. sect. probl. 46. (sed forsan si coëunt non" superfœtant?) Dubitant tamen alii, forte non ma-" le; item *Scrofas*, & *Lynces*. *Mizaldus* l. d. item *Dasypodes*, Plin. l. c. quos lepores esse voluit *Budæus*, sed male; *Christoph. Landinus* Taxum seu Melem, *Marcell. Donatus* vero lib. 4. cap. 16. in fin. cum *Cœlio* in annott. *Cuniculos*, quia omnium maxime superfœtent.

§. 7. Posthabito ergo imbecilliore nudæ auctoritatis testimonio longe fortius (2) *certioris experientiæ* jam allegabimus per varias historias, promiscue tamen recensendas. Nolo equidem plane antiquas repetere, quarum aliquot possunt peti ex *Hippocr.* lib. 5. Epidem. fol. 336. conf. *Fœsii* Oecon. Hippocr. fol. 228. a. *Aristot.* lib. 7. Hist. Anim. cap. 4. circa fin. *Plauto* in Amphitr. de Hercule & Iphiclo. *Ovidio* lib. 9. Metam. fab. 8. apud *Zacchiam*, *Plinio* lib. 7. H. N. cap. 11. (qui videtur depromsisse ex Aristot.) cum aliquæ illarum fabulosæ, aliquæ obscuræ sint. Sed ad recentiora exempla.

§. 8. Ut autem chartæ, tempori atque Lectori parcam, verba historiarum jam nunc non excerpam, indicabo saltim loca: (α) *Nicol. Florent.* Serm. 6. tr. 1. cap. 22. apud *Schenck.* M. *Donat. Sennert.* & *Sinibaldum.* (β) *Dodonæus* in annott. ad Beniven cap. 3. apud eosd. (γ) P. P. *Pereda* Schol. ad Paschal. L. 1. de Cur. Morb. cap. 55. apud *Schenck. Sennert.* & *Zacchiam* qu. 4. n. 18. (δ) *Nancel.* Anal. microc. ad macroc. lib. 10. probl. 7. (ε) *Fr. Rousset* de Partu cæs. sect. 6. capite 7. apud *Schenckium* & *Sennert.* (ζ) *Casp. Baubinus* in append. ad *Rousset.* quatuor exempla proponit apud *Schenck.* & *Sennert.* (η) *Salmuth* Cent. 3. obs. 33. (θ) *Joh. Rhodius* Cent. 3. obs. 52. (ι) *Thom. Bartholin.* Cent. 4. hist. 14. (κ *Idem* in Cista Med. pag. 398. (λ) Harvejus de Partu pag. 336. (μ) Ex *Scenckio Jo. Wolffius* Cent. 16. Memorab. fol. 987. *Hartsdörffer.* im grossen Schauplatz, Hist. 24. pag. 94.

Casp.

Casp. Bauhin. ad *Rousset.* (υ) *Gordonus* in Lilio Med. Part. 7. cap. 2. apud *Schenck.* (ξ) *Cardanus* Comm. ad Hippocr. lib. 5. aphor. 36. apud eund. (ο) *Andr. Laurent.* lib. 8. Anatom. qu. 22. apud eund. (π) *Jansonius* in Mercur. Gallo-Belg. pag. 81. apud eund. (ρ) *Joh. Francus* apud Schenck. ex Communicatione *L. Scholtzii.* (σ) Epidemicam superfœtationem vidit *Brassavol.* Comm. ad lib. 5. Aphor. 38. apud *Schenck.* (τ) *Alex. Benedict.* de Cur. morb. lib. 25. cap. 23. apud eund. Placet hisce subnectere brevibus verbis exempla aliquot hinc inde obvia: Refert unum *Olaus Borichius*, apud *Th. Bartholin.* Cent. 3. Epist. 97. pag. 420. seq. Aliud *Vitus Riedlinus* Cent. 1. obs. 22. p. 20. his verbis: Anno 1656. Sartoris cujusdam uxor mense Aprili peperit, relicto alio infante, quem demum bimestri post spatio vivum in lucem edidit. *Jo. van Duren* apud *Blancard.* in Collectaneis Phys. Med. Part. 2. 1681. obs. 13. pag. 19. de nobili matrona anglica refert, quæ justo tempore die solis filium edidit; animadvertebant adstantes mulieres, adhuc restare aliquid, hinc sequenti die solis denuo edebat filium, ac tertio die solis tertium, qui omnes adoleverunt, & a Rege ob memorabilem hunc casum creabantur Equites. Idem addit: Se duos novisse fratres, quorum alter sex hebdomatibus post prioris partum editus erat. *Blancardus* ibid. Part. 3. obs. 8. pag. 15. & obs. 9. pag. 16. geminum exemplum refert; prius fœminæ Amstelodamensis, quæ post prioris partus purificationem, quando primum iterum in publicum prodibat, denuo pepe-

rit. Ex relationibus publicis Lipsiensibus d. 25. Octobr. 1693. Septim. 43. n. 3. Bruxellis hæc referuntur: Von Ostende wird geschrieben, daß daselbst eines Notarii Frau, Namens Pille, 20. Jahr alt, zwo gesunde Töchter gebohren, und 6. Tage hernach noch vier todte Töchter zur Welt gebracht. Aliud adhuc exemplum legitur apud *Frid. Ruysch* Observatt. Med. Chirurg. n. 14. pag. 20. *Thom. Bartholinus* de insolitis partus hum. viis cap. XI. p. 86. ait: Non negamus dari superfœtationes, quarum exempla subpeditavit *Bauhinus* Append. 6. ad Rousset: nec in patria desunt: Nobilis enim matrona plusculis abhinc annis post primum partum masculæ prolis quarta hebdomade alterum enitebatur vitalem, & utrumque diu satis superstitem uno eodemque nomine insignitum. *Mart. Weinrich.* de monstris cap. 14. pag. 129. b. Editus legitur infans nostris temporibus omnia perfectus, sed postridie alius neque oculis, neque naribus & ore cæterisque ad hunc distinctis, quem tardius conceptum est verosimile (quamvis ego forsan alias rationes hujus imperfectionis darem) Duo itidem exempla refert *Fel. Platerus* observatt. lib. 3. p. 702. seq. *M. Jo. Seb. Güth* in Poligraphia Meinungensi lib. 3. pag. 185. ait: A. C. 1462. nachdem Osterhilda, Enders am Bach, eines Meininger Bürgers Hausfrau, am Tage Matthäi, eines jungen Sohns genesen, und nach Ausgang der sechs Wochen am 5. Nov. wieder zur Kirchen gehen wollen, hat ihr der liebe GOtt auch eine junge Tochter bescheret, welche zur heil. Tauffe kommen, und

lange

lange Zeit gelebet. NB. Ein anderer setzte es ins Jahr 1478. und nennet das Weib Julianam, ob nun vielleicht dieses ein anders, als das vorige, ist mir unwissend.

§. 9. Sed ne ἀσύμβολος discedam, unicum de meis addam. Ante annos 40. præter propter Montbellgarti uxor scriniarii fœtum vivum & incolumen edebat: quatuor inde septimanis post alium sed mortuum enixa est. Maxime autem mirabile est illud, quod in oppido Würtembergico Binningkheim accidit uxori Adami Strotzmanni; de qua versiculi antiqui; ceu mihi retulit & testata est Illustrissima loci illius olim Domina; eosdemq; communicavit D. Eisenmenger; sicuti allegant Dn. D. *Jo. Dan. Horst* in additt. ad *Zacchiam*, & Dn. D. *Laur. Strauß* in additt. ad *Schenck.* Tandem & illud miraculosum superaddam; ubi *Herc. Saxonia* lib. 4. pract. Med. cap. 27. refert de nautæ (non nobilis, uti *Sennertus* habet) uxore, quæ filium pariebat nono mense, vivum & perfectum; octavo die a primo partu alium rudem & non omnino absolutum, post 15. dies iterum alios duos; Cum jam reconvaluisset, anno sequenti eum iterum uterum gereret, habuit eosdem omnino partus, & singuli eorum in propria tunica erant involuti. Cum tertio concepisset, & filium edidisset primo, & adhuc uterus esset filiis plenus, parere amplius non potuit & obiit.

§. 10. *Caussas* rari accidentis inquirere difficillimum, teste *Nic. Massa* Epist. 25. in princ. *Sperling.* & *Viardel* l. a. Ne tamen affirmantibus desit (3)

argumentum, idemque nobilissimum; puta *rationem*, lubet jam inquirere in ἐπικυήσιος caussas. *Aristotel.* lib. 4. de Gen. anim. cap. 5. ait: Caussam, ne superfœtent animalia quædam, esse, quod singula pariant: solipedes enim, & quæ iis auctiores sint animantes, nunquam superfœtent, qui ibid. plura addit. *Gorræus* Definitt. Medic. fol. 113. b. & *Herc. Saxonia* lib. 4, cap. 27. dicunt fieri, cum fœtu jam concepto non clauditur exacte uterus, sed semen aliud etiam intro admittit, nihil obstante loco *Hippocr.* lib. 5. aph. 51. & *Galen.* Comm. ad h. l. ut & lib. 14. U. P. cap. 3. ubi dicitur, adeo post conceptionem os uteri constringi, ut ne specillum vel aciculam quidem deinceps admittat. Siquidem ex magna mulierum gravidarum voluptate in συνουσίᾳ iterum uterum posse reserari, præcipue in sanguineis scribunt *Sennertus*, *Sinibaldus*, *Viardel.* l. a. *Zacchias* qu. 3. n. 18. &. *C. Bauhinus* qui Instit. Anat. pag. 90. ait: Uterus semine accepto ita clauditur, ut ne acum vel specilli aciem admittat, præterquam in superfœtatione, ubi recludi necesse est. Atque insuper locum *Hippocr.* longe mitius atque melius interpretatur *Spigelius* lib. 8. cap. 19. nimirum non adeo coarctari, sed connivere saltim uterum; quibus & nos subscribimus.

§. 11. Sed ad διάγνωσιν properemus. Tempus quo alter post alterum concipitur, statuitur varium. *Sennertus* l. a. ait: Necesse esse, ut accidat a primo conceptus die usque ad quartum aut circiter, quando primus fœtus adhuc exiguus est, ut non difficulter locum inveniat: Secus fiat abortus. Post 20. 30.

vel

vel 40. dies *Sperling.* de form. fœt. pag. 79. post 5. *septimanas* & 5. *dies* vidit *C. Bauhinus* ad Rousset. Post 2. *menses Herc. Saxonia* & *Sperling.* Sicuti nobilis illa ab Hirschhorn *decima hebdomada* apud *Bauhin.* conf. sup. §. 8. lit. μ. *Tertio mense* in exemplo *Nic. Florent.* & *Raphael* ex *Jac. Foroliv.* apud *Alex.* ad L. cum quidam §. suum hered. π. de acquir. hered. n. 3. Consentit *Herc. Saxon.* & *Sperling.* Imo post *quinque menses Pereda* sup. §. lit. γ. "At *per annos* superfœtationem supputare & primum diutissime in utero hæsisse excluso posteriore fœtu, inter rarissima numeramus nullo scripto signatam." ait Th. *Bartholini* Cent. 4. Hist. 14. ubi allegat exemplum ex urbe Venda Livoniæ, Communiter tamen non nisi in primis 40. diebus, contingere consuescit ut plurimum, ait *P. Zacchias.* qu. 3. n. 23. & confirmat ex L. antiqu. §. sed π. si pars hered. pet. Glossa ad L. Cum quidam &c. §. suum hered. π. de acquir. hered. *Alex.* ad h. leg. n. 4. sed *Paulus* n. 3. ad eand. leg. extendit ad 60. dies. Verum de 40. diebus convenit quoque *Marinellus,* de Med. mul. l. 3. cap. 4. supraque eos factam existimat portentosam. Consentit *Carranza* Tr. de. partu cap. 19. *Zacchias* l. d. qu. 4. n. 18. seq quamvis ejus rationes non ubique satisfaciant. Arbitror omnibus ferme posse fieri mensibus, magis tamen in prioribus, priore fœtu adhuc minore.

§. 12. Quod posterius in lucem emittitur, nondum partium distinctionem habet, sed caro exsistit neque intumescit, verum putrescit, donec utero exeat, scribit *Hippocr.* lib. de superfœtat. fol. 41.

Quamvis multa reclamet experientia. Plerique vero ſuperfœtati fuere maſculi, ut ex hiſtoriis conſtat. Quandoque fœminæ tertium ſuperfœtant, ita ut duos fœtus vitales edant, tertium vero intempeſtive ejiciant: *Sennert.* Prax. l. a. Alias ſuperfœtatio non facile cognoſcitur, niſi forte ex motu infantis, ſi tardius in utero conceptus ſit & moveatur. Idem ibid. Conſtat præterea, quod notandum, unico coitu conceptos ejusdem ſexus unica ſecundina includi, conceptos autem diverſo coitu etiam ejusdem ſexus habere ſingulos ſuas ſecundinas P. *Zacchias* qu. 3. n. 11. & probat ex *Hippocr.* lib. de ſuperfœt. (quamvis ſibi ipſi contrarietur lib. de nat. puer. in fin.) *Fernelio*, *Pareo*, *Laurentio* aliisque. Conf. *Herc. Saxon. & Sennert.* l. a. Contrarium tamen exemplum habet *C. Bauhin.* ad Rouſſet. Cetera valde convenit ſuperfœtatio cum gemellorum geſtatione. *Sennert.* & *Viardel.* l. a. Rarius quoque inter mulieres, ſæpius inter bruta accidit. *Viardel.* ib.

§. 13. In prognoſi putant aliqui non eſſe vitalem ſuperfœtationem, quo etiam inclinat Hippocr. l. de ſuperfœt. Contrarium tamen elucet ex variis exemplis ſupra §. 8. obiter tactis. *Sennertus* & *Sinibaldus* putant, utrumque eſſe poſſe vitalem, ſi conceptio fiat die eâdem vel ſequenti aut ſaltim non longo poſt intervallo. Verum ambo illi apud. *Nic. Florent.* tribus diſtabant menſibus, & tamen bene vixerunt ambo. Atque Nobilis ab Hirſchhorn poſt decimam hebdomadam natus ſupervixit: ut alia taceam. Nimirum pro robore & matris & fœtus

alia-

aliarumque circumstantiarum res succedit. Interim credibile est, ut *Sennertus* scribit, superfœtationes, quæ post primum conceptum longiore accidunt intervallo, gravidis plerumque dolores & sibi & fœtui priori quoque interitum conciliare, aut saltim periculosas esse, uti ex aliis probavit *Zacchias* qu. 3. n. 19. Quamvis & hic distingui velim.

§. 14. Denique quæ tempore gestationis observanda, qualiave prophylactica adhibenda, docuit *Sennertus* l. cit. quo L. B. brevitati studens ablego.

COROLLARIA.

1. Et Biblia Sacra & Corpus Juris multa habent, quorum explicationem veram debent (1) *Medicinæ atq; Physicæ.*
2. In generatione *mulier* (2) *ferme magis* contribuit ac vir; secus ut antiquorum multi statuerunt.
3. Longe magis nocet *excessus* (3) & *crapula in cibis* iisque variis, quam in potu.
4. Physiognomia egregium est artificium ad cognoscendos & mores & naturas hominum; Medicoque tum maxime condignum.

NOTULÆ AD COROLLARIA.

(1) MEDICINÆ ATQUE PHYSICÆ] Hinc doctissimus *Vallesius* scripsit Philosophiam sacram satis erudite; hujus vestigia secutus est *Joh. de Mey* in Physiologia Sacra, quæ lectu digna, ut plures alios nunc prætercam. Sic CL. *Joh. Müller*, Hamburgensis in Thesibus Mathem. phys. in Procem. fol. 5. (Heidelb. 13. Dec. 1656 Præside Dn. D. Leuneschloss.) promisit Commentarium in loca S. Scripturæ mathematica, quem in 4. classes distribuet: prima continebit in sese loca S. Scripturæ Geo-

graphica; ſecunda, loca Aſtronomica; tertia loca Chronologica; quarta reliqua loca, quæ non commode ad aliquam trium harum claſſium referri poterunt, uti ſunt locus de ſtructura arcæ Noæ, de ſtatua ſalis, in quam Lothi uxor converſa, de mari aheneo fuſili Salomonis &c. An vero CL. auctor promiſſis ſteterit, nondum reſcivi, opus alioquin ſatis laudabile.

2. MULIER FERME MAGIS] Vide ſententiam *Ariſtot.* huc inclinantem apud *Mart. Weinrich* de monſtr. cap. 14. pag. 119. a. qui p. p. addit: *Galenus* ſcribit paulo plus fœtum a matre quam a patre accipere. Legi & idem Weinrichius meretur ibid. cap. 15. pag. 141. ſeq. & pag. 120. a. inquit: Itaque ex his quidem veriſimilius fuerit ab utroque materiam communicari fœtui, niſi quod dari debet, plus facultatis a viro transfundi, a matre plus materiæ, h. e non ſemen modo ſed & ſanguinem, quo alitur & augetur conceptus. Semen quod decidit, generationis etiam cauſa eſt, ſed ſanguis auctionis & incrementi principium, unde corpus ex fœmina eſſe *Ariſtot.* dixit, animam a mare. Huc ref. omnino *Bern. Connor* in Evang. Med. pag. 69. qui plura in hanc ſententiam habet. *Car. Frid. Below* in Diſp. Inaug. de Caduco muliebri Præſ. D. *D. Jo. Ern. Schapero* Roſtoch. 1699. Coroll 13. & 14. ſcribit: Materiam generationis ſolas ſuppeditare fœminas, ac mares ad eam nil conferre tam certum quam quod certiſſimum eſt Pariter uterus tantum pro conſummatione generationis, non vero ejus inchoatione eſt habendus.

3. NOCET EXCESSUS IN CIBIS] Lege omnino *Joh. Pincier.* Meditatt. variar. lib. 4. cap. 7. pag. 67.

SATY-

SATYRA DECIMA QUARTA.
DE
TERRA LEMNIA.

§. 1.

TErra Lemnia a Patria cognominatur Insula Lemno, Vulcani, juxta Poëtas, officina; Ibi enim effodiatur in monte prope urbem Hephæstiam, hodie *Cochino*. Collis ille ita est absconditus & tectus, ut non, nisi a loci gnaris, cognosci ullo possit modo. Revera autem est rufus, sive mavis fulvus, atque in eo neque arbor, neque herba aut alia stirps fruticat, nisi ægre; nec saxum natum invenitur, sed visitur tantum illiusmodi terra.

§. 3. Effoditur autem hæc terra quotannis tantum semel, nempe sexto Augusti, testibus *Augerio Gislenio a Busbeq.* Epist. 3. & 4. *Michaele Heberer* Servitut. Ægypt. lib. 2. cap. 50. & lib. 3. cap. 12. atque *Jo. Jac. Boissardo* de Divinat. cap. 11. f. m. 181. & quidem sequenti modo: Sacerdotes Græci καλόγεροι dicti, primo in sacello ad dictum montem σωτῆρα dicunt, atque liturgiam peragunt religiosissimam: qua peracta deinde per quinquaginta vel sexaginta fossores cespites e terræ superficie divertunt, telluremque aperiunt, donec deveniunt ad venam terræ sacræ, in sacculos Cilicios indunt, & diligenter clausos demum reportant ad Weiwodam sive Lemnii Præfectum, in cujus præsentia redigitur in pastillos, teste *Boissardo* l. a. Conf. quoque de antiquo modo *Galenum* lib. 9. simpl. *Aug. Quir. Rivinus* de Medic Superstit. §. 50. Lipf. 1698. ait:

ait: Terra Lemnia, in Insula Stalimene, ut hodie dicitur, e Monte Vulcano quotannis effoditur oriente sole, per sex horas, die 6. Augusti tantum, id enim nisi fiat, nullam habere putatur efficaciam. Vid. *P. Bellonii* lib. 1. Observatt. cap. 28. & 29. *Ol. Wormii* Museum pag. 9. *Fr. Placentia* in Mari Ægeo redivivo pag. 431. Verum ipse CL. *Rivinus* id inter superstitiones numerat.

§. 3. *Dioscorides* atque alii, saltim coloris rubedine inducti, (quæ enim alia tacita subsit virtus admistionis illius, me usque fugit) credebant massæ huic terreæ admisceri hircinum sanguinem. Sed recte refutant hoc *Renodæus* de Mat. med. lib. 2. s. 1. cap. 1. atque *C. Hofmannus* in Paralip. med. officin. cap. 44. Quin imo ipse *Galenus* (qui vel unicæ hujus terræ gratia iter in Lemnum direxit, ut ipsemet testatur lib. 9. de Simplic. med. facult. Conf. *Philipp. Labbeum* in Vita *Galeni*) teste *Anton. Musa* in Examine simplicium p. m. 473.

§. 4. In Pastillos redacta terra olim signabatur sigillo capræ, videlicet in honorem Dianæ. Hic mos perduravit multis seculis, testibus *Homero*, *Herodoto* atque *Dioscoride*; tempore tamen Galeni sigillum hoc desierat imprimi; vid. omnino *Boissardum* fol. 189. ubi & icones additas habet. Hodie imprimuntur characteres Arabici, quos Latine forte ita scripseris Tin imachton, i. e. terra sigillata: quemadmodum ejus aliquot typos exhibet *Bellonius* lib. 1. obs. 31. atque *Conr. Gesnerus* lib. de figuris lapp. &c. cap. 6. p. m. 102.

§. 5. Ultimo ita signata mittitur Constantinopolin ad Imperatorem Turcicum, ita tamen, ut aliquam sibi servet partem Lemnii Præfectus. Reliquis autem interdicitur sub pœna capitis & bonorum confiscatione. Inde quoque credo profectum esse,

ſe, quod Terra proprie Turcica characteribus Turcicis inſignita, communiter pro Lemnia venditetur, teſtibus *Renodæo* atque *C.Hofmanno* ll. aa. cum tamen terræ Lemniæ Galeni minime reſpondeat, teſte *Schrœdero*, qui tamen litem interim ei non movebit, qui terram ſigillatam in placentulis cineritii coloris Conſtantinopoli advectam pro vera Lemnia uſurpare velit; cum ea inter modernas ſit præſtantiſſima.

§.6. Hæc Terra Lemnia adeo pinguis eſt ſubſtantiæ, ut e ſevo conſtare videatur, dumque in ore contenta dentibus confringitur, inſtar butyri liqueſcit. Color illi juxta Dioſcoridem & Galenum fulvus ſeu rufus eſt. Hodie autem potius ex his coloribus declinat, & cineritius videtur.

§. 7. Terra hæc vulgo omnium æſtimatur præſtantiſſima, hinc ſummo habetur in pretio, teſte *Boiſſardo* l. a. verum *Renodæus* de Mat. med. lib. 2. ſ. 1. cap. 1. credit magis ceremonias & ſuperſtitiones barbaræ gentis nobilitare terram, quam virium præſtantiam. Cui tamen minus ſubſcribere cogito, meliora edoctus. Valet autem vel ut amuletum (quamvis ita illi parum aut nihil tribuam) vel ut medicamentum internum in peſte, & contra venena varia e. g. ſerpentum & cæterorum, teſte *Kirchero* in Mund. ſubterr. lib. 7. ſ. 2. cap. 4. f. 337. quando cum vino pota venena intro ſumta vomitione expellat. Reſiſtit etiam putredini; hinc maxime in febribus malignis eam laudat *Læl. a Fonte* Conſult. 62. p. m. 382. Conf. etiam *Petrum a Caſtro* Lib. de Febre puncticulari. Contra morbos contagioſos commendat etiam *Renodæus* l. a. Plura de ejus viribus habent *Dioſcorides*, *Plinius*, *Galenus*, *Matthiolus*, &c. Nos hic brevitati ſtudentes, ῥαψῳδῶς hæc delibavimus; plura & accuratiora aliquando B. C. D.

SA-

SATYRA DECIMA QUINTA DE TRIPLICI LACTE VIRGINIS.

I.

LAC VIRGINIS PHYSIOLOGICUM.

§. 1.

Ἄνευ προοιμίου, quæ Areopagitarum erat formula, disquirendum propono atque propino; *An videlicet Virgines intaminatæ in mammillis suis naturaliter lac aut habere possint, aut jam olim habuerint, & unde hoc?*

§. 2. *Negantium* insignis est caterva; quæ & *auctoritate* & *rationibus* se tueri satagit. In hoc censu reperio Philosophos, Philologos, JCtos, atque, quod mireris, etiam Medicos.

§. 3. Philosophos primum audiamus. Logici *ad unum omnes hoc ipsum adseverare minime dubitant. Quid, quæso, crebrius in eorum scholis & subselliis jactatur & personat, quam hæc, nulla arte, ut ipsi putant, convellenda argumentatio?* Lac habet: Ergo peperit; *vel saltim, quid sit virum insomnem amplecti, experta est*, sunt verba *Iacobi Hasebardi ap. Th. Bartholin.* in Cista Med. Hafn. locul. 23. p. m. 244. Conf. quoque *Philipp. Melanchthon.* lib. 4. Dialect. in loco, a signis. Hinc quoque *Sextus Empiricus* pro certo assumit: *Si lac habet in uberibus: E. concepit.* In quem etiam sensum *Artemidorus* ait: Ἄνευ συνουσίας ἀφροδισίου οὔποτε σχείη, citante Cl. *Henning. Arnisæo* ap. *Th. Bartholin.* l. a. p. m. 377. Et ut Deum aliquem habeant Tutelarem,

em, in subsidium vocant Antesignani sui *Stagiritæ* verba ex III. H. A. 20. hæc: ού γίνεται δὲ γάλα, πρὶν μὲν ἔγκυον γένηται, οὐδενὶ τῶν ζώων, i. e. *Nulli animalium lac fit, priusquam uterum ferat.*

§. 4. *Philologi* etiam negantibus se associant; argumento ex nominis ratione atque derivatione petito; παρθένος enim Græcis, Latinis Virgo, ideo nominetur, quia non lac habeat. Audiamus *Eustadium*, *Archiepiscopum Thessalonicæ*, ἐν ταῖς παρεκβολαῖς, εἰς τὴν Λ. ῥαψωδ: τῆς Ὀδυσ: ὁμήρ: (*Edit. Roman. incept. A. C.* 1542. & *absolut.* 1549. quam benevole mihi concessit Nobiliss. Dn. *Camerarius* ex instructissima sua Bibliotheca) f. m. 1682. n. 24. inquientem: Παρθένος γὰρ ἡ ἐστερημένη τοῦ θεῖσθαι ἤγουν θηλάζειν, h. e. *Virgo enim, quæ privata lactatione, seu, quæ nondum lactat.* Nimirum præpositio παρὰ privative accipitur (quod Græcis non est infrequens, & monet etiam *Frid. Sylburg.* Nott. ad Etymolog. M. fol. m. 39.) & perinde dein est, sive ad τὸ θεῖσθαι, sive ad τὸ θηλάζειν adponatur, judicio Viri in Græcis doctissimi *I. G. Wilhelmi*, suavissimi amici.

§. 5. Potissimum autem vexata est materia apud JCtos, qui lac in virginum mammis reperiri posse negant, uti *Duarenus* in Comm. ad tit. de Probat. cap. 3. non longe a princ. & lib. 1. Dispp. Anniversf. cap. 27. vers. Necessaria, referente *Henr. Bocero* Tr. de Quæst. & Tortur. cap. 3. n. 18. apud *Kornman.* de Iure Virgin. cap. 9. p. m. 16. Conf. *Jo. Zanger.* in Tr. de Quæst. & Tortur. cap. 2. n. 169. atque *Matth. Stephan.* in Nott. ad Art. 36. P. H. O. adeo, ut pro signo imprægnationis habeant *Cagnol.* in L. *si quis prægnantem* 187. ff. de R. I. Tom. 3. & *Maschard.* de Probat. Concl 1208. n. 10. Vol. 3. allegan-

legante *P. Zacchia* lib. 1. t. 3. qu. 3. n. 20. Et *Jac. Menochius* de Præsumt. lib. 1. qu. 3. n. 3. inquit: *Si probatur, mulierem habere lac in mammis, inde artificialis probatio, seu violenta præsumtio orietur, mulierem hanc fuisse corruptam. Quo sane exemplo usi sunt Fabius* lib. 5. Instit. Orat. cap. 9. Et ex nostris *Bald.* in Rubr. C. de Probat. n. 6. vers. Exemplum de primo. *Natura enim ipsa, non ars efficit, ut lac in mammis habeat mulier propter generationem.*

§. 6. Nec auctoritate privata res vult contenta esse, quin producantur verba *Ordin. Crimin. Carol.* Artic. 36. hæc: **Wo aber das Kindlein, so kürtzlich ertödtet worden ist, daß der Mutter die Milch in denen Brüsten noch nicht vergangen; die mag an ihren Brüsten gemolcken werden. Bey welcher denn in denen Brüsten rechte vollkommne Milch erfunden wird, die hat desselben eine starcke Vermuthung peinlicher Frage wider sich.**

§. 7. Insuper allegantur consuetudines Magistratuum, ubi per obstetrices inquirunt in mammas virginum, si expostititius invenitur vel occisus; ubi, quæ lac habet, arguitur rea, teste *Jac. Hasebardo* ap. *Th. Bartholin.* in Cista Med. locul. 23. p. m. 238.

§. 8. Et quod miremur, ex Medicis multi, & sæpe non infimi subsellii, plane abnegarant, lac aliquando dari in virgine, siquidem *Galenus* Lib. περὶ φιλοσόφου ἱστορίας f. m. 452. Edit. Græc. Basil. A. per *Hervag. & Froben.* Part. 4. inquit:

Περὶ σημείου.

Σημεῖον τοίνυν, οἱ μὲν διαλεκτικοί φασιν ἀξίωμα ἐν ὑγιεῖ συνημμένον. Καὶ ὑγοῦμενον ἐγκαταληπτικὸν τοῦ λήγοντος. Τῶν δὲ σημείων τὰ μὲ

μὲν ἐστιν ἐνδεικτικὰ, τὰ δὲ ὑπομνηστικά. Ὑπομνηστικὸν μὲν οὖν ἐστιν, ὅπερ παρατέθεικε τὸ σημεῖον τῷ ἅμα φανῆναι τὸ σημεῖον. Καὶ τοῦ σημείου τοῦ εἰς γνῶσιν ἡμᾶς ἀγαγεῖν. Οἷον ἐστι ἐπὶ τοῦ κάπνου. τοῦτο γὰρ ἰδόντες, εὐθὺς γινώσκομεν, ὅτι ἐκ πυρὸς γεγονώς ἐστιν. Ἐνδεικτικὸν δέ ἐστι σημεῖον, ὃ μὴ πρότερον παρατηρηθὲν τοῦ σημείου τοῦ διαφανέντος εἰς γνῶσιν οὐκ ἀφικόμεθα τοῦ σημείου, ὥσπερ ἐπὶ τῆς γάλα ἐχούσης, εὐθὺς γινώσκομεν, ὅτι τετοκυῖα ἐστί. Quæ ex verſione Julii Martiani Rotæ, & cognitione atque emendatione Jani Cornarii (in Edit. Baſil. Latin. Tom. 8. ubi ſpurii ſunt; 1549. apud Froben. & Epiſcop.) f. m.10. ita redduntur:

DE SIGNO.

Cap. 8.

Signum a Dialecticis definitur proloquium mentis conjunctum. Item antecedens, cui conſequens aliquod adnexum ſit. Signorum autem quædam oſtendere, quædam admonere dicuntur. Oſtendunt, quæ ſic adnexa ſignificatis ſunt, ut cum primum apparent, nos in cognitionem rei ſignificatæ ducant: ut fumus, quem ſimul atque conſpeximus, ignem ſubeſſe ſtatim intelligimus. Admonent, quæ non niſi prius obſervata in notitiam rei ſignificatæ nos abducunt, ut lac in papillis: *id enim, ubi prius adeſſe cognoverimus, antea peperiſſe mulierem intelligimus.* Huic adſtipulatur *Henn. Arniſæus* ap. *Th: Bartholin. in Ciſta locul. 33. p. m. 378.* inquiens: Lactis præſentiam nihil amplius indicare, quam eam concepiſſe; non autem peperiſſe. Conf.

Cardanus ap. *Joh. Viscerum disp. de lacte, (Respondente Joh. Hartm. Beiero probl. 1.* §. *12. Tubing. 1586.)* it. *Barthold. Scheffer disp. inaug. de phthisi Coroll. 9. Argentor. 1647. Jac. Hasebard.* ap. *Th. Barthol. l. c. &c.*

§. 9. Et ut auctoritati majus pondus adderent, quæsiverunt rationes. Nim. frustra daretur illud lac, cum nullum haberet aut finem aut usum, Conf. *Andr. Laurent. l. 9. Anat. q. 2. Jac. Hasebard. ap. Th. Barthol. in Cista locul. 23. p. m. 242. seq.* Ex Hippocrate atque Galeno Remus & Matth. Steph. ap. Casp. Manz. ad P. H. O. *art. 36. n. 2.* Siquidem juxta πολυθρύλλητον: *Deus & natura nihil frustra.*

§. 10. Lactis vero præsentiam deflorationem arguere probat decantatissimus ille a tota Medicorum schola uteri cum mammis consensus; de quo *Galenus XIV. V. P. 4. & 8. & XVI. 10.* & l. π. φλεβῶν καὶ ἀρτηρίων ἀνατομῆς *c. 8. Soranus c. de utero. C. Hofman. ad Gal. V. P. u. 977. 1006. & 1092. Rolfinc. dissert. anat. l. 5. c. 27. & l. de partibus generat. dicatis part. 2. c. 16. seqq. per tot. Charleton. Oecon. animal. Exerc. 3.* passim, præcipue autem §. *11. p. m. 39. Mœbius Fund. Physiol. c. 20. p. m. 541. Vidus Vidius Anat. l. 3. c. 12. & 15. & l. 5. c. 12. & l. 1. de Medicam. c. 20. Alex. Massarias Pract. l. 4. c. 2. f. m. 240 C. Bauhinus Anat. l. 2. c. 4.* Et cui non dictus Hylas?

§. 11. Hinc quoque videtur esse quod lactantes lunare istud tributum non exsolvant, uti præter com- munem

munem experientiam; inſuper hoc confirmant unanimia ſcriptorum vota; Conf. *Bartbolin. a R. l. 2. c. 1. C. Bauhinus Anat. l. 2. c. 4.* Præcipue *Dietericb* in Jatreo Hipp. p. m. 759. ſeqq.

§. 12. Pari experientia atque certitudine ſcitur impрægnatis eundem adimi fluxum. Unicum, qui ſit omnium inſtar, laudo *Galenum* 14. 5. *P.* 8. ajentem: Τὸν αὐτὸν χρόνον ἐκ ἐνδέχεσθαι, φέρεσθαι τὰ καταμήνια καλῶς, καὶ θηλάζειν τὸ θῆλυ; i. e. *Eodem tempore non fieri poteſt, menſes bene effundere & lactare fœminam.* Quæ certe omnia virginitatem prius amiſſam ſupponunt.

§. 13. Rurſus lac prius non ineſt naturaliter fœmellis, niſi cum menſes incipiunt; & venereus pruritus ſtimulos ſubminiſtrat, quod vel ſororiantes conteſtantur mammillæ: nec etiam prius lac illis deficit, quam ipſæ deſinant impрægnari ac utero ferre; teſte fidiſſima rerum magiſtra experientia.

§. 14. Denique ſuppreſſi menſes non redderentur per mammarum papillas; niſi de ſuperius dictorum conſtet veritate. Effluxiſſe autem menſes ceteroquin ſuppreſſos per mammas fuſius adnotarunt *Amatus Luſit. c. 2. cur. 21. Cordæus Com. 6. in l. 1. Hipp. de morb. Mul.* apud *Sennert. Prax. l. 4. p. 2. ſ. 2. c. 11. Pareus l. 23. c. 52. Salomon Albert. in Anatom.* ap. *Mœbium in Fund. Phyſiol. c. 20. A. Laurent.* ap. *Schenck. l. 4. obſ. Panarol. pentec. 4. obſ. 13.* ac *Jonſton. Thaumatogr. Claſ. 10. c. 5. art. 2. Th. Bartholin. A. R. l. 2. c. 1. p. m. 211. C. Bauhin. Anat. l. 2. c. 4.* Imo etiam per ſpacium illud, quod

mammas dividit. Vid. *Joh. Phil. Lajus disp. de Mens. suppress. §. 11. Giessæ* 1660.

§. 15. Nec reciproce lac efflueret per uterum; nisi tanta utriusque partis esset communicatio. Hoc vero olim esse factum, novimus ex observatione *Cl. V. Casp. Bauhini de obs. propriis* apud *J. Schenck. l. 2. de mammillis obs. 6.* inquientis: *Lac mulieribus per vesicam & uterum expurgari, Clariss. Medicus D. Capellus, se observasse mihi communicavit, ut qui mulierem vidit, quæ dimidium cyathum lactis una cum urina eminxit.* Et *A. Laurent. l. 1. Anat. q. 14.* vidit puerperas quamplurimas, per uterum & vesicam maximam lactis copiam excrevisse; ap. *eund. Schenck. l. a.* Fieri hoc, sed rarius, etiam consentit *Bartholin. A. R. l. 2. c. 1. p. m. 211.* & de lacteis thorac. c. 10.

§. 16. Nova heic exoritur sententia Viri non indocti *D. Joh. Matthæi* Qu. med. 14. (Edit. Herborn. 1616. quod ideo moneo, cum alias usus sim imperfectiore illa A. C. 1603. Francof. edita.) respondentis affirmantibus, ejusmodi lac dari. Distinguendum nimirum esse inter lac verum, album & dulce, & mucum, lactis similitudinem habentem. Hinc illud nunquam, neque in sexu etiam masculini generis, neque in virginibus; hunc autem interdum generari posse, concludit. Nec admodum abludit *A. Laurentius* lib. 9. qu. 2. tale lac in viris non adeo laudabile & verum esse, ac fœminarum asserens, & *C. Bauchin.* Anat. lib. 2. cap. 3. ait: *In viris humorem lacti similem generari, non negamus, sed ad alendum ineptum dicimus, qualem in duobus copiosiore succo refertis observamus.*

§. 17

§.17. Sed verior longe est sententia, quæ pro affirmatione militat; scilicet in virginibus quandoque salva earum integritate, posse lac reperiri. Et ne absurdum hoc videatur; vilissimum prætermittam argumentum, petitum ab auctoritate *Cardani*, *Vesal. Eugubin. Baricell.* &c. it. *Ioach. Camerarii* apud *Schenck. Fortun. Fidelis* de Relatt. Medicor. lib. 3. s. 4. cap. 1. p. m. 409. *Nancel* in Analog. Microc. ad Macroc. lib. 4. cap. 5. *L. Joubert.* lib. 5. de Error. Popul. cap. 3. *A. Laurent.* lib. 8. Anat. qu. 1. *Schenck.* Lib. de Mercat. lib. 1. de Part. pag. 4. class. 4. qu. 124. n. 3. *R. a Castro* lib. 4. de Nat. Mul. cap. 10. & lib. 4. Med. Polit. cap. 12. *Beverovic.* Epist. qu. ad *Lydium* p. m. 35. *Zacut. Lusit.* lib. 3. Prax. hist. cap. 8. circa fin. *M. Sebiz.* lib. 3. de Fac. alim. cap. 7. *Libau. ap. Hornung.* in Cista Med. Epist. 47. in P. S. p. m. 155. *Franc. Ranchin.* de Morb. Mul. *Sinibald.* Geneanthrop. lib. 4. Tr. 2. cap. 6. *Dan. Beckerus* Med. microc. lib. 1. cap. 6. p. m. 15. *Th. Bartholin.* A. R. lib. 2. cap. 1. & Cent. 3. Epist. 38. *P. Zacchias* lib. 1. T. 3. qu. 3. n. 23. & lib. 4. T. 2. qu. med. leg. 1. n. 18. Cl. *P. J. Sachs* heu! olim noster, Schol. ad Ann. 2. Ephem. Germ. Cur. obs. 135. & egregie *Joh. Bettus* Lib. de Nat. Sanguinis cap. 1. sect. 1. §. 4. ac *Th. Cornelius* Consentin. Progymnasm. 6.

§. 18. Tutius argumentum petitur ab αὐτοψία. Malo tamen heic separationem fieri ab illis, quæ miraculo facta esse dici possunt, uti de S. Christina ex *Dionysio Carthusiano* narrat *Cantipratensis* in vita S. Christinæ cap. 4. & ex his *Sim. Majolus* Colloq. 4. hæc enim, cum a necessariis contemneretur, hique illi negarent cibum, propriis ab uberibus, tametsi virginalibus, lacte se nutriverit, vide *Reies* qu. 47. n. 2.

§. 19. Revertor ergo ad physica exempla. Semel

mel observavit in puella Brugensi *Christ. a Vega* Comm. in 5. aph. 39. in Angela Messanensi. *P. Castellus* ap. *Th. Bartholin.* A. R. lib. 2. cap. 1. qui ibid. & Cent. 1. h. 27. in Scaniæ virgine, ejusque tota familia idem observavit. Viderunt quoque *Ioh. Costæus* Annott. ad Ebn-Sinam. *Hugo* Medicus apud *Forest.* lib. 28. obs. 77. in Schol. *Alex. Benedict.* lib. 3. Anat. 4. *R. a Castro* lib. 4. Med. Polit. cap. 12. & *Borell.* cap. 1. obs. 49. ex *Ioh. Fabr.* Lynceo in Nardi Comm. 4. Huc per aliquam affinitatem refero, quæ habet *Louyse Bourgeois* (vers. German. Oppenhemii 1619.) im Hebammen Buch 1. Th. 1. Capitel am 28. Blat ita: Allhie, und an diesem Orte, kan ich wohl mit Wahrheit sagen, daß ich ein Weib gekannt, welche ihres Alters von ohngefähr 48. oder auch 50. Jahren sein möchte, und die Tage ihres Lebens nie kein Kind hatte gehabt, und hatte doch Milch in denen Brüsten, daß ihr solche ausfloße. Imo etiam ter observavit *Ericus* Collega *Foresti*; ceu hic allegat lib. 28. obs. 77. in schol. Dn. D. *Daniel Crugerus* in Miscell. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. 9. obs. 139. pag. 241. notabile habet exemplum puellæ 18. septimanarum lacte instructæ. Obstetrix quædam apud *Blancard.* in Ephem. Holland. cap. 7. n. 11. pag. 17. retulit: Sibi neptem esse virginem, quæ lac habuerit in mammis. Matronam, cui anno ætatis 45. menstrua cessarunt bona cum valetudine, & annum 60. ingressæ redierunt rubri bonique coloris, uberibus simul turgidulis lacteque plenis, ut impulsu ferretur & puerulum filiæ suæ a Medico lactare juberetur, novit *Jul. Cæs. Barigellus* Hort. Genial. pag. 349. seq. Aliud exemplum affert quoque *Hagendorn* Ann. 3. Eph. Germ. Nat. Cur. obs. 136.

§. 20.

§. 20. Nec rationes desunt. Lactis enim materia, efficiens, viæ &c. non demum tanquam nova ἐπιγινόμενα accidunt; sed saltim horum usus aliquando incipit, cui vel levior aliqua potest servire occasio.

§. 21. Ita sola suctio satis valebit rem efficere, rei fidem faciente *Aristot.* 3. H. A. 20. Nec deest rubrica virginis lactantis, siquidem *Phil. Salmuth* Cent. 1. obs. 92. refert hanc historiam: *Serva quædam curam agit infantis, atque illum in eodem secum lecto reponit; ac prout petulcæ quandoque solent esse, mammam sugendam frequenter exhibet. Sistuntur menses: Lac vero in mammis gignit, lactat.* Simile contigisse ante paucos annos Goslariæ olim commilito honor. D. D. *Ioh. Iacobi* in Problem. Miscell. circa Physiolog. qu. 49. p. m. 85. Qui ibidem probat per filiam illam virginem, (quamvis ex textu hoc non pateat satis) quæ patrem in carcere detentum uberibus per longum tempus aluit: Historia est ap. *Val. Max.* 5. 4. 1. in externis. Conf. An. 2. Ephem. Germ. Cur. obs. 135. cum scholio.

§. 22. Immo etiam in vetulis suctione non raro lac iterum allicitur. Afferam verba *Amati Lusitani* Cent. 1. Curat. 47. p. m. 131. inquientis: *Visæ sunt mulieres, quibus menses ob ætatem grandiorem suppressi erant, & tamen illis lac copiosissimum ad mammillas devenit, solo puerorum suctu, quos postea lactarunt, & ad annum & plus, ac si pepererant, eos tractarunt. Ex iis autem mulieribus a me* una Ferrariensis, *ætatis quinque super quinquaginta annornm, visa est:* Altera *vero nobilis apud Lusitanos Santarenensis, nata annos prope sexaginta.* Addo *H. ab Heer obs.* 14. *in fine p. m.* 195. qui ita: *Quod sequitur, miraculo affine est. In vico doliariorum Oda Iosaii in tertio partu extincta, relicto vivo pupillo,*

Iohannæ Odæ mater quinquagenaria major, miserata nepotulum ejulantem, aridas jam dudum ab undecim annis mammas ori ejus applicat; sugit infans cum immani omnium stupore, lactis magnam copiam elicit, idque multis post mensibus continuat; dum adolesceret, commodeque alios cibos potumque admitteret. Ita natura nunquam deficit in necessariis, & sitienti Ismaeli, etiam in pumice aquam, quo vitam sustentet, ostendit. Plane similem historiam factam in oppido Hami Veromanduorum ex *Bodino* Theatr. Nat. lib. 3. p. 429. refert *J. Schenck.* lib. 2. de Mammillis obs. 12. f. m. 305. & *Deusing* de lacte s. 1. §. 16. Pariter rusticanam piissimam viduam, prope sexagenariam, motu caritatis, 7. hebdomadibus aluisse bimestrem expositum infantulum, solius avidi suctus occasione, contestatur CL. D. D. *Francisc. Bouchardus* in Ephem. Germ. Cur. Ann. 3. obs. 10. Conf. *Ebn. Sinam* lib. 3. Can. fen. 12. Tr. 1. cap. 3. & *Costæum* ad h. l.

§. 23. Et cum superflua non noceant, vel ipsis monentibus CL. Juris antistitibus l. non solent 94. ff. de R. I. l. pediculis 32. §. Labeo ff. de aur. & arg. leg. DD. ad text. lib. 28. pr. C. de Test. Post humana exempla addo brutum. Canis Anglicana, virgo adhuc, sua ubera sugendo, lactis materiam attraxit, teste *Libau.* apud *Hornung.* in Cista Med. Epist. 47. p. m. 155. *Bern. Ramazzinus* de morbis artificum cap. 20. pag. 144. ait: „Satis curiosa est „historia & notatu digna, quam *Regn. de Graaf* de „Viror. organ. refert: Ait enim, quendam Delphis „catellam satis pinguem habuisse domi, e cujus „mammis lac felis exsugebat, licet catella nunquam generasset, quam idcirco herus diligenter „custodiebat, ne tunc temporis, cum illam coitum „appetere cognoscebat, domo exiret, & amasium

repe-

reperiret, cui jungeretur; sed cum tandem canis" extraneus clam illam iniisset, ex eo tempore felis" noluit amplius catellæ lac exsugere." Sic ipse ego caniculam alui, *plaisir* dictam, quæ 11. annis vixit, nec unquam a cane inita fuit, nihilominus cum esset 2. ac 3. annorum, eo tempore, quo catulire solent, non solum ichor cruentus per pudenda effluebat, sed etiam lac in mammis copiosum præbebat, ut exstillaret, ac pulvinar terramque, ubi jacebat, maxime humectaret. Conf. *Theod. Kerckring. Spicileg. Anat.* obs. 21. Ita ipsemet novi exempla, ubi per frequentem uberum contrectationem, in vitulis majoribus atque capellis fuit tandem lac prolectum.

§. 24. Majorem promeretur admirationem, quando & *infantes* & *pueri*; imo *viri* lac profuderunt; prout monumentis litterarum observationes tales consignatæ sunt. De Infantibus hoc perhibent *Jul. Cæs. Baricellus* Hort. genial. pag. 323. *Corn. Gemma* Cosmocr. cap. 7. *Thom. Cornelius Consentinus* Progymnasm. 6. p. m. 222. *Deusing.* Disp. de lacte s. 1. §. 17. *Th. Bartholin.* cap. 3. Epist. 38. Quin imo hoc communiter accidere in recens natorum mammillis ex *Harvej.* de Generat. anim. Exerc. 55. asserit *Charleton* Oeconom. anim. Exerc. 3. de Galaxia §. 6. p. m. 30. Et *Th. Bartholin.* cap. 3. Epist. 38. p. m. 143. statuit, infantes fere omnes tam mares, quam fœminas, ab ortu ad mensem integrum lac per mammillas reddere; illud autem, (quod tamen alii prætendunt,) non esse maternum credit, sed proprium, quia chylo æque hi ac matres nutriantur. Conf. *Schneider* lib. 3. de Catarrh. cap. 3. pag. 101. Rationes quoque reddit *Deusing* de Lacte §. 26. Exemplum est apud *Cardan.* lib. 12. subtilit. recensente *J. Schenck* lib. 2. obs. de Mammill. 13. Sic *Augustinus Niphus* Comm. ad lib. 3. de animal

nimal. cap. 20. illud in filio suo vidit, citante *Reies* l. a.n. 9. & *Baricellus* in Hort. Geniali p. m. 323. in duobus suis filiis a partu statim, uti & in aliis quoque infantibus asseverat. Conf. *Ioh. Rhodium* Cent. 2. obs. 37.

§. 25. In *Viris, Juvenibus* ac *Pueris* res iterum vero verior deprehenditur. Testes laudamus *Aristot.* 3. H. A. 20, & 1. 12. *Ebn-Sinam* lib. 3. Can. fen. 12. Tr. 1. cap. 3. *Costæum* Annott. ad h. l. & iterum *Ebn-Sinam* 13. de animal. ap. Mercurial. lib. 3. de Morb. mul. & *Th. Bartholin.* A. R. lib. 2. cap. 1. *Nicolaum Nicolum* Flor. serm. 7. Tr. 1. summ. 2. cap. 39. *Vesalium* lib. 5. cap. 18. *Hier. Fabr. ab Aquapend.* lib. 3. Pentateuch. Chir. cap. 13. (ap. *Schenck*) atque *Hieron. Eugubin.* lib. de lacte ap. *Schenck Reies* & *Sinibald Albert M.* lib. 3. de animal. cap. 9. *A. Laurent.* lib. 2. Anat. cap. 2. *Cardanum S.* 5. aph. 37. (ap. *P. Zacchiam*) & lib. 12. de Subtilit. (apud *Beverovic.* p. m. 36. *Marcell. Donat.* lib. 6. Hist. Med. mir, cap. 2. p. m. 610. *H. Arnisæum* apud *Th. Bartholin.* Cist. med. p. m. 377. *Greg. Horst.* Tom. 1. Oper. med. I. N. *Stupan.* Comm. in aph. p. 53. *I. B. Sylvaticnm* in Controvers. med. 69. paulo ante med. (apud *P. Zacchiam*) *Th Bartholin.* cap. 3. Ep. 38. *Th. Cornel.* Consent. p. m. 222. *Deusing.* de lact. sect. 1. §. 25. *Joh. Rhodium, Joh. Bettum* de Natura Sangu. cap. 1. sect. 1. §. 6. *Beckerum* Med. microc. lib. 1. cap. 6. *Jacob. Pontan.* Comm. ad Virgil. Eccl. 3. *Zwinger* in Theatr. 5. H. f. 295. *Vales. de Taranta* in Obs. rar. a *Dodonæo* Collect. p. m. 214. *Ionston.* in Thaumatogr. Class. 10. cap. 5. art. 2. *Baricell.* Hort. genial. pag. 323 *Jo. Viscerus* Comm. ad Hipp. 5. Aphor. 39. pag. 392. ait: Quod testes ad generationem lactis conferant, etiam hoc argumento est, quod viri quoque nonnulli carnosi scili-

cet

cet ac bene mammati lac gignant maxime, si frequenti suctu & frictione utantur. Denique multis auctoribus rem peragunt *Reies* qu. 47. n. 9. seqq. atque *Sinibald* Geneanthrop. lib. 4. Tr. 2. cap. 6.

§. 26. Experientia protinus totam componit litem variis exemplis. Tale Syri cujusdam filium lactantis est apud *Alex. Benedict.* lib. 3. Anat. cap. 4. In Flandro observavit *Walæus* (apud *Th. Bartholin.*) in Calabro *Santorellus* (ap. eund.) In alio *Sinibald.* lib. 4. Tr. 2. cap. 6. In Cive Brisacensi *Joh. Conrad. Schenckius* (apud Parentem *J. Schenck.* lib. 2. de Mammillis obs. 11. & apud *Th. Bartholin.* in Cist. pag. 255.) Non semel vidit *Deusing.* de Lacte §. 25. Vidit quoque *P. Zacchias* lib. 1. T. 3. qu. 1. n. 21. In Doctore juniore Medicinæ Regiomonti conspexit A. C. 1641. CL. D. D. *Simon Scholtz* obs. 135. Ann. 2. Ephem. Germ. Cur. Scholæ Brunsvicensis quendam alumnum vidit *Joh. Jacobi* in Problem. miscell. qu. 49. qui, quoties vellet, lac ex papillis exprimebat. Virum agnosco, scribit *Borell.* cap. 1. obs. 49. qui lac e mammis coram me effudit. Commilitonem talem A. C. 1610. Parisiis habuit *P. Lauremberg* Acer. Phil. Cent. 3. Hist. 82. Sic *Mich. Ruccerus* Prof. Tubing. Comm. in 5. aph. 51. vidit virum mammosum, pressu lac emittentem Tubingæ apud Celeb. D. D. *G. H. Velschium*, Fautorem & Amicum nostrum honoratiss. Chil. 2. Exoter. Cur. & obs. 302. Ita frater minorennis illius puellæ lactantis in Blecklingia Scaniæ ubertate lactis turgidas produxit papillas, apud *Th. Bartholin.* A. R. lib. 2. cap. 1. & c. 1. Hist. 27. Conf. quoque *Christoph. a Vega* Comm. ad 5. aphor. 39. Excell. Dn. D. *Henr. a Möinichen* Collega honoratiss. heic Hafniæ in arce mihi retulit, se Romæ anno 1658. vidisse quendam equos elocantem, (Italis *Vittorino*) Car-

Carlinum dictum, qui e mammillis copiosum lac ad scyphum, quandocunque volebat, exprimebat. Imo de tota talium virorum gente lege *Renuardum Cysatum* de Insul. Iapon. &c. Germanice ap. *J. Schenck* obs. lib. 2. de Mammill. obs. 11. fol. m. 305. a. &c.

§. 27. Nec obstat, quicquid pro negativa hujus sententia proponit *Hier. Mercurial. l,3. de morb. mul. in præfat. ubi*, quæ *Aristoteles* & *Ebn Sina* de eo dicunt, pro fabuloso. aut saltim ostento habet. Sed ratiunculæ ejus sunt invalidæ; & exemplorum copia, certitudo atque claritas satis est pro illo convincendo. Nec nos moveant verba *Auctoris libri de Glandulis*, περὶ ἀδένων (nec enim Hippocratis, sed junioris cujusdam esse propter stylum & mentem credit *Galenus*; Conf. M. *Sebiz. disp. 1. de Pilis probl. 6. §. 10.* Nec ab *Erotiano* inter Hippocratis libros in proœmio accensetur; tolerat tamen *Anut. Foesius com. ad dict. libr. f. m. 125.*) *f. m. 55.* dicentis: Ποιέουσι μὲν (scil. γάλα) αἱ γυναῖκες, οἱ δὲ ἄνδρες οὐ ποιέουσι. i. e. *Faciunt quidem mulieres (lac) viri autem non faciunt.* Cum Auctor loquatur de illo, quod sollemniter ac frequentissime fit, ideoque recte excusatur a *Cl. Sim Scholzio Ann. 11. Ephem. Germ. Cur. obs. 135.* in quo prævium habuit summum *Aristotel. 3. H. A. 20.*

§. 28. De brutis masculis παραλλήλως liceat quædam interspergere. Capri lac exstillantis exemplum legitur ap. *Aristotel 3. H. A. 20.* idemque proli ejus capri masculæ evenit; teste *eodem ibid.* atque ex eo *Lauremberg. l. a. & infiniti alii*

Pari-

Parilem hiſtoriam habet *Franciſcus Xavierius l. 2. Epiſt. 3.* ap. *Aldrovand. de biſulcis c. 9.* & ap. *C. Schott. Phyſ. Curioſ. l. 8. c. 26. §. 8. p. m. 1006.* atque *Reies q. 47. n. 12.* Tres tales uno eodemque tempore in Bohemia a ſe viſos peculiari Epiſtola ad Caſp. Peucerum teſtatur *P. A. Matthiolus l. 3. Epiſt. 26. p. m. 406.* qui ipſe lac emulſit una cum aliis curioſis; additque profuiſſe Epilepticis; magis tamen infantibus, & conteſtatur idem *Peucerus* ap. *Marcell. Donat. lib. 6. c. 2.* ex Matthiolo *Jo. Viſcerus* Commen. Hipp. V. aph. 39. p. m. 392. ex Peucero Hanemannus nempe Jo. Chriſt. Sturm. in Calendar. Anno 1692. ad menſ. Januar. A. 3. ubi & de hirco Conſiliarii cujusdam Suecici tantum lactis habenti, ut mulgeri debuerit, quin caſei ex illo facti caritatis ergo hoſpitibus appoſiti ſunt. *Cælius* quoque *Calcagninus in Epiſtol. l. 1. ad Comitem Thomam Nepotem* idem duobus catulis accidiſſe affirmat, teſte *Sinibaldo Geneanthrop. l. 4. tr. 2. c. 6.* & *C. Reies q. 47. n. 13.* Denique *Th. Bartholin. c. 3. Epiſt. 38. p. m. 142.* ait: *Ruſtici cujusdam mei pullus equinus lac tanta copia profudit, ut pro ipſo alendo ſatis eſſet.* Additque *pag. ſeq. In ovilibus noſtris res notiſſima eſt, frequenti contrectatione pupillarum agnellos mulgeri poſſe.*

§. 29. Sed pergimus paucis ad brutas fœmellas. Vaccæ virgineæ mulgentur antequam initorem bovem admiſerunt, teſte experientia & *Bocero* ap. *Kornman. de jure virgin. c. 9. p. m. 18.* Denique mula ſterilis aliam parvam aſina editam lacte ſuo alebat, vidente *Nierembergio l. 9. Hiſt. Natur. c. 68.*

§. 30.

§. 30. Concludimus ergo salva integritate, & abs ulla impraegnationis suspicione in mulierum mammis lac inveniri posse, & quidem genuinum ac verum. Adde *AUCTOREM Oeconomiæ animalis*, quem *Theod. CRAANEN* credunt (qu. 118. Part. I. pag. 130. *Henn. ARNISÆUS in Controvers. Anatom.* §. 4. pag. 281. ait: *Lac in mammis non præbet naturalem seu violentissimam præsumtionem corruptæ virginitatis, cum ex regurgitantibus menstruis generari possit & conspectum sit in masculis ipsis plethoricis.* Sed raro hoc contingere asserimus cum *CL. Jonstono; Fautore & Amico nostro, dum viveret, honoratissimo in thaumatogr. class. 10. c. 5. art. 2. in fine.* Conf. omnino quoque *Fr. Ranchin. tr. de morb. virgin. sect. 1. c. 16.* quamvis non adeo admodum rarum esse, propter experientiæ frequentiam, haut male scribat *Celeb. Th. Bartholin. in Cista Med. locul. 23. p. m. 254.* Tantum ergo abest ut noxam integritati afferat, quin idem lac in virginibus & innuptis est laudabilis naturæ signum; ceu censet *J. C. Dietrich diss. solemn. 22. θ. 8. Giessæ 1658.* secus ac *I. T. Schenck*; *qui diss. de natura lactis art. 4.* §. *1.* ait: *In non gravidis, ut in virginibus, cum apparet, morbi signum exsistit, non secus atque cum lactantibus deficit.* Verum ego utrobique distinguendum puto.

§. 31. Addimus tamen hoc apprime notandum; quod ad instantiam vulgi creduli, muliercularum imperitarum, obstetricum simpliciorum (his enim, earumque fide non semper stricte adeo standum est, uti recte contra *Mascardum concl. 1130. n.*

30.

30. & *Jodoc. Damhouder.* probat *Siton. in Miscellan. Curios. tract. 51. p.m. 359.* & *CL. Ammannus Med. Critic. discurs. 95. p. m. 475.* quia sæpe manus & oculus fallit obstetricem, per *text. in Cap. Caussam matrimonii, & Cap. Nec aliqua 27. quæst. 1.*) aliorumque minus hujus rei gnarorum; non statim, si ejusmodi lac deprehendatur, vel in virgiue, vel in vidua, vel alia muliere, de imprægnatione, vel læsa pudicitia pronunciandum sit.

§. 32. Ideo etiam bis pro talibus insontibus pronunciavit *Facultas nostra.* Nim. semel A.C. 1674. pro juvencula 16. annorum zu D. Et iterum nuper hoc anno 1678. m. Febr. pro vidua 35. ann. itidem zu D. utrobique mensibꝰ ad annum ferme suppressis. Et non sine ratione posteriori responso adnectebamus hæc verba: **Als können wir in Ermangelung kräfftigern Beweisthums solche nicht** pro gravida **weniger** pro puerpera **erkeñen.** Siquidem graviora deinde emerserunt indicia & ipsa reæ confessio.

§. 33. Et ne plane pro confesso admittamus, quod superius a variis Viris eruditis in contrarium fuit allegatum, ea hac vice tentabimus, quid vires valeant in responsione ad eorum placita, ubi prius protestor me plane nihil in optimas personas dicturum esse; quin cordati est videre non quis, sed quid dixerit quisquam.

§. 34. *Philosophorum* argumentatio videtur saltim id adstruere quod ordinarie aut saltim frequentissime accidit. ἁπλῶς enim vera non est hypothesis. Hinc *Clemens Timplerus l. 3. Metaph. c. 4. p. m. 457.* lac in mammis Virginis repertum

ait

ait esse signum partus, sed saltim externum contingens, quod nim. incerto illud significet. Nec illos juvare potest tutela *Aristotelis*; depravate etenim locum allegant; &, quod maxime illos ferit, videntur studio omisisse: clarissimis enim & expressis verbis addit Philosophus: ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Quod & bene animadvertit *Ol. Worm.* ap. *Th. Bartholin. in Cista Med. p. m. 253.* atque de cetero hoc posse adclamari severioribus Philosophis: *Ne sutor ultra crepidam.* Additque: *Aut se intra limites suos contineant, aut accuratius suum evolvant Aristotelem; qui & de his & aliis melius eos erudire potest: aut credant artificibus in sua arte, & tum demum de rebus cognitis & prospectis judicent & pronuncient.*

§. 35. *Philologis* quod reponamus, facillime habemus ad manus; siquidem a nomine non firma ducuntur argumenta, uti recte docet *Scheibler. tr. syllogist. §. 15. c. 15.* Verum interim maneat illud *Epicteti*: ἀρχὴ παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις, i. e. *principium eruditionis est nominum trutinatio*; cui facem quoque præluxerat *Plato in Gorgia*: ὃς ἂν τὰ ὀνόματα εἰδῇ, εἴσεται καὶ τὰ πράγματα, i. e. *qui gnarus est vocabulorum, gnarus etiam est rerum.* Verum plus justo se torquere circa nomina, est nubem præ Junone amplecti. Quin potius cordi inprimenda illa Hospitis ad Socratem admonitio ap. *Platonem in Politico*: καλῶς γ' ὦ Σώκρατες! κἂν διαφυλάξῃς τὸ μὴ σπουδάζειν ἐπὶ τοῖς ὀνόμασι, πλουσιώτερος εἰς τὸ γῆρας ἀναφανήσῃ φρονήσεως. i. e. *Recte o Socrates! Si ita perseveraveris,*

ut

ut parum ſis ſolicitus de nominibus, ditior ſapientia ad ſenectutem pervenies.

§. 36. Quin imo iſta *Euſtathii* derivatio non omnibus numeris perfecta eſt, ſiquidem alii ſentiunt aliter. Lubet curioſitatis ergo (nec enim magni facio, cum pleraque fiant per alluſionem, ſintque vani cerebelli haut raro figmenta) adducere quatuor etymologias ex *Etymologico M. f.m. 454.* (*Edit. Fr. Sylburg.* 1594.) ubi hæc: Παρθένος παρὰ τὸ παρακαταθέειν τὴν παιδικὴν ἡλικίαν, ἢ παρὰ τὸ παραθέειν τῇ μητρὶ, ὡς ὁ ποιητής:

—— ἣθ' ἅμα μητρὶ θέουσ' ἀνελέσθαι ἀνώγει.

ἢ παρὰ τὸν θήσω μέλλοντα γίνεται θήνη, καὶ μετὰ τῆς παρὰ προθέσεως, παραθήνη, καὶ κατὰ συγκοπὴν, παρθένος, ἡ περὶ ταύτην τὴν ἡλικίαν οὖσα, καθ' ἣν ὥραν ἔχει ἐκθρέψαι καὶ ἐκλῆσθαι μαζούς (*Frid. Sylburgius in nott. ad h. l. f. m. 39.* inquit: *Melius* ἐκθῆσαι μαζοὺς, *ut colligere licet ex 450.26.*) ἣν ἡ φύσις ἔταξε, τὰς γοῦν μικρὰς παῖδας οὐ προσαγορεύουσι παρθένους, ἀλλὰ τὰς ἤδη ἐπὶ τὸ γυναῖκας μέλλειν ἰούσας. οὕτω Φιλόξενος. ὁ δὲ ἡρωδιανὸς, ἡ παρ' οὐδενὸς οὐδὲν λαβοῦσα εἰς ἔδνα. hoc eſt: Παρθένος *dicitur* (1.) a παρακαταθέειν *ab excedendo, videl. puerilem ætatem.* (2) *aut a* παραθέειν, *id eſt, accurrere ſcil. matri; uti* Poëta:

- - *quæ una cum matre currens jubet tollere*

(3) *aut a futuro* θήσω *fit* θήνη, *& præpoſita particula* παρὰ, *fit* παραθήνη, *& per ſyncopen* παρθένος, *quæ in hac ætate exſiſtit, qua tempus* (vel venuſtatem) *habet nutriendi & exponendi mammas, quod natura ordinavit. Parvas igitur puellas non ſa-*

lutant virgines, sed eas, quæ jam sunt nobiles; sic Philoxenus. (4) Herodianus *vero, quæ nondum ab ullo accepit munera sponsalia. Cadmus Græco-Phœnix M. Martinii p.m.* 1245. derivat. a πάρθη i. e. Virgo, auctoritate *Suidæ*, qui *ex Epigrammatibus* affert versum:

--- ὁ δ' ἀντίος ἵστατο πάρθης.

Qui versus etiam in *Suida* ita citatus invenitur in voce Πάρθη. Sed hic in eo dissentit a *Martinio.* & nomen proprium esse contendit. Imo *Martinius l. a.* opinatur פּוֹרָת poráth; quod Hebræis est fructifera. Ita erit nubilis. Sed vereor, ne μικρολογία περὶ τοῦ ὀνόματος nobis objici possit.

§. 37. JCtis pari ratione responderi potest. Nim. fieri sæpissime, sed non semper, ut quæ lac habeat, imprægnata fuerit. Vid. *Thom. Metzger Cons. Crim. 15. n. 108.* ap. *C. Manzium ad* P. H. O. *Zanger. n. 169. Gilhausen, Mascard. de prog. concl. 1215. n. 10.* Et obiter heic notamus locum ex *Quinctiliano a Menochio* allegatum supra §. 5. in fine: illud non innuere; sed saltim hoc, illam nim. necessario coiisse cum Viro, quæ peperit.

§. 38. Verba quoque *Ordin. Crimin. art. 36.* hoc non strictissime volunt, sed addunt esse eine starcke Vermuthung. Et quid multis? Expresse subnectitur: Nachdem aber etliche Leib-Aertzte sagen, daß aus etlichen natürlichen Ursachen etwan eine, die kein Kind getragen, Milch in denen Brüsten haben möge: Darum, so sich eine Dirne in diesen Fällen also entschuldiget, soll derhalben durch die Hebammen, oder sonst, weitere Erfahrung geschehen.

ſchehen. Conf. etiam *Matth. Stephan. ad h. l.* it. *Carpzov. prax. crimin. part. 3. q. 122. n. 23. & 24.* Nim. ex *Hipp.* v. *aph. 39.* volunt deducere & confirmare, *Jac. Menoch. de præſumtt. l. 1. q. 3. n. 4. Bernh. Zieriz. ad Crim. Ord. Car. art. 36. M. Stephan.* &c. Hinc *Baldus in rubr. de prob.* ap. *Kornmann.* ait: *Fœmina* præſumitur *eſſe prægnans, ſi habet lac.* Heic ait (1.) præſumi (2.) fœmina; non virgo. Quamvis *Arniſæus* ap. *Th. Bartholin. in Ciſta p. 376.* dicat: *Baldum* hoc dare tanquam violentæ præſumtionis exemplum. Hinc recentiores JCti, *Alciatus, Menochius, Maſcardus, Caranza* diſtinguunt inter violentem præſumtionem (talis eſt *Quintil. l. 5. Inſt. or. c. 9.* e. g. peperit, ergo coivit) & vehementem, qualis eſt hæc præſens, teſte *Arniſæo ibid. p. 377.*

§. 39. Quæ producuntur §. 7. conſuetudines, hæ peſſimæ vocantur a CL. *Ol. Wormio in reſponſ. ad Haſebardum* ap. *Th. Bartholin. in Ciſta Med. p. m. 252.* Nim. ſola mammarum inquiſitio non ſufficit; ſed reliqua quoque requiruntur ſigna. Adeo recte totam rem limitavit Celeb. *D. D. Textor. Conſil. Elect. Palat. & Prof. Prim. Fautor, Compater atque Collega honoratiſſimus in ſuis ad me prid. Id. Decembr. 1677.* hiſce: *JCti de lacte in mammis Virginum reperto communiter in* Ord. Crim. Carol. art. 36. *ubi ex naturalibus cauſis, veluti ſuppreſſis menſibus &c. provenire poſſe docent ſalva virginitate. Quoniam tamen, ſi infans occiſus reperiatur, & hujusmodi præſumta virgo, quæ ſc. pro virgine ſe gerit, lac habeat in mammis, ſuſpecta res eſſe ſolet,*

tanquam quæ non plerumque accidat, concurrentibus aliis suspicionibus, & obstetricum recentis puerperii relationibus juratis, ad torturam deveniri potest & solet. Conf. quoque *Gilhausen, in nott. ad* P. H. D. *& Zanger, num. 169.* ap. *Casp. Manz. ad* P. H. D. *art. 36. §. 1.*

§. 40. Majorem refutandi apparatum requirunt *Medici*. Qui allegatur *Galenus* §. 8. non est, ut ut ita alleget *Reies q. 47. n. 6.* & *Francisc. Ranchinus Pathol. Urbis sect. 2. cap. 23. p. m.* 149. b. Hinc *Lindenius*, non ut Galeni, sed incerti auctoris in *select. Med. 4. §. 80.* Imo inter spurios; τὰ νόθα refertur *in Edit. Græc. & Latin.* ut & a *Linden. l. 1. de Script. Med. p. m. 128.* atque a *Joh. Bapt. Montano*, & *Ottone Brunfelsio in Catal. Med. Ill.* p. m. 68. Et doctiss. *Achill. Pyrm. Gassarus*, Lindaviensis, sua manu adscripsit rubricæ hujus libri; (asservatur in Bibliotheca Universitatis nostræ) hæc verba: *G. Budæus librum hunc* Plutarcho *Chæroneo adscribit, eumque in latinam linguam traducens*, de *Placitis Philosophorum intitulavit.* Et ferme hæc est sententia *Conr. Gesneri in Catalogo I. Librorum Galeni.* Hinc *Segerus suis & Democriti heterodoxia in Jena de nutritione fœtus §. 3.* ait: *Auctor libri de Historia Philosophica; sive is Galenus sit, sive Aetius.* Mart. *Weinrichius de Monstris* cap. 13. p. m. 108. a. inquit: In *historia Philosophica Galeno* adscripta &c.

§. 41. Hoc præterea adnoto, locum illum Græcum mire esse deturpatum. Siquidem pro τοίνην videtur ponendum τοίνυν igitur, ut connectatur

cum

cum prioribus. Porro: ἀξίωμα ἐν &c. non eſt præloquium mentis. Sed ἀξίωμα in ſanitate copulatum, conjunctum, connexum. Rurſus: 'καὶ ὑγέμενον reddit: antecedens. Ergo legendum ἡγέμενον; nam ἡγεῖσθαι eſt antecedere. Iterum τοῦ λήγοντος,' forte, pro λέγοντος. Locus eſt obſcurus. Dein: ὑπομνηστικὸν μὲν ἐστὶν, Interpres male: oſtendunt: Sed ſignum admonitorium. Quamvis ratione ſenſus res eodem redeat. Adhuc ſemel: τοῦτο γὰρ ἰδόντες; puto: τοῦτο (ſc. σημεῖον) illud conſpicati. Tandem: τε τοκυῖα ἐστί. Arbitror legendum per connexionem, τετοκυῖα: τετοκὼς enim eſt participium; quæ peperit. Paucis: locus eſt vitioſus.

§. 42. Præterea verſio Latina eſt in eadem navi cum Græcis. *Andreas Lacuna. in præfat. hujus libri* (quem ſeorſim interpretatus eſt, & edidit *Coloniæ 1543. in 8.*) inquit: Exſiſtere etiamnum veteris cujusdam interpretis translationem hujus libri, ſed barbaram, & infelicem, quam *Martianus Rota* ſecutus ſit, allegante *Conr. Geſnero in Catalogo I. ſeu Enumeratione librorum Galeni*. Conabor ita reddere locum: Signorum vero alia ſunt oſtenſiva, ſeu demonſtrativa; alia autem admonitoria. Admonitorium quidem eſt, quod ſic annexum eſt rei ſignificatæ, ut eo ipſo, quo apparet, nos ad cognitionem rei ipſius deducat, quale ſignum eſt in fumo, quo viſo ſtatim cognoſcimus, quod ex igne factus ſit. Oſtenſivum vero eſt ſignum, quod non prius obſervatum, quo ſigno apparente, in cognitionem

ſigni non venimus, ſicut in habente lac ſtatim cognoſcimus, quod pepererit.

§. 43. Nequaquam etiam admittenda eſt limitatio *H. Arniſæi, qui ſupra* §. 8. *in fine* diſtinguit inter *τὸ* peperiſſe, & *τὸ* concepiſſe; hoc argui a præſentia lactis, non itidem illud. Quin imo ſi mares, ſi pueri, ſi infantes verum præbuerunt lac, quis iſtos concepiſſe ſomniabit.

§. 44. Nec lac iſtud plane fruſtra eſt. Nolumus autem in hoc tueri partes *C. a Reies*, qui *q. 47. n. 6.* concludit quandoque lac generari in mammis, pro earum proprio nutrimento, ſiquidem veluti teſtes ſemine, ventriculus (ut multi volunt) chylo, ita mammæ lacte nutriantur. Miror certe, quod non addiderit (quod ferme melius poterat) oſſa medullis ſuis nutriri. Verum hæc Viri maxima eſt, atque tergemna *τῆς διανοίας ἀρρωστία.*

§. 45. Sed inquiramus in egregias iſtas hypotheſes. Teſtes ſemine nutriri, quis unquam opinabitur? Scribit equidem *C. Bartholin. in Inſt. Anat.* quod teſtes convertant ſanguinem præparatum in ſemen, quod pro conſervanda ſpecie requiritur, quod vero ſupereſt, in teſtium nutritionem abeat. Verum Clariſſ. ejus Filius *Thom. Bartholin. in A. R. l. 1. c. 22.* limitat hoc, aitque: *Quod ſupereſt, vel regreditur per venas ſpermaticas ad cor, vel in teſtium nutritionem abit.* Sed locus de ſanguine adhuc, non de ſemine jam elaborato. intelligendus eſt. Cl. *J. T. Schenck. ſchol. part. ſect. 1 part. 2. c. 1. p. m. 9.* lac; ſemen, atque chylum nutrire ait. Verum addit: Per accidens, quatenus in ſanguinem

abe-

abeunt. Imo *id. ib. cap. 2. p. m. 10.* addit: *Quod semen spectat, rectissime illud veteres excrementum, sive superfluum ultimi alimenti partium, quod sane nil nisi ipse etiam sanguis esse potest, nuncupaverunt, quod tantum abest, ut dum generat, nutrire simul dici non possit, &c.* Pariter *Æmilius Parisanus in Exercit. de subtilitate* quod in testibus ac parastatis elaboratur non esse verum semen; interim elabi simul cum vero, ut nim. nutrimenti loco in utero primis diebus fœtus primordiis concurrat; quam sententiam ex eodem repetit *Mœbius in Fund. Physiol. c. 19. p. m. 492. seq.* *Riolanus pater in univ. Med. Comp. s. 6. Physiol. c. 7.* ait: Omnes partes nutriri sanguine; verum carnosas immediate; reliquas mediate, & ita, cum seminalis liquor nihil sit, quam coctione & partium solidarum alteratrice dealbatus sanguis, ideo partes spermaticæ hoc nutriuntur quidem immediate, verum sanguine mediate.

§. 46. Sed natura frustra tot vasa, loca & alia seminis elaborationi destinaverit? Neutiquam. Alius semini est finis, ac nutritio. Hæc enim tamdiu perennat; atque ipse homo vivit; Vide *Aristot. l. de Vita & Morte c. 18. C. Hofmann. Inst. 2. 13. 13. & 3. 3. 6. atque 9.* & *J. v. Horne Microcosm. §. 10.* Semen vero non item. Ut alia plura taceam.

§. 47. Ventriculum chylo nutriri aliquot ratiunculis stabilire suscepit *Fr. Vallesius l. 1. controvers. c. 14. f. m. 44.* Consentit *Cæsalpin. l. 7. specul. art. med. c. 1.* Et ex parte *Ebn-Sina* atque *Fallopius*; item *Galen. l. 3. Fac. Nat. c. 6.* *Alex. Benedict. Anat. l. 2. c. 10, in fine.* *Joh. Riolan. Pater in Universʃ. Med.*

Compend. Physiol. sect. 7. c. 2. p. m. 186. qui tamen *ibid. sect. 4. c. 7. p. m. 85.* quodammodo limitat.

§. 48. Verum rectius hoc negant alii Viri Clarissimi, fortioribus instructi rationum telis; quæ apud ipsosmet invenire est: nempe *A. Laurent. Anat. l. 1. q. 28. C. Bartholin. Controvers. anat. de infimo Ventre q. 8. Sennert.* atque *C. Hofman. Inst. 2. 30. 8. & ad Galen. de V. P. l. 4. n. 200. & de usu lienis c. 21. Iterum l. de Humoribus c. 11. M. Sebiz. Fascic. Med. 7. §. 8. & disp. 8. in Galen. A. P. coroll. 12. Thom. Reines. Epist. 47. ad Nesteros p. m. 89. Deusing. Exerc. de Chylif. §. 34. Mœbius in Fundam. Physiol. c. 5. p. m. 50. J. V. Müller disp. de Mania coroll. 2.* & quidem large atque docte *Cl. Bern. Swalve in Ventric. Querel. & Oppr. p. m. 34.*

§. 49. Ossa denique nutriri sua, quam intus habent, medulla, asseverant non pauci, illecti auctoritate Magni *Hippocr. qui l. de alim. plane in fine* ait: Μυελὸς, τροφὴ ὀστέου, διὰ τοῦτο ἐπιπωρεῦται, i. e. medulla ossis alimentum, ideo callo firmatur. *Galen. 3. Fac. Nat. 15. & 9. V. P. 18. & 11. 16. & l. de inæqu. intemp. 2. Fr. Valles. l. 1. Controv. c. 14. p. m. 44. Riolanus Pater in Univ. Med. Compend. f. 4. Physiol. c. 7.* Et *Filius in Enchirid. Anat. l. 6. c. 4. & in Isagog. de ossib. c. 3. C. Bauhin. Anat. l. 3. c. 17. & l. 4. c. 40. Fallop. de simil. 4. Costæus 3. Physiol. disquis. Laurent. 2. anat. q. 4. Vesal. de H. C. F. l. 1. c. 1. Lauremberg. Coll. Anat. Exerc. 12. §. 32.* fusissime *Magirus Physiol. l. 5. c. 9. Gr. Horst. de nat. hum. Exerc. 4. q. 7. Vidus Vidius Anat. l. 2. c. 1. Thom. Rodericus Veiga, art. med. c. 62. Lindenius Med. Phy-*

siol.

ſiol. p. 761. Joubert. quæſt. de Paralyſi p. m. 29. Imo ipſe *Cl. Thom. Bartholinus A. R. libell. 4. c. 1.* ait: *Nutriri oſſa hac medulla, indicium eſt, quod oſſa per diuturnam elixationem in gelatinam quandam, quæ chyloſæ videtur ſubſtantiæ, reſolvantur.*

§. 50. Sed nec hoc abſolute ab omnibus ita conceditur. Hinc conatur effugium quærere *C Hofman. not. ad Gal. 11. V. P. 18. n. 847.* inquiens: *Cum omnes partes alantur ſanguine, quemadmodum etiam conſtant ſanguine: qui concedi poſſit, quasdam ali non ſanguine? Reſp. ex* Ariſtot. 2. part. 6. *quod vulgo medulla dicitur, totum ſcil. id, quod in cavitatibus oſſium eſt, non eſt ſola medulla ſeu pinguedo: ſed eſt pinguedo ſanguini permiſta. Vera igitur nutritio ſit ſanguine, qui, ut Ariſtot. loquitur,* ἐμπεριλαμβάνεται, ſimul medulla continetur *in oſſibus analoga, qualis alias a pinguedine præſtatur partibus ſiccioribus & frigidioribus, ab ipſa medulla ſeu pinguedine. Debuerunt autem oſſa, præ omnibus aliis partibus, hoc analogico modo perpetuo humectari & calefieri, ultra, inquam, nutritionem ſeu humectationem, calefactionemque ſubſtantificam, quam alimentum præſtat, quia præ omnibus aliis ſicciſſima ſunt & frigidiſſima.* Repetit CL. Vir Tr. de Partibus ſimil. cap. 17. p. m. 97.

§. 51. Et recte negant oſſa ſuis medullis nutriri *Ariſtoteles* 2. P. A. 6. aliique Peripatetici, qui medullam excrementum potius eſſe oſſium volunt, allegante *Th. Bartholin.* A. R. libel. 4. cap. 1. Pro excremento pugnat quoque *Gliſſonius* Tr. de Rachitide cap. 13. p. m. 131. ſeqq. quem omnino vide, quia in grandiore ætate augetur medulla, minor eſt in

junioribus : ſed grandiora oſſa minus indigent, quia nutriuntur, non augentur amplius. Conf. quoque *Wharton* Adenogr. cap. 3. pag. m. 10. & *Blaſium* ad *Vesling*. Anat. p. m. 16. *Adr. Spigel.* de H. C. F. lib. 2. cap. 4. *Eichſtadt* Coll. Anat. Diſp. 2. qu. 5. *Sperling*. Anthropol. Phyſ. lib. 2. pag. 1. cap. 3. qu. 2. *Kyperum* Anthrop. lib. 1. cap. 16. §. 28.

§. 52. Repetimus ergo ex §. 44. aſſertum, dicendo, ſcopum lactis non ſemper infantis eſſe nutritionem; ſiquidem hoc in paſſu natura principaliter ſuperflui expulſionem molitur, teſtibus Celeb. *Ol. Worm.* & *Joh. Beverovic.* qu. Epiſt. p. m. 36.

§. 53. Nec famoſus ille ſupra §. 10 uteri cum mammis conſenſus, conſenſum apud me obtinere hactenus potuit. Vulgo equidem jactant quidam, niſi omnes, veterum Anatomici; venas mammarias dictas atque epigaſtricas, vel per anaſtomoſin, vel alio modo ita conjungi, ut utriusque inde reſultet partis conſenſus, vide *Philotheum Comm.* ad v. aph. 39. p. m. 95. *C. Bauhin. Anat.* lib. 2. cap. 4. p. m. 108. *Galen.* de *Diſſect. venar.* cap. 8. & 14. V. P. 8. Conf. *Sylvius, Fallop. Riolan. Thomas Cornelius Conſentinus* Progymnaſm. 6. p. m. 219. ſeq. ex *Highmoro M. Sebiz.* de *Alim.* lib. 3. cap. 7. *Joh. Matth.* qu. 14. *Gorræus* voce γάλα f. m. 63. Dav. Herlicius lib. de Curationibus gravidar. puerperar. & infantum cap. 1. p. m. 4.

§. 54. Verum, inſuper uti multi boni & accurati iique oculares teſtes, de illa anaſtomoſi aut plane dubitant, teſte *Laurent.* lib. 1. qu. 14. ſic eam ridet *Veſalius* apud *Bauhin. Anat.* lib. 2. cap. 4. *in margine*, *Th. Bartholin.* lib. 2. A. R. cap. 1. *J. T. Schenck* Diſſ. de Lactis natura art. 6. §. 1. Imo has vias ſatis ineptas, naturæque incognitas (ſcilicet ſub rectis abdominis muſculis ab utero ad mammas) exclamat

CL.

CL. Anatomicus *M. Hofmann* Disp. de Lacte membr. 1. §. 4. (Altdorff. 1673.) additque mirum esse, ex recentioribus magni nominis Medicos nonnullos eorum vestigia sequi; siquidem ipse demonstravit isthæc vasa neque ab utero, neque a mammis proficisci, (& quodammodo jam olim *A. Laurentius* lib. 1. *Anat.* qu. 14.) neque ad uterum, neque ad mammas desinere, sed & in viris, & in brutis quoque obvia esse, ubera in pectore non gestantibus. Id. ib. §. 16. pergit: Vias istas peculiares a nullo unquam Anatomico, neque Hippocrate ipso hactenus observari potuisse. Aut saltim rarissime concedunt; vide *Th. Bartholin.* A. R. lib. 1. cap. 6. & lib. 2. cap. 1. & de lacteis thorac. cap. 18. Imo *Highmorus* notat, non conjungi venas cum venis, sed arterias mammarias descendentes cum venis epigastricis descendentibus, & arterias epigastricas adscendentes cum venis mammariis descendentibus; quod negat *Blasius*, ait *Th. Bartholin.* A. R. lib. 2. cap. 1. Rursus idem Dn. *Bartholin.* lib. de Pulm. f. 1. p. m. 5. ait: Viam ab utero ad mammas esse oculis nunquam manifestam. Consentit CL. D. D. *Ioh. Ferdin. Hertodus* in Ephem. Germ. Cur. ann. 1. obs. 6. Ita etiam esset petitio principii, posito etiam venas istas coire, sanguinemque sibi mutuo communicare, an ex eodem fiat lac. Cum multis menses supprimantur, sine ulla lactis præsentia. Hinc aliter & rectius explicat per vasa lactea hunc consensum CL. *Rolfincius* de Part. genit. P. 2. cap. 18. Præterea tam ex veterum Galenicorum, quam recentiorum Harvejanorum (quorum tamen partes semper sunt potiores) sententia nullibi satis statu minari potest, per venas a partibus aliis (excepto, juxta veteres, hepate,) aliquid recipi, & beneficio venarum ad alias revehi (circulatio enim

nim his eſt odioſa) uti hic ab utero ad mammas, ita Celeb. *Th. Bartholin. A. R.* lib. 2 cap. 1. Ut taceam plures alias inſtantias, quas, uti in multis aliis, in cathedra potius dabimus; ne in librum excreſcat, quod diſputatio brevior academica debebat eſſe. Conf. interim omnino *Charleton.* Oecon. anim. Exerc. 3. §. 11.

§. 55. Nec inde eſt lactantibus non fluere menſes: ſed quia chylus communis quædam materia & lactis & ſanguinis eſt, fit, ut ſi ſanguini aſſociatus fuerit pro menſium effluvio, lactis plerumque oriatur defectus, & vice verſa; ſi lacti materiam ſubminiſtraverit, menſes ut plurimum deficiant: *G*eminæ enim evacuationi natura rariſſime ſufficit, ut utar verbis CL. *M. Hofmanni* de Lacte membr. 1. §. 16. Conf. Celeb. Dn. *Amman.* in Paræneſi ad Diſcent. lib. 1. cap. 4. §. 16. & *Barbat.* de Sanguine & ejus ſero p. m. 43.

§. 56. Nec ignota mihi ſunt multarum fœminarum exempla, quæ ſatis commode lactantes nihilominus menſtrua patiuntur. Aliquot novit *Rod. a Caſtro* lib. 4. de Nat. mul. cap. 10. *Schenck* lib. 4. obſ. Poſſem hic Heidelbergæ duas fœminas ſorores ἐυσάρκους allegare; item aliam Hebræam & plures Sed impedit me *Charleton.* Oeconom. animal. p. m. 30. inquiens: Hoc frequens eſſe.

§. 57. Pari modo ſe res habet cum multis imprægnatis, quibus nihilominus menſes, niſi per totum geſtationis fluunt tempus, tamen per aliquot menſes, eosque priores; inde mulierculararum error calculi: Sie verrechnen ſich; vide *Plater.* lib. 3. *Lotich.* lib. 5. obſ. Epiphan. *Ferdin.* Hiſt. med. 3. p. m. 8. *Greg. Horſt.* lib. 1. pag. 2. obſ. 2. 39. & 46. *Jac. Sylvius* Comm. de Menſ. mul. *Braſſavol.* ad Hipp. 5. aph. 60. *Columb.* Anat. lib. 12. p. m. 460. *Horat.*

Augen. lib. 5. Epist. 1. cap. 10. *Solenander* Sect. 5. conf. 15. apud *J. Schenck.* lib. 4. obf. 20. de Gravidis. *Mercat.* 4. Mul. aff. 16. *Lud. Bonaciolus* Ennead. mul. cap. 5. Quod vero communiter post conceptionem menses non fluant, meliore ratione explicat *Deusing.* Exerc. de Lacte sect. 4. §. 130. & sect. 1. §. 21.

§. 58. Ad §. 13. Objectionis facilis est responsio. Infantibus, fœmellis, imo etiam pueris ac viris lac fuit in mammillis sine mensium præsentia, aut ullo veneris stimulo, vide §. 24. seqq. Et vetulas tamen lactasse, docuimus §. 22.

§. 59. Menses suppressos effluxisse per mammas, tam graviter admiror, ac eosdem promanasse per oculos *Schenck.* lib. 4. obf. ex *Brassavol. Dodon. Mercat.* & *Albert.* Conf. *Chr. Fingerling. in præf. ad part.* 2. *obss. Horst. Sennert. Prax. l.* 4. *p.* 2. *f.* 2. *c.* 11. *Th. Bartholin. c.* 1. *hist.* 16. & 19. *Beling. in Zodiac. Gall.* Ann. 2. Febr. obf. 6. Ex vena oculi sinistri, vel per sudores cruentos, *Sylvaticus* Cent. 3. Conf. 46. Per *aures Brassavol.* apud *Mœbium in Fund. Phys. c.* 20. *Jonston. Thaumatogr. class.* 10. *art.* 2. *cap.* 5. Per *nares Brasavol. Jonst. Mœb. ll. aa. Amatus Lusit. C.* 2. *cur.* 5. Per *verticem Kerckring. Obs. Anat.* 85. Per *Os & Vomitum Bartholin. l. a. Salmuth. C.* 2. *obss.* 18. *Hipp. l.* 1. *de Morb. mul. Beniven. Jonston.* It. *Aretæus, Rabbi Moses, Brasavol. Galen. Amatus, Ruland. Panarol. Horst.* & *Rolf.* apud *Schneider de Catarrh. l.* 3. *c.* 8. *p. m.* 278. *Verzascha* Cent. 1. obf. 13. *Dan. Wincklerus*, Ephem. Germ. Cur. Ann. 6. & 7. obf. 49. Per *Gingivas, Zacut. Lus. l.* 1. *Prax. adm. obs.* 19. & *Horst.* ap. *Schneider. l. c.* Per *Maxillas, Mercatus* & *Nic. Massa* ap. *Schneider.* Per *Genas, Th. Bartholin. c.* 1. *hist.* 13. Per *Dentis Alveum,* ex *Heurn.* & *Hollerio Th. Bar-*

tholin

tholin. c. 1. h. 16. ex *Ronsseo, Sennerto, l. a.* per *Umbilicum*; *Nicol. Florent. serm. 2. c. 8. Marcell. Donat. hist. med. mir. l. 4. c. 26. Zacut. l. 2. obs. 92. & 101. J. Rhodius c. 3. obs. 49. I. D. Horst. Manud. ad med. p. 1. c. 1. s. 3. p.* 87. Conf. *Schenck. Sennert. Jonst. l. a.* Per *Inguina, Hippocr. de Morb. mul. t. 7. & 12. Zacut. l. a.* Per *Hepar & Lienem, Rondelet* apud *Schneider.* Per *Pulmones, Dodon.* & *Langius* apud *Schneider.* Per *Hæmorrhoides, Brasavol.* apud *Schenck. Merclin.* apud *Horst. Ierem. Barthius* apud *Schneider J. Rhod. c. 2. obs.* 93. Per *Ulcera & Vulnera, Meichsner & Theoph. Paracelf.* apud *Schenck.* Per *Urinam, Brasavol.* apud *Sennert.* & *Schneider. Salmuth. c. 3. obs. 36.* Per *Apostema ingenu, Sim. Schultz.* Ephem. Germ. Cur. Ann. 4. & 5. obs. 75. Per *Anum, Hipp. l. 1. de Morb. mul. Galen. 5. aph. 33. Plater.* apud *Th. Bartholin. c. 1. h.* 16. *Beniven. Lang. Musa, Cordæus, Rulandus,* apud *Schneider. Wedelius* Ephem. Germ. Cur. Ann. 1672. obs. 24. Per *Vasa cutis, Plater.* apud *Schneider.* Per *Manus Th. Bartholin. c. 1. h. 13.* Per *Manum dextram, Kerckring. obs. anat. 86.* Per *Pedes, Zacut* apud *Th. Bartholin. c. 1. h. 16. J. Rhodius c. 3 obs. 50.* Per *Digitos, Mercat. l. 1. de Mul. aff. c. 7. Vales M. M. l. 2. c. 12. Jonston. Schenck. Bartholin.* Nimirum sanguis ad partes, beneficio circulationis, pervenit abs ulla electione; si nimius est, & in loco debito exitum invenire non potest, redundat in massam integram, & ubicumque datur, prompte profluit; ceu dixi in nott. 6. ad Diss. de Hæmorrhoid. ut ita heic mammæ nihil peculiare habeant præ reliquis partibus in respectu ad uterum.

§. 60. Ut ut quoque *§.* 15. lac per uterum effluxisse credamus, (quamvis inter insolita hoc refe rat *I. T. Schenck* Diss. de Natura lactis art. 4. *§.* 3. cum

Vesa-

Vesalio) tamen cautione opus erit, ne fluor albus mulierum, vel pus vel alius liquor pro lacte habeatur. Sed quæ sunt viæ, quibus lac ad uterum e mammis confluat? Nec enim credibile est, uterum habere substantiam peculiarem & glandulosam, uti mammas; cujus beneficio sanguis (si Dîs placet) in lac vertatur. Aut forte lac, jam in mammis tale præparatum, eo defertur? Nullibi certe. Sed vias novas agnoscimus, venas lacteas, ad uterum usque porrectas, quarum beneficio chylus sive lac eo devenit, ceu hoc egregie & fuse demonstrant *Harvei* Exerc. de Uteri membranis & humoribus. *Charleton* Oecon. anim. Exerc. 3. §. 8. seqq. *Th. Cornelius Consent.* Progym. 6. CL. *Paul. Amman.* in Parænesi lib. 1. cap. 4. §. 16. Celeb. *Rolfinc.* de Part. genital. part. 2. cap. 18. & 26. præcipue autem *Deusing.* de Lact. sect. 4. per totam, & in Genesi Microcosmi part. 3. 1. §. 31. seqq. & Exerc. de Chyli motu §. 52. & Institt. Anat. part. 7. cap. 3. §. 16. *Th. Bartholin.* de lacteis thorac. cap. 10. Quamvis vasa chylifera ad uterum pertingere neget Celeb. *J. J. Wepferus* schol. ad obs. 129. Ephem. Germ. Cur. Ann. 3.

§. 61. Distinctio D. *Joh. Matthæi*, de qua supra §. 16. inter lac verum atque mucum; potest suffulciri consensu Cl. *Hieron. Barbati, qui de sanguine & ejus sero p. m.* 40. scribit: Humiditatem, quæ e virorum puerorumque papillis exprimitur, lac non esse; licet ob indigentiam, si deglutiatur, valeat imperfecte nutrire. Verum cum eodem revera infantes fuerint enutriti, ceu superius §. 26. patet, frivolum esset, dubitare, illud verum ac genuinum lac esse, cum ad alendum aptum sit, ita argumentamur cum D. *Deusingio* de Lacte s. 1. §. 20. Conf. *Ol. Worm.* apud *Th. Bartholin. in Cista med. p. m.* 255. qui *p.* 256. addit: *Nemo sanus, verum lac esse, quod*

infan-

infantes nutrire potest, lactis veri habet substantiam, qualitates & vires, negabit unquam: nemo cordatus illud, quod exstringi pro lubitu in assidentium faciem potest, & infanti nutriendo & educando sufficit, parcum esse affirmabit. Facessant igitur frivolæ hæ exceptionis. Adde Cl. *Beverovic.* Epist. quæst. p. 36. ubi recte refutat *Laurentium,* & J. T. *Schenck. diss. de natura Lactis Coroll. 1.*

§. 62. Obiter heic adnoto, quod multi Medici caussam redundantiæ lactis in non gravidis retulerint ad suppressionem mensium. uti *Ebn-Sina* fen. 12. lib. 3. tr. 1. cap. 3. C. a *Vega*, *Sinibald* Geneanthrop. lib. 4. tr. 2. cap. 6. *Joh. Matthæus* q. 14. *J. Beverovic.* Epist. quæst. ad Lydium p. m. 35. *C. Bauhin.* lib. 2. Anat. cap. 4. *Olaus Worm.* ap. Th. *Bartholin.* in Cista Med. p. m. 245. *M. Sebiz.* de Alim. Lib. 3. cap. 7. &c. Conf. supra §. 38.

§. 63. Caussæ Patronum Opt. Max. constituunt Divinum *Hypocratem*, qui v. aph. 39. ait: ἢν γυνὴ μὴ κύουσα, μηδὲ τετοκυῖα γάλα ἔχῃ, ταύτῃ τὰ καταμήνια ἐκλέλοιπε. i. e. *Si mulier, quæ nec prægnans, nec puerpera est, lac habet, ei menstrua defecerunt;* Conf. ad h. l. in Comment *Galen. Heurn. Philotheus* p. m. 85. b. C. a *Vega*, *J. C. Dieterich.* p. m. 91.

§. 64. Rationem superaddunt, quia sanguinis menstrui & lactis eadem sit materia, testibus *Aristot.* 7. H. A. 11. & 4. G. A. 8. *Galen.* 5. simpl. med. fac. 22. & ex eodem l. de V. S. adversus Erasistrat. c. 5. & 14. V. P. 8. hoc concludit *Zacutus* lib. 3. Prax. hist. c. 8.

§. 65. Nec solum ex sanguine menstruo oriundum credunt hoc Virginum lac; sed etiam ex alia sanguinis exundantia; teste *Ol. Worms in respons. ad Hasebard. ap. Bartholin.* in Cista Med. p. m. 245.

Adde

Adde *C. Bauhin.* lib. 2. Anat. cap. 4. It. *Platon.* &c. apud *Schneider.* de Catarrh. lib. 3. cap. 3.

§. 66. Et utut hanc ſententiam ſeverius defendat famigeratiſſimus *Th. Bartholin.* A. R. lib. 2. cap. 1. tamen ego eandem vix ac ne vix quidem admitto. Mecum facit CL. Dn. *Joh. Ferd. Herdotus a Totenfeld* in Ann. 1. Ephem. Germ. Curioſ. obſ. 6. ita inquiens: *Quis ſanguinem menſtruum aſſignabit, ubi in vaſis mammariis, cum vaſis epigaſtricis nullam ἀναςόμωσιν, niſi venam cum vena, arteriam cum arteria, ac conſequenter nullum uteri cum mammis conſenſum inveniet. Accedit, quod ſanguis menſtruus non niſi inutilis & extravaſatus primo ſanguis menſtruus vocari conſueverit.* Conf. quoque de ineptis iſtis viis, quas commenti ſunt *M. Hofmann.* Diſp. de lactis ex chylo ſtatu tum naturali tum p. n. membr. 1. §. 4. & CL. *Ammann.* in Paræneſ. cap. 4. §. 33. atque Celeb. *Schneider.* lib. 3. de Catarrh. cap. 3. fuſe.

§. 67. Quin imo rectius videntur alii ſtatuere, lac fieri ex chylo; veluti egomet ante hos 12. annos Argentorati Diſp. Inaug. de Pleuri. Coroll. 5. Opponentis vices tunc publice atque ſolemniter ſuſtinente optimo Promotore meo atque γαληνικωτάτῳ *Melchiore Sebizio*, ferme centenario, & tamen ſatis vegeto ſene, νῦν ἐν ἁγιόις.

§. 68. In hac ſententia laudatisſimos habeo anteceſſores atque aſſeclas doctiſſimos; nim. ipſum Magnum *Coum* lib. de Morb. mul. ſ. 3. f. m. 185. *Proſper Martianum & Petr. Caſtellum ap. Th. Bartholin. A. R. l. 2. c. 1. Harvei. Vesling. Slegel. Diſſ. de Lacte. M. Hofmann. I. D. Horſt.* citante *Segero Epiſt. 2 de Lympha Bartholin. p. m. 36. Georg. Ent.* Digreſſione 5. contra Pariſanum. *Charleton. Oecon. anim.*

Exerc. 3. Bernh. Swalve de Ventric. querel. & opprobr. p. m. 106. Deusing. de Lacte §. 10. & 21. Thom. Cornel. p. m. 218. seqq. Th. Wharton. Adenograph. c. 36. p. m. 238. seqq. Petrum Guiffratum Exerc. de Proxima lactis materia, Rothomagi in 4. A. 1652. Nic. Hoboken. de Sede animæ Part. 2. c. 4. art. 9. §. 16. Christ. Langium Diss. de Lacte humano c. 1. §. 13. Lips. 1653. J. T. Schenck. Diss. de Natura lactis art. 3. §. 3. seqq.

§. 69. Imo vel mares (addo pueros, infantes) lac habentes, evincunt, hoc non fieri ex mensibus, *Hier. Eugubin. lib. de Lacte, Deusing. l. a.* §. 11. qui §. 15. alias plures bonas habet rationes; & inter illas, bruta habere lac, non item menstrua, paucissimis quibusdam exceptis.

§. 70. *Whartonus* equidem l. a. chylo associat nonnihil selectioris succi e nervis. Verum CL. *Hertod.* l. d. dubitat; aitque, esse paucissimos in mammis nervos, nec consentiunt *Th. Bartholin.* A. R. lib. 2. cap. 1. p. m. 331. (edit. noviss. Lugd. Bat. 1674) *Barbatus* de Sangu. & ejus sero p. m. 41. seq. atque CL. *Amman.* Parænes. cap. 4. §. 37. seqq.

§. 71. Nobiliss. D. *Joh. Dan. Horstius*, Fautor atque Compater noster honoratissimus, arbitratur: chylo ad lac constituendum suppetias ferre lympham. Hinc & *Bilsius* in Respons. ad Epist. *Tob. Andreæ* p. m. 8. vult ductus roriferos rorem ad mammas transportare, ut lac fiat; uti & in vera delineatione Actorum Anat. p. m. 15. Et videtur illis patrocinari Doctiss. *Hieron. Barbatus* p. m. 40. seqq. dum ex sero, neutiquam ex sanguine aut chylo, nutritionem fieri statuit.

§. 72. Sed vela contrahimus, & concludimus verbis CL. *Th. Bartholini* Cent. 3. Epist. 38. p. m. 142. in hac eadem materia: *Sæpe injuria fit famæ in-*

nocen-

nocentium a rerum naturæque imperitis. Et paulo post de ductibus novis ad papillas scribit: *Ventura dies & diligentia felix prosectorum cuncta aperiet, ut etiam hoc invento puellarum innocentiæ consulatur, quæ virgines esse non desinunt, si cætera integræ sint famæ, quanquam subinde in sororiantibus mammillis lac habeant. Eædem quippe viæ junioribus patulæ esse possunt, quibus mulieribus turgescentes mammæ dulcibus succis, ut loquitur Lactantius de Opific. Dei cap. 12. distenduntur.*

II.

LAC VIRGINIS PHARMACEVTICUM ATQUE CHYMICUM.

§. 1.

LActis vocabulum in pharmacia est πολύσημον; ob coloris albicantis similitudinem, variis albentibus remediis expetitum.

§. 2. Ita *Lac Amygdalinum* Germ. Mandel-Milch, frequentatur in officinis. Latino-barbaris audit *Emulsio*, ab emulgendo, quod quasi emulctum sit ex quibusdam seminibus, aut medulla fructuum, interveniente liquore appropriato: Est enim medicamentum liquidum lacteum, i. e. lac mentiens, veluti ait *Schrœder Pharm. l. 1. c. 3. & l. 2. c. 54.* qui ib. modum parandi & usum addit. Conf. quoque CL. D. Antecessorem in hac Univ. nostrum *Lubert. Esthium* in Tr. Formular. sect. 7. cap. 1. p. m. 79. *Renod.* Inst. Pharmac. lib. 5. cap. 8. *Petr. Morell.* Meth. præscrib. form. sect. 1. cap. 7. p. m.

 98. Hu-

98. Huic confine *Amygdalatum* est, de quo itidem *Renod.* l. a. cap. 9. & *Morell.* l. d. cap. 8.

§. 3. Ita *Lac S. Luciæ* perhibent valde congruum esse ad oculorum affectus, illudque sic describunt: *R. Vini albi pocal. n. 1. tutiæ præp. ℥ij fol. fœnic. fol. rutæ a Mj. M. in phiala vitrea per 9. dies agitentur quotidie per horam optime a Virgine, circulationem agitando eandem semper servante, & non perverten- te, atque orationem Dominicalem, & salutationem Angelicam semel singulo mane dicente. Demum ad oppositam solis radiis partem in umbra per dies 25. exponatur; & tandem, reposita in phiala, ad usum servetur, pro oculorum ablutione.* Ita profert I. B. *Sitonus in Miscellan. Medico-Curios. Tr. 45. p. m. 291.* Ἀλλὰ ἄπαγε ξένον ἐν χυμῶνι.

§. 4. Ita *Lac Mandragoræ* observatur a Celeberr. *G. H. Velschio* immortalitate dignissimo, Fautore & Amico, dum viveret, suavissimo, cujus mortem acerbissimum nuncium nobis jam attulit, Nott. ad exoter. cur. & obs. med. chil. 1. obs. 935. ex *Eutichio Patricide* Annal. tom. 2. p. 452. Nimirum *Eutichius* Patriarcha Alexandrinus & Medicus tom. 2. Annal. pag. 452. seq. ex interpretatione *Eduardi Pocockii* inquit: Obiit Sophronias, Patriarcha Alexandrinus, hydropisi affectus, (ob quam cum *Lac Mandragoræ* bibisset, nihil ei profuit) anno ducentesimo trigesimo tertio. Meminitque illius succi lactei *Ebn-Sina* lib. 2. tr. 2. cap. 10. scil. valere contra hydropem calidum.

§. 5. Ita Lac *Mechoacannæ* legitur apud *C. Calderam* de Heredia in tribunali Med. Magic. Polit. f. m. 400. a. qui illo quoque ex chocalate dato curavit icterum, allegante B. *Velschio* l. a. n. 989.

§. 6. Ita Lac *Dacrydii* describit *Zachar. Brendelius* Chym. in art. fort. redacta p. m. 94. seqq. ex com-

communicatione fratris ſui *Joh. Phil. Brendelii*, Medici Slaizenſis. Illud in Phrenitide laudat CL. *Rolfinc. Epit. l. 1. p. 1. c. 3. p. m. 14.* & in melancholia Celeb. *Velſchius Nott. ad Cent. 3. conſ.* 54.

§. 7. Ita *Lac Aloeticum* habet *Helidæus de Paduanis* apud *Velſch.* Chil. 2. obſ. 847. In illo decocta plantago, una cum aliis, profuit injectione ad ulcus putridum & verminoſum in collo veſicæ. Addit vero CL. *Velſchius* in Nott. illud eſſe præſtantius, ſi fiat ex foliis recentibus, ubi haberi poſſunt. Cepit enim Americana jam in plerisque hortis excoli.

§. 8. Ita *Lac Aureum Michaeli Ruccero* in 4. aphor. 25. dicitur lixivium cum oleo mixtum, & quidem oleo roſarum juxta *Iſaac Schallerum*, Medicum Angelopolitanum ap. *Velſchium* in chil. 1. obſ. 579. qui tamen in notis commodius reputat oleum ſambucinum ad mentem *Sennerti* 2. de febb. 16. & *Blochwitzii de Sambuco* part. 3. c. 29. Valet ad Eryſipelas, ambuſta &c.

§. 9. Ita *Lac Sulfuris* (alias *Cremor* ſeu *Butyrum Sulfuris*) dicitur, cujus tres parandi modos habet *Schröder*. Pharm. lib. 3. cap. 28. p. m. 504. Conf. *Croll.* Baſil. Chym. p. m. 279. *Beguin.* tirocin. Chym. lib. 2. cap. 19. P. *Poter*. Pharm. Spagyr. lib. 2. cap. 11. *Gruling*. Florileg. Chym. cap. 13. p. m. 327. & *Rolfinc.* Diſſ. Chym. 2. c. 14. p. m. 26. Nim: Sulfur commune ſolutum in lixivio tartari, eſt rubrum, mixtum cum aceto, illico lacteſcit, & hoc nomen ſortitur; ita Celeberr. Profeſſor atque Archiater Haſſiacus D. D. *Waldſchmid*, noſter Fautor atque Amicus ſuaviſſimus diſp. de Chilificat. θ. 24. p. m. 25. Auctor ejus medicaminis alias ſit Doctor *Samuel Schlegel*, Anhaltini Principis Medicus, teſte *Ierem. Barthio* atque *Hartmanno* ad d. l. *Beguin* p. m. 373.

Non

Non negligendæ tamen ſunt animadverſiones CL. *Zwelferi* Mantiſſe Spagyricæ part. 2. c. 10. f. m. 400. ſeq.

§. 10. Ita *Lac Balſami*, alias *Ens balſami*, eſt aqua illa, quæ ex unaquaque ſublimatione tam flor. ſulfuris ſimplicium, quam compoſitorum in recipiente adaptato colligitur ac ſeorſim ſervatur; dein rectificata in balneo bullienti miſcetur cum aqua illa, quæ ab ultimis floribus compoſitis abſtracta eſt, nec rectificatione eget: eſt coloris lactei propter gummata, & ſaporis acidi, vide *Crollium* Baſil. Chym. p. m. 314. ubi quoqua uſum ejus enarrat.

§. 11. Ita *Lac Saturni* (aliis Magiſterium ejusdem) proponitur a *Schrödero* lib. 3. Pharmacop. cap. 12. p. m. 390. Qui ibidem quoque modum ex *Salom. Cloſſæo* addit producendi *Liquorem Lacteum* ad ulcera.

§. 12. Sed ne plane extra pomœria evagemur noſtra, retro ferimus pedem (neglecto vario adhuc lacte, e. g. *pæoniæ*, de quo *Velſch.* it. *pineato* &c.) ad Lac noſtrum Virginis; in primo limine ſtatim amoventes homonymiam, ubi ſpecialiꝰ nonnullis Chymicis *Lac Virginis* iſt aqua ☿, der Drachen-Schwantz, wäſchet und coagulirt ohn allerhand Werck, iſt ☿ philoſophorum, ſuccus lunariæ & ſolariæ, aus Catholiſcher Erd und Waſſer, ita *Mart. Rulandus in Lexico Alchymiæ* lit. L. p. m. 272. ex quo eadem (ut ferme reliqua omnia) tranſſumſit quoque *Guil. Johnſon.* in Lexico Chym. p. m. 115. Conf. *Gerb.* Dorn in Theophraſtiſch. Pract. *p. m.* 451. ex quo procul dubio etiam illa tranſtulit ad ſua *Kircher.* Mund. ſubterr. lib. 2. ſ. 4. cap. 3. f. m. 332.

§. 13.

§. 13. Nobis ἐν τῷ παρόντι est lac Virgineum, liquor albicans, certo modo præparatus, potissimum ex lithargyro, ad cutis mundioris commendationem, aliosque affectus externos.

Chymici per lac virginis intelligunt menstruum virile s. △am ☿ialem publicam, quam καθ' ἐξοχὴν menstruum vocant ceu ex *Cornel. Alvetan.* de lap. Philos. c. 4. probat CL. *Wedelius Disp. de Menstruis* c. 1. p. 101. A. 2. b. Jenæ 1674. Huc refer omnino, quæ de altiore isto lacte virginis Chymicorum habet *Christian. Langius* in Patholog. animantium p. m. 280. seq. *P. J. Faber.* in Pathol. cap. 125. θ. 5. ait: *Oleum etiam & essentia tr. g. ☿ii dicitur Lac Virginis, cum quo omnes maculæ faciei & oris vitia cuncta solo litu verissime curantur.*

§. 14. Nominatur autem Lac Virgineum *Thomæ Carthusio & Cratoni* lib. 4. cons. 27. p. m. 182. item Virginale *Rondeletio* de Fucis p. m. 1259. *Pareo* lib. 25. cap. 44. *Lub. Esthio in tract. formularum parte poster. class. 3.* cap. 2. p. m. 137. seu Lac Virginum D. D. *Waldschmid.* l. a. &c. Gallis Lait Virginal, *CL. Mos. Charas in pharmacop. Reg. Galen. & Chym. parte IV. p. m.* 1040. Germ. Jungfer-Milch. Et quidem ratione subjecti (uti scholæ loquuntur) a similitudine coloris lactei seu albidi, testibus *Pareo* lib. 26. c. 10. *Baricell.* hortul. genial. p. m. 253. *Renod.* Inst. Pharm l. 5. c 12. *Conrad. Johren. Prax. Chym.* s. 1. cap. 11. p. m. 192. atque *Arnold. Weickardo* Thes. Pract. lib. 6. f. 111. a. in margine. Ratione autem. prædicati cognominatur ideo Virgineum, *quod fuco deditæ virgines eo impense delectentur ad pallorem faciei inducendum, eamque passam derugandam decorandamque*, sunt verba CL. *Esthii* l. a. p. m. 137. Aut quod colorem virgineum faciei

immutet, *Renod.* l. a. *Fel.Platerus* Prax. tr. 3. lib. 1. cap. 2. p.161. ait: *Ex lithargyrio seu spuma argenti albus liquor maceratione seu coctione efficitur, quem lac Virginale vocant, quod faciei dicentem colorem affert.* & p.178. *Ex lithargyrio albus conficitur, quem lac virginale ut magis acceptus sit, vocant.*

§.15. Refertur ab eodem *Esthio* inter medicamenta externa una cum epithematibus oxyrrhodino &c. in specie ad aquarum classem a *Zacuto* Lusit. in Pharmacop. art. 4. distinct. 1. cap. 4. f. m. 102. & *Schröder.* lib. 2, cap. 39. Est autem ex his, quæ juniorum adinvenit sedulitas, teste *Renod.* l. æ. Interim jam tum ejus mentio fit. ap. *Guidon.* (qui floruit A. C. 1353.). tr. 6. de antidot. appropr. cap. 2. teste *Zacuto* l. a.

§. 16. A variis varie præparatur. Ubique tamen basis est lithargyros, qui cum duplex sit, ἀργυρίτης videlicet atque χρυσίτης (vide *Dioscor.* l. 5. c. 52.) ideo etiam duplex emergit lac virgineum, *album* sc. ex illo; ex hoc *flavum*, & quasi croci staminibus tinctum, teste Lub. *Esthio* l. c. Conf *Anton. Fueldez.* tr. de Variolis. l. 3. p. m. 134. Imo *Georg. Melichius in Dispensario distinct.* 11. p. m. 451. ex utroque parat. h. m.

R Aceti fortis lb V.
Lithargyri auri
argenti a ℥iiij.

Lithargyrum tritum, & aceto permixtum, per alembicum destilla, & quod effluit, asserva. Dehinc

R Aluminis plumei
Salis gemmei a ʒj
Thuris masculi ℥ß
Camphoræ ℈ij.
Aquæ rosar. lbj.
Olei tartari ℥vj.

Quæ

Quæ terenda sunt, terantur, & per alembicum aqua eliciatur. Utriusque aquæ, quæ exstillarit, guttas binas in volam manus effusas maculis & infectionibus illine, & exigua cum morsu deleri & tolli videbis. Sed hæc compositio ἀταξίαν sapit.

§. 17. Nempe Lithargyrium rubrum, si cum aceto misceatur, constituit liquorem album, qui medicis lac virginum nuncupatur, teste *D. D. Waldschmid Disp. de Chylif. θ. 41. p. m. 25.* Conf. *Diodor. Euchyont. l. 1. §. 24. p. m. 47.* & præcipue *Willis Pharmaceut. rationalis Part. 2. sect. 3. c. 5. p. m 243.* Ita proponit *Zacutus Lus. l. a.*

R Aceti ex vino albissimo facti lb*ß*.
Lithargyri dealbati ℥*ß*.

Misce, & postea per ellychnium destilletur aqua, ex uno vase in aliud. Paulo aliter habet *Esthius l. a.*

R Aquæ Cisternæ vel fluvialis claræ phialam j.
Aceti acerrimi albi cyath. j.
Lythargyri aurei ℥ij.

bulliant ad consumtionem partis quartæ in vitreata phiala, facta residentia, quod purissimum est, servetur usui. *Conr. Johren. in Prax. Chym.* s. 1. c. 11. p. m. 192. ita:

R Lithargyr. ℥ij.
Aceti fortis lbj.

Coque, & filtratum ad usum serva. Alii Cerussam addunt P. I. *Faber* in Pathol. cap. 25. θ. 5. ait: Paratur lac virginis ex cerussa l. lithargyrio in aceto fortissimo dissoluto, & posmodum dissolutioni aliquid salis comm. tartari & aquæ pluvialis in magna satis quantitate additur, donec aqua albescat, quæ dicitur postea lac virginis. Conf. *Renodæum Inst. Pharm*

l. 5. c. 12. Ab hoc parum abit illud *Arnold. Weickardi l. 6. f. m.* III. *a.* nisi quod alumen ustum addat: Et illud *Baricelli hortulo genial. p. m.* 253. qui loco aluminis sal gemmæ ponit. Uti quoque *Conr. Johren.* qui hujus loco Cerussam addit Prax. Chym. s. 1. c. II. p. m. 192. Rursus paulo aliter *Moys. Charas* Pharmacop. Regia Galen. & Chym. p. m. 1040. ita:

R Solutionis lithargyri auri in aceto destill. factæ ℥viij
Solutionis aluminis rupei in aqua nymphææ paratæ etiam ℥viij.

Filtratarum seorsim solutionum, fiat quolibet tempore permixtio, & paratum erit lac Virgineum. Addit idem CL. Charas: *Il suffit d' avoir des dissolutions de Litharge dans du vinaigre distille, & d' Alum dans de l' eau de nymphæa, ou dans quelque autre semblable: Car on peut en les mélant par egales portions avoir sur le champ un Lait virginal fort propre pour nettoyer & blanchir les mains & le visage.* Nec videtur quoad ingredientia ab hoc differre illud in *Pharmacop. August.* f. m. 299.

R Alum crudi ℥iv.

Decoque ad tertias in aquæ font. lbij postea

R Lithargyri lb℔.
Aceti vini lbiℬ.

Decoque ad remanent. lbj. Colentur & commisceantur ambæ aquæ, ac spatula tam diu agitentur, donec albescant Ad h. l. *Zuelferus* in Animadv. f. m. 300. ait: Solutiones aluminis & lithargyrii se invicem præcipitare, ita, ut neutrum horum suas operationes proprias rite exserere possit. Nihilominus tamen addit, illa ipsa ita mixta refrigerando, fucatamque cuti albedinem inducendo nonnihil præstare posse. Pariter ex aceto destil. & lithargyri addito

dito dein ſale & alumine cum linteis admovendum parabat *Thomas Carthuſius* apud *Velſch.*Chil. 1. obſ. 591. Compendioſum eſt hoc *Willis Pharmaceut. rational. P. 2. ſ. 3. c. 5. p. m.* 471. nempe ſolutio lythargiri in aceto deſtill. facta ab oleo tartari per deliquium affuſo, in liquorem inſtar lactis albicantem præcipitatur. Habet etiam *Renod.* l. a.

§. 18. Alii Lythargyro atque aceto addunt quasdam aquas deſtillatas atque alia κοσμητικὰ ac formæ lenocinium facientia, ajente *Lub. Eſthio.* Ita *Diſpenſatorium Norimb.* noviſſimum A. C. 1666. f. m. 155. hoc habet:

R Aquæ ſolatri
nymphææ
lactuc.
Aceti a ℥ij
Lithargyr. ℥j.
Ceruſſæ candid. ʒiij.
Camphor. ℈j.

Lithargyr. cum aceto ebulliat, dein ceruſſa addatur, tandem & aquæ. Refrigeratis camphora cum ſpiritu vini diſſoluta immiſceatur. Idem habet quoque *Schrœder* Pharm. lib. 2. cap. 39. Nec adinodum differt illud *Rondeletii* Tr. de Fucis p. m. 1260. niſi quod loco harum aquarum habeat aqu. plantag. atque roſar. & addat ſal commune. Quod etiam ita habet *Pareus* lib. 25. cap. 44. f. m. 625. qui lib. 26. cap. 10. aliud habet, ab hoc itidem parum differens. Conf. quoque *Weickhardum* in Theſauro Pract. lib. 6. f. m. 121. a. & *Renod.* Inſtit. Pharm. lib. 5. cap. 12. *Tob. Vogel.* im curieuxen Hauß-Diener lib. 3. cap. 1. art. 1. pag. 396. Lac Virginis ita præparat:

R Lithargyri ℥j
Aceti vini albi fortiſſ. ℥iij.

Co-

Coque, dein filtra per chartam emporeticam, adde aquæ rosar. lib. alb. fragor. a ℥j, tunc lactescet. Potest etiam addi aliquid de camphora vel borrace, thure, myrrha, ut simul coquatur. Aliud sub tit. *Essentiæ Cosmeticæ* vid. in Nott. nostris MSC. ad *Jungkenii* Lexic. Pharm.

§. 19. *Weckerus in antidot. special. l. 3. p. m. 732.* ex Fumanello hoc proponit:

Rec. *Lithargyri contriti* lbß.
in aceti albi ℥iij. *Coquito, & panno cribratum in vitreo vase servato: deinde adde camphoræ, aluminis, jameni, boracis, olei tartari a. p. æ. aquæ rosar. q. s.* Sed hic processus mihi non placet.

§. 20. Modum parandi præmissis regulis quibusdam docet *Lub. Esthius l. u. p. m. 138.* inquiens: *Apparatus talis est (1.) competente dosi præscribimus lithargyrium, cerussam & hoc genus alia corpori nitorem acquirentia. 2.) Admetimur aquas idoneas & si opus sit modicum aceti. (3.) Hæc alias ebulliunt, alias solum infunduntur, modo statim dissolvuntur cum diligentia. (4.) Præterea filtrantur, hoc est per filtrum seu spissum pannum trajiciuntur. (5.) Demum insolantur, donec inclaruerint, Lithargyrus colorem impertit alias lacteum, alias flavum.*

Rec. *Aquæ pap.* ℥j.
e limonior. succo destillatæ vitreo alembico ℥iß.
phaseolor.
ex melopeponibus a ℥j.
lapathi acuti ʒiij.
solani ʒij.

sola-

solani ℥ij.
Aceti vini albi ℥iß.
In commistis invicem dissolvatur Lithargyri ℥ß.
Camphor. ℈j.
Cerussa ℥iij.

Concussa jugiter & agitata invicem, permittantur residere, mox per filtrum trajecta condantur in vase vitreo. Alium modum vide apud *Job. Bapt. Zaputam in Mirabilibus Medico-Chirurgici* cap. 20. p. m. 300. item apud *Fel. Plater.* Prax. Tr. 3. lib. 1. c. 2. pag. 178. & adhuc aliud ibid. pag. 186.

§. 21. *Usus* etiam hujus medicaminis est varius atque multiplex. In genere utimur eo *ad refrigerandum, Lub. Esthius l. d.* & *Zwelfer. animadv. ad Pharm. Aug. f. m. 300.* Item ad impetum humorum imbibendum, atque alio derivandum juxta *Lub. Esthium l. c.* adeoque etiam ad sanguinem sistendum, *Schröder. Pharm. l. 2. cap. 39.*

§. 22. Et cum egregiam laudem atque spolia ampla retulit in gynæceis, ut egregium Cosmeticum, ceu contestantur, *Pareus, Pharmacop. August. Schröderus, Esthius, C. Hofman. in Paralip. officinal. c. 89. a,* &c. ideo dicitur iisdem rugas frontis explanare, item manus lævigare, & decorandis virginibus, acquirendoque faciei nitori satis aptum, cutim enim egregie illustrat. Conf. *Zacut. Lusit. l. a.* & *Willis part. 2. Pharmaceut. rational. s. 3. c. 5. p. m. 471.* Ad faciei maculas & guttam rosaceam tollendam probat *P. I. Faber in Patholog. cap. 25. θ. 5.* & ad h. l. in Patholog. animat. *Christ. Langius* p. m. 281. ita: *Hoc tamen haud inficiamur, quod albicans hic,*

&

& ex cerussa factus liquor exulcerationum corrodendes acrimonias & maculas multo permulceat atq; abstergat, & sic consolidundi citoque cicatricem inducendi non contemnendam habeat energiam

§. 23. Cutaneis quoque affectibus prodest, testibus *Pharm. Aug.* atque *Zacuto l. a.* Hinc valet ad aspredines cutis, *Renod. l. a. p. m. 134.* Exsiccat etiam atque extergit pustulas faciei, *Zacutus l. a.* præcipue sanguineas biliosasque *Pareus l. 26. c. 10.* Conf. *Johren. l. a.* Et ideo ad faciei rubores est perutile; *Id. Ib.* Conf. *Baricell. p. m. 254. Renod. l. d.* ut & ad pallorem eidem inducendum, *Esthius l. a.* atque *Weckerus antidot. special. l. 3. p. m. 732.*

§. 24. Valet porro ad scabiem depurgandam, *Lub. Esthius* atque *Schröder. ll. aa. Macas. promt. med. pract. l. poster. f. 16. c. 3.* Item contra lentigines, serpigines, lichenes atque impetigines, conf. *Pharmacop. Augustan. Baricell. p. m. 254.* & *Macas. l. a.* qui *ibid. c. 10.* etiam commendat ad tineam; it. *c. 15.* ad cicatrices & alias maculas, uti & *Willis l. a.* Ad herpeta laudat *Renodæus p. m. 134.*

§. 25. Ad oculorum morbos commendat lac suum virginis *Lub. Esthius de Formulis p. m. 139.* Nec forte male. Siquidem heic & alibi videtur virtutes has sibi poscere ideo, quod partim refrigeret, partim emolliat, mitiget, humectet &c.

§. 26. Ad erysipelas non inutiliter adhibetur *Macas. Prompt. Med. Pract. l. poster. f. 16. c. 3.* Ita erysipelas jam plurium annorum in quodam curavit *Thomas Carthusius de Bono Lapide in praxi med. ap. Velsch. Chil. 1. obs. 591.* Imo ad exulceratum

tum commendat *J. Crato l. 4. Conf. 27. p. m. 182*, atque *G. H. Velschius Chil. 1. curat. & obs. 591.* In aliis quoque ulceribus sordidis laudat *Lub. Esthius l. c.*

§. 27. Ad varios quoque tumores discutiendos atque mitigandos expetitur. Præcipue autem valet in tumoribus calidis, qui olea & pinguedines non admittunt, maxime, quando tumor articulum invadit, *Arn. Weickardus in Thes. Pract. l. 6. fol. m. 111. a.* ubi addit etiam doloribus mitigandis prodesse. Ad tibiarum tumores laudat *L. Esthius l. a.* Ad scroti tumores itidem. Et χαριέστατος *C. Hofmannus in Paralip. officin. c. 89. b*, scribit: *Ego vidi seniorem nostrum Chirurgum* Petrum Colerum, *discutere ejus litu solum maximum scroti tumorem in hydropico, de quo ille affirmabat, frustra ferro aperiri, quod materia ibi esset flava, consistens instar gelatinæ.* Allegat quoque G.H. Velsch. Cent. 1. Conf. Med. 70. in nott. p. m. 101. Pariter verrucæ in manibus, si per aliquot dies bene confricentur isto lacte virginis, quod *Baricellus in hort. genial. p. m. 254.* habet, evanescunt. Forte propter sal gemmæ. Hinc quoque docuit P. *Borell. C. 2. obs. 46.* ad easdem sal armoniac. in aqua solutum.

§. 28. Modus utendi eo, aut idem applicandi facilis est. Cum linteo admovebat *Thomas Carthusius* ap. *Velsch. Chil. 1. obs. 591.* ut & *Weickardus l. a.* & quidem tepide. Alii eodem una cum aqua fucatrice faciem quotidie bis, (*Willis l. a.*) ter aut quater abluunt, *L. Esthius l. c.* Modum lactis

virgi-

virginalis iſtius, quod PLATER, Prax. pag. 178. deſcripſit, applicandi vid. ibid.

§. 29. Obiter heic notamus improprie alia coſmetica quoque dici poſſe lac Virginale. Hinc *Rondeletius in tr. de Fucis p. m. 1259.* inter alia coſmetica & hoc proponit inquiens: *Convenit etiam lac virginale deſtillatum ex umbilico veneris, cucurbita, nenuphare, ſempervivo & aliis bujusmodi ex herbis refrigerantibus.*

§. 30. Placet denique mantiſſæ loco addere aliud lac virgineum, quod ſtatim præparari poteſt, ſi ad manum habeamus Tincturam ſtoracis aut benzonii, præparatam cum ſpiritu vini, ſi nim. aliquot ejusdem guttas certæ quantitati aquæ coſmeticæ deſtillatæ inſtillemus; imo etiam aquæ ſimplici calidæ prout vidi apud quosdam barbæ tonſores, qui ob hoc ſtudebant emendationi cutis faciei, dum eam eodem abluebant barbam radentes. Meminit ejus *CL. Moyſes Charas* Apothecarius Regius & Chymicus ordin. in laboratorio horti Regii Pariſ. Amicus noſter honoratiſſimus *in Pharmacopæa Regia Galenica & Chymica part. 4. p. m. 1046.* his verbis: *Ceux auſſi qui ont de la Teinture de Storax ou de Benjoin preparée avec l'Eſprit de vin, peuvent avoir en tout tems un Lait Virginal, en mêlant un peu de cette Teinture, avec ſept ou huit fois autant de quelque Eau diſtillee coſmetique. C'eſt auſſi le Lait Virginal qu'on employe le plus aujourd'huy ta tant a cauſe de ſa bonne odeur, que pour ſes bons effets.*

III.

III.
LAC VIRGINIS PHYSICUM.

§. 1.

TErtium prioribus ſubnectimus lac, nempe Phyſicum. Neutiquam vero rei erimus alicujus μεταβάσεως εἰς ἄλλο γένος. Siquidem quicquid ferme phyſica habet corporum naturalium, medicinæ inſervire ſolet. Hæc noſtra & ex ſacris & ex profanis ſcriptis ſibi ſelectum facere poteſt. Et næ rudis eſſet iſte medicus, qui nihil politioris diſciplinæ deguſtaſſet ex aliis nobiliſſimis ſcientiis atque artibus?

§. 2. Hoc equidem lac Virginis Phyſicum nobis non adeo cognitum eſt. Non autem intelligimus heic verum Mariæ lac, quod ex uberibus ſuis filiolo, Servatori noſtro, in alimentum dedit, de quo CL. Vir Matthias Berneggerus in Hypobolimæa Divæ Mariæ Deiparæ Camera cap. 5. pag. 38. (citante Exc. D. D. Joh. Fechtio Tom. 1. Noctium chriſtianarum Exerc. 10. §. 119. p. m. 637.) ita ſcribit: Quomodo in Eccleſia Capernaitana fuiſſe imaginem Deiparæ Virginis a Luca depictam, cui templum ſtruxerit Pulcheria, author eſt Nicephorus Calliſtus lib. 14. cap. 11. ſed id eadem fide facit Nicephorus, qua ibidem referr, Eudociam Pulcheriæ lac D. Mariæ miſiſſe, cujus tanta copia etiamnum paſſim oſtenditur a ſacrificulis, quantum vix credibile eſt, præcipue uni mulieri uniparæ, etiamſi nihil bibiſſet infans, ut feſtive Roterodamus inquit in Colloquiis. Digna ſane eſt, quæ huc referatur, hiſtoria ex Eutychio, Patriarcha Alexandrino, Tom. 2. Annalium p. m. 448. ſeqq. ex interpretatione Edu-

ardi Pocockii his verbis: Porro obiit Michael, Theophili filius, Romanorum Imperator, ſuccedente ipſi Theophilo Romanorum Imperatore, qui ex Eccleſiis imagines amovens, easdem delevit, nec non fregit, jubens, ut nulla omnino in aliqua Eccleſia eſſet imago. Cauſa etiam, quæ ipſum impulit ad imagines ex Eccleſiis tollendas, hæc fuit, quod ipſi a Conſiliario ipſius quodam narratum eſſet, eſſe in loco quodam in ditione Romanorum Eccleſiam, Sanctæ Mariæ ſacram, inque ipſa imaginem, e cujus uberibus, cum celebraretur feſtum illius, lactis gutta ſtillaret. Quod cum Theophilo haud credibile videretur, in rem inquirens, invenit æditnum, facto in pariete, a tergo imaginis, foramine, quod usque ad ubera pertingeret, eique tubulo plumbeo tenui ac gracili immiſſo, locum luto ac calce, ne appareret, obduxiſſe, cumque adeſſet Feſtum Sanctæ Mariæ, foramini iſti lac infundere ſolitum, cujus guttula e mamma imaginis deſtillaret, quare peregrinationes ad Eccleſiam iſtam inſtituentibus hominibus, multum pecuniæ lucratus eſt hac de cauſa æditnus. Mittens ergo Theophilus Imperator imagine iſta diruta locum refecit, juſſitque, nullas omnino in Eccleſiis imagines retineri. Aedituum autem Eccleſiæ iſtius capite truncavit, & ex Eccleſiis imagines ſuſtulit, dicens: Imagines inſtar idolorum eſſe, & qui imaginem coluerit, perinde eſſe, ac ſi idola coleret. Hinc ortum eſt inter Romanos diſſidium in iis, quæ ad imagines ſpectant, adeo, ut alii alios infidelitatis damnarent, dicentibus aliis, qui imaginem coluerit, infidelitatis reus eſt, aliis qui eas non coluerit, infidelis eſt. Affinitas vero nominis eam nobis extorſit quaſi curioſitatem, ut quod domi noſtræ non naſcitur, ex alienis peteremus agris.

§. 3. Illud nobis ſuppeditavit Celeb. *J. D. Major*, Hol-

Holsatiæ splendor eruditissimus, Amicus noster magnus, in doctissima Dissert. de Lacte Lunæ cap. 8. §. 14. (Kiloni 1667.) ajens: Saxum esse quoddam plagæ orientalis ita nominatum; & locum allegat integrum *Nierembergii*; qui αὐτόπτης illud speculatus est.

§. 4. Nimirum verbis & fide *Eusebii Nierembergii in libello peculiari de miris & miraculosis naturis in terra Hebræis promissa cap. 38.* isthæc referemus. Ait autem auctor: *Haud procul Cotovicus, a monasterio Bethleemitico, antrum (cui a virgine nomen est, quodque item cryptam lacteam vocant,) subiimus. In ingressu obscurissimum & arctum, via leniter declivi & saxosa, adeo angustum præbet accessum, ut nisi genibus flexis, aut saltim inclinato ad uterum capite, vix penetrare queas. Itaque ne usquam offenderemus, ardentem quisque cereum gestavimus. Ad penitiora ubi devenimus, antrum offendimus, quadrata forma viginti quatuor circiter pedes per quadrum continens, in cujus fere medio aram marmoream etiamnum integram videre est. Ferunt, hoc loco Mariam Virginem cum IESU infantulo (dum Heroden in Bethleemiticos infantes sævientem fugeret) latuisse, atque interim, dum filium lactaret, lacte suo locum irrorasse. In cujus rei memoriam D. Hieronymi ætate templum in hoc ipso loco, itemque monasterium Virginis a Paulla Romana erectum volunt, quod tamen hac tempestate penitus dirutum, & solo æquatum, in cinerem abiit, nihilque præter altare marmoreum, & antri foramen rotundum (quod in summitate rupis excisum, lucem admisisse verisimile est,) reliquum ostendit. Hujus antri saxum coloris subalbidi, duritie cretam non superat, ut scalpello radi facillime possit. Id vulgo lac Virginis vocant, miramque ei indigenæ vicini-*

que populi omnes attribuunt efficaciam, multis experimentis approbatam. Ferunt namque fœminas lactis inopia laborantes, si vel exiguum hujus pulveris abrasi, aqua vel vino, aut lacte dissoluti, accipiant, statim ubi id sumserint, lacte repleri; idque non solum a Christianis, sed ab ipsis quoque Mahumedanis, & Mauris, & Turcis publice omnium ore confirmatur; qui hoc ipsum in suis uxoribus & animalibus sæpissime se expertos ajunt. Causam vero virginali lacti attribuunt ac divino miraculo adscribunt. Precibus in antro peractis & salutata virgine, singuli de cryptæ lateribus aliquid derasimus, & nobiscum adportavimus. Cujus ego vim in nostratibus fœminis frequentissime certam didici, atque orientis populi opinionem haud vanam esse comprobavi. Hactenus *Nierembergius.* Rem in vernacula exponit Reitschitz in seiner Siebenjährigen Welt-Beschauung Part. 3. cap. 14. p. m. 326. seq. Celeberrimus Præses Acad. Nat. Cur. Dn. *Lucas Schrœckius* Dec. 3. Ephem. Ann. 7. & 8. obs. 209. p. m. 353. ita: Neque indictum abire debet *lac Lunæ Bethleemiticum*, quod in crypta B. Mariæ Virgini sacra, in qua nempe, cum Herodis tyrannidem effugeret, latuisse, atque dum filium lactaret, hoc lacte suo locum hunc irrorasse, vulgo traditur, concrescit, compactioris quidem substantiæ, ast facile in pollinem farinaceum teri aptæ, & cæteroquin farinæ nostræ non absimiles, quo de agunt Museum Calceolarianum sect. 2. pag. 138. Nierembergius Tr. de Miris & Miracul. Nat. in terra Hebræis promissa cap. 38. ut & *Franc. Ferdin. Troilo* Itinerar. Orient. pag. 311. *Fr. Gabriel de Pechwarodino*, Ungarus, Ord. D. Francisci de Sacra Observantia in Compendio locorum Terræ sanctæ Part. 2. fol. 24. b. edit. 1521. in 4to ait: Crota sive Crypta B. V.

Mariæ prope Hierusalem est, &c. & habet *lapidem album* in rupe, sed *mollem*, ita, quod de facili potest frangi, & ille lapis sive rupes tantam obtinuit & sumsit virtutem ob ablactationem virginei lactis, ipsum parvulum Jesum loco in illo nutrientis, ut quæcunque puerpera Christiana aut pagana lacte carens, parvum quid de illo lapide in pulverem redacto in aqua gustaverit, absque dubio lacte abundans fuerit, nisi fide de hac re careat.

§. 5. Relationi huic stes sua fides. Interim virtutem hujus terræ quod spectat, hanc γαλακτοποιησιλὴν commendat *Auctor* inductus (1.) auctoritate (α) Indigenarum, & (β) vicinorum populorum, & quidem omnium, tam Christianorum, quam Mahumedanorum atque Turcarum (2.) Experimentis multis illorum hominum, tam in suis uxoribus, quam etiam animalibus, sæpissime factis. Imo etiam (3.) experimento ipsius *Auctoris*, qui ipsemet in nostratibus fœminis sæpissime ejus vim certam didicit.

§. 6. Unde hanc autem habeat, disquirendum est? *Divino miraculo adscribunt!* Sed hoc videtur nimis remotum. Uti enim ambabus largimur omnia bona in nos promanare inexhausta divinæ bonitatis abysso; ita caussam naturalem hac vice investigabimus. Nimirum hoc lac, æque ac crystallus, & alia hujusmodi siccæ naturæ, lac *materialiter* non efficiunt (conf. Satyr. Med. Contin. 2. §. 2. lit. π in fine) chylum videlicet constituendo; nec *instrumentaliter*, aut *directive*, chyli ad mammas transitum juvando, sed tantum *dispositive* (ignoscat Latium Scholis) ubi inquinamenta acida (in primis viis col-

liquamento alimentorum accedentia, quorumque culpa concoctio vitiatur, chylusque vel nullus, vel paucus, vel minus laudabilis conficitur; unde mammæ lacte debito defraudantur) imbibit, absorbet, præcipitat, ac ita lactis impedimenta removet, uti in simili bene est ratiocinatus Excell. D. D. *I.D. Major*, amicissimus noster; in *doctiß. tr. de Lacte Lunæ cap. 10. §. 5. & 8.* De Fungo Sinensi antidotali LACTIGRIDIS dicto vid. Ann. 4. Ephem. Germ. Cur. obs. 153. Sed finio verbis Summi *Hippocratis l. π. γονῆς f. m. 12. καὶ ταῦτα μέν μοι εἰρέαται ἐς τοσοῦτον.*

BREVIARIUM
LACTIS VIRGINIS I.

§. 1. *PRopositio an & unde Virgines lac habeant? 2. Multi negant. 3. ut Philosophi. 4. Philologi ex voce παρθένου. 5. JCti. 6. propter* 𝔓. 𝔖. 𝔇. *7. & consuetudines. 8. it. Medici. 9. quia ejus nullus finis. 10. contrariatur consensus uteri c. mammis. 11. hinc lactantibus non fluunt menses. 12. uti nec impraegnatis. 13. lac non adest; nisi & aptitudo ad impraegnationem; hac desinente desinit & illud. 14. menses fluxerunt per mammas. 15. uti lac aliquando per uterum. 16. distinguitur inter lac verum, & humorem mucosum. 17. affirmatur lac virginis auctoritate. 18. & per autopsian, sed (α) miraculose. 19. (β) naturaliter. 20. rationibus. 21. vel sola suctione in juvenibus. 22. ac vetulis. 23. it. in brutis. 24. visum lac in infantibus. 25. it. viris, juvenibus*

bus ac pueris per auctoritatem. 26. per experientiam. 27. frustra obstat Mercurialis. An. Hippocr. auctor l. de glandul. 28. visum in brutis masculis. 29. aeque ac talibus faemellis. 30. concluditur verum lac in incorruptis mulieribus; sed rarius. 31. imperitis ac obstetricibus heic non credendum. 32. probatur 2. responsis Fac. Med. 33. refutatio contrariantium. 34. Philosophorum. 35. Philologorum, quia ab etymologia fragile argumentum. 36. aliquot etymologiae τȣ̃ Παρθένȣ. 37. JCtorum. 38. per 𝔓. 𝔋. 𝔇. 39. consuetudines limitantur. 40. Galenus non est auctor histor. Philosoph. 41. locus in graeco est corruptus. 42. & in Latino. Nova versio. 43. nec lac hoc conceptionem notat. 44. nec frustra est. Falsa Reies opinio. 45. an testes semine nutriantur? 46. neg. 47. an ventriculus chylo? 48. neg. 49. an ossa medulla? 50. limitatur. 51. neg. 52. lac istud non frustra est. 53. consensus uteri cum mammis per vasa mammaria & epigastrica. 54. sed αὐτοψία refutat. 55. cur lactantibus nulli menses? 56. exempla in contrar. 57. ut & gravidarum menstruatarum. 58. responsio ad §. 13. 59. menses aliquando fluxerunt per oculos, aures, nares, os, gingivas, &c. 60. quomodo lac per uterum fluat. 61. an lac virginum, virorum &c. verum sit, nec ne? 62. an lac a mensibus suppressis. 63. Aff. 64. Ratio, quia utrisque eadem materia. 65. lac quoque ex alio sanguine. 66. lac non e sanguine. 67. sed e chylo. 68. 69. probatur. 70. chylo sociant alii succum nervosum. 71. alii lympham & rorem. 72. conclusio.

LACTIS VIRGINIS II.

§. 1. *Lactis ὁμονυμία in pharmacia. 2. lac amygdalinum. 3. lac S. Luciæ. 4. lac Mandragoræ. 5. lac Mechoacannæ. 6. lac Dacrydii. 7. lac Aloëticum. 8. lac Aureum. 9. lac Sulfuris. 10. lac Balsami. 11. lac Saturni. 12. lactis hujus virginis ὁμονυμία. 13. Nostri lactis Virg. descriptio. 14. ὀνοματολογία. 15. quo refertur. 16. basis est lithargyros. 17. modus parandi. 18. aliis. 19. rursus alius. 20. regulæ quædam. 21. usus generalis. 22. est Cosmeticum. 23. ad aff. cutis. 24. ad varias scabiei species. 25. ad oculos. 26. ad Erysipelas. 27. ad tumores varios. 28. modus utendi. 29. impropriè sumitur pro aliis cosmeticis. 30. aliud lac virginis sine lithargyro.*

LACTIS VIRGINIS III.

§. 1. *Physica medicis servit. 2. hoc lac nobis incognitum. 3. sed aliunde suppeditatur, 4. describitur. 5. virtus ejus γαλακτοποιήσεως, 6. caussæ.*

SATYRA DECIMA SEXTA
DE VITRO ET ΥΑΛΟΦΑΓΟΙΣ.
Von Glas-Fressern.

§. 1

NOn leviter levissimam gravissimæ mortis causam ignatus sum Viro in gravissimo *Adriano Spigelio*, Anatomico, vel *Guil. Fabricii*

bricii (Cent. 5. obſ. 2.) encomio condigno. Ille etenim unicæ filiæ celebrarat nuptias, in quibus, cum fractum colligeret vitrum, vulneravit leviter, neſcio quem e digitis ſiniſtræ manus: ſupervenit inflammatio, quæ non tantum occupavit totum brachium, ſed & tumorem ſub ala inſignem excitavit, quo vix ad ſuppurationem perducto, quamdiu effluxit ſanies ſubcruenta & fœtida, meliuſcule quidem habuit; ceſſante vero illa, & diarrhæa ſuperveniente, omnia in pejus ſublapſa ſunt, usque dum tandem 7. Aprilis empyematicus moreretur, cen amici Patavio perſcripſerunt ad Celeb. *Caſp. Hofmannum*, qui hæc centeſtatur apud *Fabric. Hild.* l. a. obſ. 1. p. m. 208. (Edit. Lugd. 1641.) Ex quo etiam *J. R. Camerar.* Syllog. memorab. Cent. 10. part. 40. p. m. 48.

§. 2. Simile fere, quamvis mitius adhuc, habet laudatus *Fabric. Hild.* Cent. 5. obſ. 2. Exempl. 4. inquiens: *Cum eſſem adoleſcens, Matronam vidi Noviſiæ, in Diœceſi Colonienſi habitantem prope portam inferiorem* (Niederport) *illa, cum ſibi, ut recte recordor, indicem dextrum vitro punxiſſet; ſecutus eſt primo dolor vehementiſſimus, deinde inflammatio, aliaq; graviſſima ſymptomata, quæ brevi totam manum occuparunt, & diverſis in locis ulcera ſordida, cum oſſium & ligamentorum croſione excitarunt. Opera & diligentia Chirurgi cujusdam non vulgaris M. Johannes Dumgens nomine, tandem poſt longum tempus curata quidem fuit, ſed ingenti cum labore; articuli quoque nonnulli digitorum rigidi permanſerunt.*

§. 3. Quid fiet, inquiebam, ſi intro vel per imprudentiam, vel per violentiam, vel per temeritatem adſumetur, quando foris tantum nocuit?

§. 4. Sunt tamen, quos innoxie vitra devoraſſe legimus,

gimus, quos vitrivoraces inter rara refert *M. Weinrich.* de Monstris cap. 15. p. m. 140. a. Illos inter maxime famosus est *Lazarus* ille, vel ideo cognominatus *Vitrivorax*; cujus memorabilem historiam, una cum judicio super eadem, dabimus fide αὐτόπτου CL. *Realdi Columbi* lib. 15. Anatom. p.m. 486. seqq. (ex quo etiam repetunt *Marcell. Donat.* lib. 4. de med. hist. mirab. c. 1. p. m. 301. *J. R. Camerar.* Syllog. memorab. Cent. 5. Part. 6. *C. Reies* in Campo Elys. qu. 58. n. 4. atque *P. Borell.* Cent. 1. hist. 52. refert *Lotich. ad Petron.* Comm. lib. 1. cap. 2. p. m. 25. & *M. Weinrich.* de Monstris cap. 8. p. m. 65.b. qui omnium Stitrotynerasiarum admirabilissimum vocat exemplum expresse his verbis: *Quod majore admiratione me affecit, fuit inspectio Lazari Vitrivoracis vulgo dicti, quem Patritii omnes Veneti, imo Veneti omnes, omnes Ferrarienses de facie noverant. Hic nullo prorsus gustu, dum viveret, praeditus erat, nullam in edendo voluptatem, nihil injucundum persentiebat; insipida, amara, dulcia, pinguia, salsa, acria non distinguebat; vitrum, saxa, lapides, ligna, viva animalia, carbones, pisces, e vivario extractos, adhuc salientes vorabat. Vorabat lutum, lineos laneosque pannos, foenum, stipulam, & ut brevi omnia complectar, quidquid homines, quidquid animantia vorant, quidquid illi edendum seu deglutiendum potius offerebatur, mercede proposita, dictum ac factum ingurgitabat. Testis est inter reliquos Martinus Aromatarius Patavii ad Angeli insigne, cui sacculum carbone refertum, & saccum insuper devoravit; quo viso, persolvit, quod pollicitus fuerat, comminatus, ne ad pharmacopolium amplius accederet, veritus, ne se cum taberna & vasis esitaret. Cum igitur hoc naturae monstrum mihi dissecandum esset Patavii, coepi hujusce rei diligenter,*

quoad

quoad ejus fieri potuit, caufam venari, quam me tandem, Deo Duce, ex particulari illius ftructura affecutum effe confido. Nam quarta nervorum conjugatio, quæ guftus gratia in aliis hominibus a natura producta eft, in hoc Lazaro Vitrivorace neque ad palatum, neque ad linguam reptabat, fed ad occipitium reflectebatur. Sed de hoc Lazaro fatis fuperque. An vero genuinam hanc credamus caufam, acutioribus difpiciendum relinquo.

§. 5. De Vitrivoracibus agit *Craane* de Homine pag. 102. ad h. l. *David Græbnerus* in Medicina veteri reftituta pag. 96. ait; Vitrivoracium exempla tradit *Reald. Columbus* lib. 15. de iis, quæ raro in anatome reperiuntur, pag. 486. *Mart. Kerger.* de Fermentatione fect. 3. cap. 2. pag. 187. *Petr. Borellus* Hift. & obf. rar. Med. Phyf. Cent. 1. obf. 52. pag. 58. *Rob. Boyle* de Gemmarum orig. & virtute pag. 38. Conf. Ephem. Germ. Dec. 1. Ann. 1. obf. 83. pag. 176. Ita elegantiffimus Medicus *Henricus ab Heer* obf. 16. p. m. 208. fæpe vidit inter Germanos vinum fibi vitrumque fimul propinantes, (das heift man auff Brüderfchafft fauffen) *qui cum totum vitrum dentibus fuis molitum deglutiffent, non ideo moriebantur, licet gulam, ftomachum, ipfaque inteftina excoriaffent, quia natura omnia illa tribus veftivit tunicis, vel membranis, ut docet Galenus 4. de V. P. & poft illum tota Medicorum academia, ita, ut duabus primis tunicis erofis, atque adeo omnino exefis, fola tertia deglutitioni fufficiat, nec mortem, nifi poft multos annos accerfere poffit.* Et non nocere vitri fruftula deglutita, quia cibis immifta defcendunt, fententia eft *Cafp. Hofmanni*, Germanorum doctisfimi, ait Celeb. *Th. Bartholinus* Cent. 5. hift. 66.

§. 6. *Fabric. Hildan.* Cent. 5. obf. 2. & Cent. 6. obf. 35. refert: Se in vicinia cognoviffe duos viros, qui

qui adhuc viverent & quidem satis commode; isti vero vitra quam plurima veluti cum aviditate devorarunt. Ex eo citat quoque *J. R. Camerar. Syllog. memorab.* Cent. 10. part. 66. atque *C. Reies* in Camp. Elys. qu. 58. n. 4. de uno ex illis duobus idem *Fabric. Hild.* cap. 6. obs. 35. ita: *Unum ex duobus illis, qui adhuc superstites sunt, Paterniacensis, & amicitia mihi junctus, quemque a multis annis non videram, hisce diebus hic offendi, & miratus fui. Est enim, quamvis nunc sit senex, & in florenti ætate quam plurima vitra devoraverit, attamen etiam nunc robustus, & morbis parum obnoxius.*

§. 7. *Amatus Lusitanus* Cent. 2. Curat. 69. in Scholiis p. m. 312. vidit apud Ferrarienses heluonem, quam hominem potius dicendum, qui coria, testas, & fracta vitrea vasa comedebat, concoquebat & digerebat, ut eum Struthio camelum appellaverint avem. Ex eodem allegat quoque *Marcell. Donat.* lib. 4. Hist. med. mirab. cap. 1. pag. m. 301.

§. 8. Militem amicum habuit laboriosissimus *Th. Bartholin.* Cent. 5. Hist. 66. qui masticatum vitrum sine detrimento faucium & ventriculi deglutiret.

§. 9. Coquo castrensi *Arnaldo Mirapicio* mira fuit proprietas. Nam vitrum, etsi satis spissum, avidissime vorat in conviviis, vinum superbibendo; sanguis autem ab illius ore fluit, dum hæc peragit: Id tamen sæpissime & innoxie fecit coram me, ait *Borell.* Cent. 1. obs. 52. Paria aliquoties ipsemet observavi in aliis, præcipue in viro quodam Nobil. jam in aula Principis Germ. versante.

§. 10. Observavimus nos (scribit *Panarolus* Pentecost. 4. obs. 6.) propriis oculis quendam Germanum, qui post potum, vitreum craterem dente in subtilissimas partes reductum, devorabat sine ulla noxa. *Ol. Borrichius* in Hodæporico suo MSC. ait:

A. 1662.

A-1662. d.13. Sept. Coloniæ Agrippinæ inter cœnandum noſter Baro Bremte, in vicinia hujus urbis habitans, integrum vitrum potorium comedebat, & minutiſſime conterebat dentibus, Walrathio Tribuno militari Cæſareo propinans, cui reſpondere eo modo diſplicuit.

§. 11. Et quid opus peregre accerſere exempla, quæ largius nobis domi naſcuntur? Quam multos vidi olim in Academiis commilitones inter convivalia oblectamenta, ſine ulla tamen noxa tentaſſe? Erunt (nam & adhuc aliquot heic terrarum novi) qui ultro facient fidem ſuis experimentis haud fallacibus. Ipſemet ego nuper in hyalurgia Schonaugienſi (auf der Glas-Hütte zu Schönau) tribus ferme horis hinc diſtante, experimentum feci, & non ſolum vitri ſcorias ſive fel vitri (de quo inferius) ſed ipſamet vitra dentibus, quam potui, minutiſſime trivi ac deglutii ſine ulla vel eroſione, vel ſanguinis profuſione. Hoc tamen non diffiteor, me poſtera die in gula aliquem aſperitatis, ſed leviſſimæ, deprehendiſſe ſenſum.

§. 12. Non ſatis mirari poteſt CL. *Fabric. Hildan.* Cent. 6. obſ. 35. quomodo fragmenta illa acutiſſima, & in copia devorata, inteſtina, exquiſitiſſimo ſenſu prædita, ſine incredibili cruciatu, ac vitæ extinctione permeare potuerint?

§. 13. Cauſam naturalem, quam inveſtigaverit, invenerit nullam, quin potius id tribuit l. a. divinæ bonitati & *μεγαλοψυχία εἰς τοὺς ἐλεεινοὺς* ut *Nazianz.* verbis utar, quæ nimirum clementer nobiscum agat, & reſipiſcentiam noſtram patienter exſpectet.

§. 14. Verum utut & hanc admittamus, nimis tamen remota, nimisque generalis eſt. Arridet ergo magis CL. *Greg. Horſtii* ſententia in Reſponſ. ad *Fabric. Hildan.* ap. hunc Cent. 6. obſ. 35. inquientis:

tis:

tis: *Quanquam autem acutissima fragmenta vitrorum alias acumine suo facillime partes corporis lædant; alia tamen est ratio, quando masticationis beneficio conteruntur, ac postea cum alimentorum ac potulentorum liquoribus commiscentur, ubi non dubito, quin ad primarum viarum purificationem faciat ejusmodi vitrum.*

§. 15. Ejusdemque opinionis deprehenditur *C. Hofmann.* apud eundem *Fabric.* l. a. ubi judicat, descendere fragmenta vitrorum immista cibis & excrementis, atque ita minus lædere, obtusa videlicet acie illorum a lentore istorum. Et cum posset objici; cur non fiat in omnibus? respondet, se credere, fieri in iis tantum, in quibus natura sit robustior, ideoque expeditior ad obeundas res suas.

§. 16. Interim hanc petulantiam vitri devorati multi gravissimis luerunt pœnis. Si etenim exterius in vulnere tantam intulit noxam; veluti §. 1. & 2. demonstravimus, imo ipsam mortem in *Spigelio*, supra §. 1. Quidni interius in tam profundis, in tam sensibilibus nocuerit partibus sævius?

§. 17, Adest equidem exemplum *Nic. Kirchbergeri*, Patritii ac Senatoris Bernensis ap. *Fabric. Hild.* Cent. 6. obs. 78. Ille ante sesquiannum inter pocula assecla suo vitrum tenenti colaphum infligebat, inde comminuto vitro, ex ictu frustulorum vulnerabatur, subsequente larga hæmorrhagia, sed retinebatur in vulnere frustulum vitri hac magnitudine △ quod in metacarpo dextro ad indicis radicem tam diu delituit sine dolore ac ullo fere incommodo; nisi id comprimeret, aut contra corpus aliquod durum allideret, (causam docet *Greg. Horst.* lib. 2. de Morb. Capit. obs. 35. in Epist. ad *Hildan.* f. m. 105. a. in mucilaginosum succum; vitream istam particulam obducentem, illum vero alias e massa sanguinea

sibi

ſibi familiarem partes iſtæ tendinoſæ circa digitos pro ſui nutritione trahant,) donec illud tuberculum durum, & ut videbatur ſcirrhoſum, impoſito emplaſtro de cicuta poſt dolorem pungentem in ulcus abiret, & vitrum volſella ſine difficultate extraheretur: Ibi mundificato ulcere intra paucos dies fuit conſolidatum. Difficilius exemplum cum curatione habet *Hildan. l. a. circa finem.* Alias ad vitra ex vulneribus extrahenda laudatur Emplaſtrum *Gratia Dei* dictum cujus uſum & compoſitionem docet *Chriſtoph*, WIRSUNG im Arznei-Buch, *part. 5. cap. 1. §. 16. f. m. 611. b.*

§. 18. Sed age, recenſeamus varia exempla eorum; quibus hæc temeritas ὑαλοφαγίας peſſime ceſſit. Siquidem, veluti paullo ante ex *Henr. ab Heer* retulimus, gulam, ſtomachum & inteſtina facile excoriant; ſummumque excitare poſſunt dolorem, utpote in partibus membranaceis, & ſingulari ἐναισθησίᾳ gaudentibus. Conf. *Cæſalpin. l. 3. c. 23.* ap. *P. Zacchiam*, & F. PLATER. qui Prax. Tr. 2. cap. 11. pag. 455. ait: *A vitro fracto (quod ebrii deſperati homines interdum dentibus ſcindentes & comminuentes ſtudio devorant) non ſolum rodens ſed & pungens lancinansque ventriculi dolor urget.* Inde deglutitio alimentorum (ad vitam tamen vel maxime neceſſariorum inſigniter læditur. Ut eo minus dein miremur corporis ἀτροφίαν & extenuationem. Quin imo ipſamet medicamentorum deglutitio læſa non poteſt non retardando malum promovere. Quam noxam adtendunt quoque *Joh. Manlius in locc. com. mox. citandis p. m. 244. Fabric.*

bric. Hild. in der Vorbereitung zum Christlichen Glaß-Trunk, *pag. 25.* ap. *J. R. Camerar. Cent. 10. memorabil. part. 66.*

§. 19. *Cardanus lib. 2. Contradict. med. tr. 5. contrad. 9.* proponit historiam quarundam monialium; quæ ex assumto vitro male sehabuerunt.

§. 20. *Fabric. Hildan. Cent. 5. obs. 2.* ait: Se se novisse in vicinia virum, cui egregie nocuerit ὑαλοφαγία, secus ac suis duobus sociis, supra §. 6. Iste enim postquam vitra quam plurima, veluti cum aviditate, devorarat, ante duos annos (ubi hæc Auctor scribebat 1625.) phthisi obiit. Forte quia acumina frustulorum eroserunt pulmonum substantiam, unde eorum exulceratio. Quamvis idem *Hildan. Cent. 6. obs. 35.* super hoc exemplo ita ratiocinatur: *An vero morbum* (phthisin) *quo exstinctus est, ex devoratis vitris contraxerit, non constat. Ab eo enim tempore quo vitra devoravit, per aliquot annos incolumis vixit, sed adeo intemperanter, ut, an morbum ex devoratis vitris, an potius ex ingurgitatione vini & ebrietate contraxerit, valde dubitem.* Ego hoc & simili in casu arbitror caussas socias stetisse pro una; veluti scholæ loqui amant. Ex *Hildano* hoc exemplum referunt quoque *J. R. Camerar. Cent. 10. part. 66.* & *C. Reies in Campo Elys. quæst. 58. n. 4.* Aliud exemplum ex Keckermann l. 3. Syst. Phys. c. 12. allegat Lotich. ad Petron. Comm. l. 1. c. 2. p. m. 25.

§. 21. Ita vitri deglutiti infelicem successum expertus est Heduccus quidam, cui id tentanti, & alias adsueto, majusculum vitri frustulum infimo œsophago

phago inhæſit, cui erodendo, nec vomitoria, nec alia ſubſidia profuere. Tandem videbatur ſua ſponte deorſum protruſum: inde poſt trimeſtre *Convulſionibus Epilepticis* ſæpius miſere fuit divexatus; teſte *Th. Bartholin. Cent.5. hiſt.66.* Ratio facile poteſt peti ab acutis vitri angulis, partes membranaceas aut nervoſas pungentibus, irritantibus atque vellicantibus.

§. 22. Quinimo non ſolum gravibus mulctati fuerunt ſymptomatibus haut pauci ὑαλοφάγοι, ſive vitrivori; ſed ipſa non raro functi ſunt morte. Adeo ingrata voluptate ingratiorem oppetierunt mortem. Ratio magnam partem ex antea dictis claret.

§. 23. Illam experientia confirmabit variis exemplis. *Satellites cujusdam Regis* (ſunt verba *Joh. Manlii in Locis Commun. ad Præcept. 5. Tit. de Conviviis p. m. 243.*) *largius ſe vino ingurgitantes contuderunt vitrea pocula, ac alter alteri præbibit illum pulverem. Elapſis vix duobus menſibus, omnes mortui ſunt. Hæc mihi narravit quidam multis nobis notus, ipſisque aſſidens, cui tamen, ut homini ſcholaſtico, pepercerunt.* Ex eodem quoque allegant *Fabric. Hild. Cent. 5. obſ. 2. & Cent. 6. obſ. 35. J. R. Camerar. Syllog. Mem. Cent. 10. part. 66. p. m. 95.*

§. 24. Idem *Manlius l. a.* hanc ſubnectit hiſtoriam: *Ante paucos annos fuerunt quidam Ambergæ, in Bavaria, qui longa potatione inebriati, tandem vaſa teſtacea, e quibus biberunt, contundunt, ſeu in pulverem redigunt, & alter alteri illum pulverem in*

vino præbibit. Tandem ventum eſt ad vitra, quæ ſimiliter in pulverem redacta ſunt, ac invicem ſibi præbiberunt. Hæc hiſtoria huc ſcripta eſt, additumque erat in literis, tres ex nobilium numero eo die eſſe mortuos, reliquos ægrotare, & mortem certiſſimam exſpectare. Non mirum eſt, venire Turcam & alias pœnas, cum tam impie vivamus. Es iſt zu erbarmen, daß wir arme elende Teutſchen ſo ſäuiſch und ſo vihiſch leben, wir fråſſen und ſauffen uns krank, todt, und in die Höll hinnein. *Imo deterius jam vivitur, quam beſtia: certe beſtiæ ſibi nociva fugiunt. Ita jam Diabolus graſſatur in genere humano. Credo non fuiſſe tam nociva illa vaſa teſtacea, quam ſunt vitra; quæ in alvum demiſſa, inteſtina arrodunt, unde homo ſuperſtes eſſe nequit.* Eandem hiſtoriam repetit *J. R. Camerar. l. a.* & digito veluti monſtrat *Fabric. Hild. locc. citt.*

§. 25. *Cardanus l. 2. Contradict. Med. tr. 5. contrad. 9.* allegat hiſtoriam quarundam monialium, quæ non ſolum ex vitro aſſumto male ſe habuerunt, ſed & earum una aut altera perierunt, ap. *P. Zacchiam l. 2. t. 2. quæſt. med. legal. 4. n. 28.* ubi ex *Cæſalp. l. 3. c. 23.* addit: Vitrum etiam poſſe mortem ciere. *Acerr. Philol. auctior* Cent. 7. hiſt. 38. pag. 923. ait: Ein Rittmeiſter, Namens Spatz hat auff ſeines Obriſten Geſundheit etliche Stücklein von einem zerbrochenen Glaſe hinein geſchluckt, von derſelben Zeit an aber keine geſunde Stunde gehabt, und hat alſo mit groſſer Reue ſeinen Geiſt auffgeben müſſen.

§. 26. Cepi mecum meditari, unde tantæ noxæ origo?

origo? Vitrumne res tam pestifera? Adeone blanditur oculis, ut fallat? Adeone pulchritudine sua hominem dementat, ut ob connatam ei fragilitatem, & inde patratam fracturam vitri crystallini servum murænis devorandum devoverit, Vedius Pollio apud *Senecam l. 3. de Ira c. 40.* Conf. *Dion. Caß. l. 54.* Quo etiam respexisse videntur *Plin. l. 9. c. 23. Seneca l. 1. de Clementia c. 18.* atque *Tertullian. l. de Pallio.* Imo inventor vitri ductilis seu flexibilis, quia auro argentoque pretium minuebatur, trucidatus legitur a Tiberio Principe apud *Plin. l. 36. c. 26. Dionem l. 57. Histor. Isidor. l. 16. c. 15.* ex quo habet *Barthol. Anglicus l. 16. de Propriet. Rerum c. 100. Cæl. Rhodig. l. 20. L. A. c. 30. Petrus Crinit. de Honest. Discipl. & Janus Dous. super Arbitrum l. 3. c. 9,* ap. *Dalechamp. ad Plin. l. a, Panciroll. tom 1. Memorabil. deperdit. tit. 37.* & *ad h. l. Henr. Salmuth. in nott. Hartm. Creidius in Postill. III.* Jahrgang, Dom. 23. post Trinit. p. m. 440. *De vitro* ductili s. flexibili evolve omnino, quæ habet Morhof in Epistola de Scypho vitreo &c. lit. A. 4. b. seq. Borrich. de Ortu & Progr. Chym. p. m. 111. seq. Fr. Hofman. in Clave Schröd. p. m. 177. C. A. Balduinus in Hermete Curioso §. 6. p. m. 13. 2. b. in Append. ad Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. ann. 1. vide omnino. Conf. Petron. in fragm. Tragur. p. m. 22. seq. Petrus Damiani l. 4. Epist. ult. Sarisber. l. 4. c. 5.

§. 27. Imo constitit vitreorum poculorum innocentia, ex eorum salubritate atque puritate, quam adeo & præ metallicis effert Doctiss. *Joh. Langius l. 1. Epist. Med. 29. p. m. 122.* ideo videlicet, quod

nulla sulfuris aut argenti, plumbi ac cerusæ virulentia participent; & suo congenito frigore saporem vini quavis nive & glacie melius conservent. Quod allegat etiam *Mizald. cent. 4 memorab. n. 44.* Nec solum hodie apud nos delicatulis placet potius terso vitro; quam auro argentove bibere: Es schmäckt besser und appetitlicher aus einem saubern Glase, als aus einem silbern Becher oder Schale. Quin imo jam olim *Plinius l. 36. c. 26.* scripsit: *Usus* (vitri) *ad potandum, argenti metalla & auri pepulit.* Atque *Isidorus l. 16. c. 15.* in fine ait: *Revera, si vasa vitrea non frangerentur, meliora essent, quam aurum & argentum.*

§. 28. Videbatur contrariari usus vitri & quotidianus & summe necessarius, & maxime curiosus in vasis tam chymicis quam culinaribus &c. in poculis, in speculis, in fenestris, & quod omnium maxime extollimus, in microscopiis & tubis opticis, vide CL. *Kircher. in Arte Magna Luc. & Umbr. lib. de Speculis, & in Mundo Subterr. l. 12. sect. 5. part. 3. de Arte Vitriaria. cap. 1. f. m. 470.*

§. 29 Refragabatur porro inculpata vitri materia atque compositio, quæ nihil tale mereri videbatur. *Non modo enim* (teste *Galeno*) *ex terra sabulosa, pulvisculis vitri micante, sed ex diaretico etiam quercus fagi, phyllitidis, herbæ anthillidis (quam* Arabes *Cali* vocant) *addito certo, pondere saxi candore perspicui, ex Arabia, Ægypto, in oppida maris Adriatici advehi soliti, & in clibano colliquefactis, crystalli instar candidum & perlucidum conficiatur vitrum,* sunt verba *Joh. Langii l. 2. Epist. Med. 58. p. m. 760.*

§. 30.

§. 30. *Commentator Arabs* ad *Ebn-Sinam* inquit: Vitrum aliud esse *naturale*; ejusque tantam esse in terra Habassinorum Æthiopum copiam, ut potior lapidum pars illic sit vitrum. Aliud esse *artificiale*, fierique ex arena & lapidibus, ceu refert *Plempius in Scholio ad Ibn-Tsina Canon. Med. l. 2. tr. 2. c. 7. f. m. 121. b.* Nimirum vitrum est corpus, ut notissimum est, ex arena, cineribus & sale cum summi caloris vi per colliquationem compactum aliquo humore constans, cum liquetur, sed modico ac tantillum viscoso, æqualiter tamen diviso, ait Morhof. in Epist. de 4. Scypho Vitro per certum humanæ vocis sonum rupto lit. A. 4. b. Adde Thom. Prowne in Pseudodoxia Epidem. l. 2. c. 5. p. m. 151.

§. 31. Fuse vero artem vitriariam de lineavit jam olim multæ jugæ eruditionis Vir *C. Plinius Secundus* (quem idiotæ mendaciorum magistrum pessime appellant; hoc ipso, ceu sorices, se prodentes, nunquam legisse aut intellexisse Plinium) *l. 36. c. 26.* Deinde *Isidor. l. 16. c. 15.* e quo *Barthol. Anglic. l. 16. de Propr. Rer. c. 100.* Ex recentioribus vero accuratius *A. Kircherus in Mundo subterr. l. 12. s. 5. part. 3. c. 1. f. m. 470. seqq.* atqui *Anton. Nerius l. pecul de arte vitriaria.* Quodammodo etiam attingunt hanc materiam *Beroald. ad Apulej. asini aurei l. 2. p. m. 258. Bodæus a Stapel ad Theophrast. f. m. 1168. a. Helmont. de Lithiasi c. 3. §. 7. & Jonston. in thaumatogr. Class. 4. c. 19.* Quomodo quoque ex metallis fieri vitrum possit, docet *Mazzotta de Mineralib. lib. 2. c. 2. & c. 11.* & ex plumbo exemplum habet Morhof. l. c.

§. 32. Imo jam olim per multa secula vitro gignendo fuit arena pro Beli amnis, admisto nitro testibus *Plinio l. 36. c. 26. & l. 5. c. 19. Tacito Histor. 5. 7. 4. ac Fl. Josepho l. 2. Belli Jud. c. 17.* (ex quibus etiam *Polydor. Virgil. de Inventor. Rer. l. 2. c. 22.*) *Isidoro l. 16. c. 15.* atque *Bartholomæo Anglico l. 16. c. 100.* Conf. *Strabon. l. 16.* allegante *Lipsio ad d. l. Taciti.* Ita quoque *Sidon* dicitur *artifex vitri Plinio l. 5. c. 19.* prout ex eodem quoque refert *Zwinger. Theatr. Vit. Hum. Vol. 20. l. 3. f. m. 3694. b.* Sic vitrum Venetum hodie in pretio est; nempe Insula *Murano* prope Venetias celebris propter vitra & tabernas vitriariorum, qui candentem materiam e fornacibus sumtam ferreis fistulis adhærentem uno vel altero flatu vasa in varias formas reducunt, ait D. *Joh. Mercker. in Apodemicis.* Eodem fieri modo olim in Palatinatu vidi 2. lapidibus Heidelbergæ in silva prope Schönau, olim Abbatiam, nec non in Sax. Super. prope oppidum Pretzsch in vicina silva, ubi Baro quidam Flander operi præerat, & præcipue vitra tincta & alia elegantissima conficiebat anno 1693.

§. 33. Maxime autem inculpatum videntur reddere vitrum & qualitates ejus variæ, & usus in medicina, ubi tam externe, quam interne, tam crudum, quam præparatum insignis medicamenti loco celebratur. Hincque est, quod Helmont. tr. d. Febb. c. 8. §. 6. inquit: Non plus proficiunt lævigatæ gemmæ, quam si silices aut vitra præparata assumantur.

§. 34. De qualitatibus ejus (quas Scholæ primas vocant) ita *Abvali Ibn. Tsina. Canon. Med. lib. 2. tr. 2. cap. 7. sub lit. Z. f. m. 121. b.* (Edit. Plempii Lovan.

in

in fol. 1658.) scribit: *Zegjagi vitrum* natura *calidum est primo, siccum gradu secundo*, Validissime siccantibus annumerat vitrum Venetum *Plater. Prax. tr. 3. lib. 1. cap. 4.* pag. 494. Minus calidum reputat *Galenus l. 5. de Simpl. Fac. c. 13.* Hinc quoque ex *Galen. 4. κ. γέν.* 1. ustum vitrum siccare sine morsu scribit *C. Hofmann. in Paralip. Officin. c. 88. p. m. 549.* Et certe, si verum fatear; magis rationi convenit esse frigidum & siccum; quam calidum. Gradum non determino, quia res plane incerta & quandoque stolida est.

§. 35. Usum externum vitri jam speculabimur. Hic varius est modo simplicis crudique in pulverem redacti; modo combusti. Ad decorationem adhibet *Ibn-Tsina l. a.* quando scribit: *Dentes extergere.* Quod paullo post repetit. Hoc jam pridem ante eum docuerat *Scribonius Largus cap. 11. sive num. 60.* qui ad dentifricia adhibet *vitrum candidum, quod simile crystallo est, diligenter tritum, admixta spica.* Atque ita simplicem saltim trituram poscit, teste *Joh. Rhodio in nott. ad h. l.* Ad eundem usum laudatur quoque *Bartholomæo Anglico l. 16. de Propriet. Rer. c. 100.* atque *J. G. Macasio in Promptuario Mater. Med. libro poster. sect. 13. c. 31. p. m. 303.* Credo acutis suis angulis per frictionem sordes adeoque ipsos tophos posse abradere, & ita mundare dentes.

§. 36. Exterius porro adhibetur ad capillos generandos, videlicet, si cum oleo Jesemini illitum sit, ita jubente *Abvali Ibn-Tsina Canon. Med. l. 2. tr. 2. c. 7.* An eventus respondeat, viderint alii; ego val-

de dubito; nisi forte vel humores nimios exsiccet, vel poros cutis capitis adaperiat.

§. 37. Pariter ab eodem *Ebn-Sina* l. a. ad alios capitis affectus externos commendatur; nimirum si caput cum vitro lavetur, mundatur illud a porrigine sive furfuribus, quod facile credo; abradit enim furfurum quisquilias, & veluti supra §. 35. dentes extersit, quidni heic cutem capitis detergere atque mundare possit?

§. 38. Oculis etiam exterius applicatum prodest. Hinc ipsum fel vitri (de quo inferius agetur) inter ophthalmica retulit *Macas* in Promt. Mat. Med. lib. poster. s. II. c. 3. p. m. 212. Maxime heic laudatur crematum, utpote efficacius, ita censente *Ebn-Sina* l. a. Credo, quia subtilius, tritum & pulveratum est, minusque acutulum, nec acumine angulorum tantum nocere possit. Hinc illud oculos abstergere ait *Ebn-Sina* l. c. ubi simul addit, idem albuginem extergere. Quod forte ex eodem quoque depromsit Compilator *Bartholomæus Anglicus* l. 16. de Propriet. Rer. cap. 100. Sic commendatur pulvis vitri ad ægilopas inspersus, ipsos mirabiliter siccando a *Paulo* ap. *J. Lang.* l. 2. Epist. 58. p. m. 761.

§. 39. Extra porro applicatur ad scrophilas colli; si nimirum conficitur emplastrum ex vitellis ovorum cum pulvere vitri, & continue desuper imponatur, ceu aliquos ita curasse hunc affectum, intellexit *Marcellus Cumanus* obs. med. 18. Ad quem locum Beatus *G. H. Velschius* in Nott. p. m. 47. ita: *Vitri*, forsan nitri, *quod inter cetera præscribit Ebn-Sina* lib. 4. f. 3. tr. 2. c. 10. *Similem fere dubitationem de* nitro & vitro *habes ap. eruditissimum Rhodium nostrum in Emend. & Nott. ad Scribon. Larg. Comp. 153. sed in calculo. Quanquam Marcellus noster sequenti obs. 40. etiam pulverem crystalli albi*

cum

cum melle trit. appositum laudarit; quod sane experimentum videtur pro vitro facere. Vitrum certe exsiccando ac clandestine consumendo hoc potest præstare, veluti ex seqq. quoque partim patebit. Vitrum Venetum externe ad ulcera commendat *Plater.* Prax. l. c. pag. 494. Idem Prax. Tr. 2. cap. 17. pag. 893. vitrum tenuissime pulverisatum, oleoque unguento vel mucilagine mixtum, externe in combustionibus commendat.

§. 40. Contra Panaritium quomodo usurpetur, legimus ap. *Achill. Gasserum* obs. med. 45. ita inquientem: ***Panaritium, quod malum vulgo ἀρρῆλον vocatur, emplastro hoc optimo aliquoties sanatum est. R. Spum. mellis ℥j Vitri Veneti pulv. ʒiss. cum succo allii,*** F. Ad h. l. *CL. G. H. Velschius* hæc: ***Eodem modo, quo vermis umbilicalis necatur experientia Joh. Georg. Brenggeri*** ap. *Phil. Hechstetter.* Decad. 6. obs. med. & *Friederici Oleviani* ap. *Hieron. Reusner.* obs. 97. Vbi addo, hodienum mulierculas nostrates vitrum Venetum crassiuscule pulveratum cum melle miscere, & putamine juglandis excavato recondere, atque ita imponere umbilico infantum, vermibus laborantium, cum emolumento; quod vel inde judicant, si sensim massa illa absumatur. Ratio posset ex parte quæri in exsiccatione humiditatum, quæ generare possunt cruditatem istam atque putrilaginem; partim in virtute aperiendi, vermesque & enecandi & expellendi.

§. 41. Ab aliis forte iisdem & simul aliis de causis commendatur ad dolores articulorum. Nimirum idem in aceto probe tritum confidenter illinito. *Aetius* acopa ad dolores podagricos & ischiaticos describens, referente *Anton. Snebergero* in Medic. contra articul. dolor. p. m. 152. Quamvis difficultate non careat asserere, acetum articulis nervosis-

que partibus prodesse. In *Vulneribus* vitrum crystallinum pulverisatum mixto unguento commendat *Plater*. Prax. l. c. pag. 912.

§. 42. Præcipue autem famosissimus ejus est usus contra calculum, tam a veteribus, quam recentioribus commendatus. Ita vitrum jam olim ad lapidem in arenam solvendum præscripserit *Scribon.* Larg. cap. 39. Compos. 153. uti quidem legit CL. *Renatus Moræus* in illo loco. Quamvis loco vitri, alias legatur nitri. Nec dissentit ab illo doctissimus *Joh. Rhodius* in Nott. ad d. l. *Scribon.* p. m. 227. modo usum intellexerit.

§. 43. In genere ad calculum cinis vitri combusti admittitur, ab omnibus Mauritanis, & a quibusdam Græcis; teste *Horat. Augen.* Tom. 1. lib. 4. Epist. 2. Ex Græcis laudatur *Galenus* apud *Baricell.* in Hortulo geniali p. m. 345. & *Matth. Unzerum* lib. 2. de Nephrit. p. m. 223. videlicet *Galenus* 9. de Medic. Fac. cap. de Lap. teste *C. Hofmann.* in Paralipom. Officinal. c. 88. p. m. 549. ex *Gal.* 5. de Simpl. Med. Fac. cap. 13. & de renum Affect. dignos ex medicar. cap. 8. refert *L. Schrœck.* in Pharm. Aug. Restit. p. m. 452. *Aetius* tr. 1. serm. 2. cap. 31. allegante *J. Rhodio* l. c. *Paull. Ægineta* apud *Unzer.* l. d. Ex Arabibus *Ebn-Sina* lib. 2. tr. 2. cap. 831. & lib. 3. fen. 18. tr. 2. cap. 19. citante *L. Schrœck.* l. a. & *Ebn-Zohar* apud *Unzer.* l. a, Ex Recentibus *Valescus* de Taranta lib. 5. de Philon. cap. 18. f. m. 144. a. 2. *Barthelom. Anglic.* lib. 16. de Propriet. rerum cap. 100. ex *Ebn-Sina* *Guainer.* in Practica tr. de Calculosa Passione cap. 9. p. m. 190. b. *Vidus Vidius* lib. 10. de Curat. membratim cap. 20. *Baricellus* Hort. genial. p. m. 345. *Joh. Varandæus* de Renum & Vesicæ Affect. cap. 1. p. m. 69. *Unzer.* de Nephrit. lib. 2. p. m. 223. *P. Zacchias* lib. 2. t. 2. qu. 4. n. 28.

n. 28. *Joh. Rhodius* ad *Scribon.* Larg. Comp. 153. p. m. 227. *Macas* in Promt. Mat. Med. libro poster. f. 9. cap. 22. p. m. 180. & alii plures.

§. 44. Hinc *Christoph.* WIRSUNG im Artzney Buch part. 3. cap. 17. §. 4. f. m. 491. a. seq. b. & f. 439. ait; ingredi vitrum ustum Electuar. de Cineribus. Non est Elect. sed præp. in Pharm. Aug. *Ebn-Sinæ* nimirum teste *L. Schræck.* in Pharm. Aug. Restitut. p. m. 452. Eandem quoque ob causam *Montagnana* in Elect. suo diaretico; quod habet August. Pharmacop. ad calculum comminuendum & educendum habet, teste *Joh. Stockero* in Empiric. lib. 1. cap. 43. p. m. 117. Sic eadem ratione ad calculum comminuendum commendatur *Oleum vitri*, a *Fidejusto Reineccer.* in Thesauro Chymico lib. 3. p. m. 105. & paulo post p. m. 109. iterum idem ad arenulas.

§. 45. In specie ad renum calculum magnarum deprædicatur virium ab *Ebn-Sina* Canon. med. lib. 2. tr. 2. c. 7. f. m. 121. b. *Marc. Gatinar.* Prax. med. c. 57. p. m. 237. *Georg. Bertino M. M.* l. 20. c. 46. f. m. 771. *Leonh. Jacchino* in 9. Rasis c. 64. p. m. 568. atque Celeb. *Joh. Langio* l. 2. Epist. med. 58. p. m. 759. & *Plater.* Prax. l. c. pag. 572. & 574.

§. 46. Nec minoris efficaciæ celebratur ad calculum vesicæ a *Paulo Ægineta* l. 7. c. 3. lit. Υ. f. m. 417. (quamvis aliena fide id referat; ita judicante *J. Rhodio* Nott. ad Scribon. Comp. 153. p. m. 227. *Ebn-Sina* Canon med. l. 2. tr. 2. c. 7. f. m. 121. b. *P. Bayro* in Veni mecum l. 16. c. 3. p. m. 398. seqq. & c. 4. p. m. 404. bis. *G. Bertino* & *Joh. Langio* ll. aa. Hinc in ardore urinæ vitri usus est medicus vide *Rompf.* ad *Schmizii* Comp. Pract. pag. 29. Conf. *Plater.* Prax. l. c. pag. 1009.

§. 47.

§. 47. Utrobique autem vitrum exhibetur vel crudum pulveratum, *Paullus Ægineta* l. 7. cap. 3. lit. Υ. f. m 417. *Aetius* tetr. 1. serm. 2. c. 31. apud *Joh. Rhodium* Nott. ad Scribon. Larg. p. m. 227. vel, quod efficacius est, combustum *Galenus*, *Ebn-Sina*, *Valescus de Taranta*, *Leonh. Jacchinus*, *M. Gatinarias*, *Joh. Langius*, *Joh. Rhodius*, omnes ll. antea cc. It. *Hor. Augen.* t. 1. lib. 4. Ep. 2. *F. Plater.* l. c. Prax. pag. 1009. & pag. 572. & 574. & *Duncan. Liddelius* in arte Med. lib. 5. cap. 7. pag. 679. Hinc ipse *Ebn-Sina* & *Ebn-Zohar* ex pulvere vitri usti Electuarium Lithontribon composuerunt, quod recensent *Joh. Langius* l. 2. Epist. med. 58. p. 760. *Dominicus Leonus Lunensis* in Arte Medendi sect. 3. l. 5. c. 6. f. m. 607. & *Clementius Clementinus Amerinus* l. de Medicinis compositis cap. 5. f. m. 155 nec non *Platerus* Prax. l. c. pag. 575.

§. 48. Qua vero virtute hanc dotem exserat, non una est auctorum opinio. Ex Proprietate & non manifesta qualitate valere, scribunt *M. Gatinar.* Prax. Med. c. 57. p. m. 771. atque *Leonh. Jacchin.* in 9. Rasis c. 64. p. m. 568. Sed hoc ad commune illud ignorantiæ asylum, occultas scilicet qualitates; spectat, quæ ratio irrationalis acutiori modernorum sophorum palato meritissimo suo non arridet.

§. 49. Aliquanto melior est sententia *Galeni* 5. de Simpl. Med. Fac. f. 71. b. apud *Aloys. Mundellam* in Theatro Galeni, voce Urinam; statuentis, vitrum hoc præstare virtute incidendi. Hinc & *J. Rhodius* Nott. ad *Scribon* Larg. Comp. 60. p. m. 102. ex *Galen.* 9. Simpl. Fac. ait usto vim detergendi esse.

§. 50. *Joh. Varandæus* de Affect. Renum & Vesicæ cap. 1. p. m. 57. putat, inde fieri, quod deterat & quasi confricet calculi superficiem; veluti omnia terrena & aspera, cineres testarum, ovorum & similia. Ejusdem sententiæ est *Horat. Augen.* t. 1,

l. 4. Epist. 2. Sed addamus verba Doctiss. *Greg. Horstii*, apud Experientiss. *Fabric. Hildan.* Cent. 6. obs. 35. ajentem, *se non dubitare, quin ad primarum viarum purificationem faciat ejusmodi vitrum, comminutum in partes minimas, acrimonia sua facultatem expultricem ad excernendum stimulante.* Loquitur autem laudatus auctor de Crudo & Comesto. *Zwelferus* non tam a vitro ipso, quam a sale stipitum fabarum, qui ei insit, deducit, Sed merito refutatur a L. *Schræck.* in Pharm. Aug. Rest. p. m. 45. Conf. *Duncan. Liddelius* in Arte Med. lib. 5. cap. 7. pag. 696.

§. 51. Vitrum ustum minus calidum urinam provocat, *Galeno* auctore de Simpl. Fac. lib. 5. cap. 13. ajente *Joh. Rhodio* Nott. ad *Scribon.* Larg. Comp. 153. p. m. 227. Ut igitur hac & antea laudatis de causis non immerito contra hydropem ex mulsi mixti cyathis tribus laudet *Scribon* Larg. Comp. 153. si vera est opinio Doctiss. *Renati Moræi*; pro nitro vitrum legentis apud *Joh. Rhod.* in Nott. ad h. l. p. m. 227.

§. 52. Verum cum supra de vitro usto dixerimus; jam diversos illud præparandi proponemus modos. *Joh. Langius* lib. 2. Epist. 58. p. m. 259. seq. ait: *Qua vero industria vitrum aduritur, nec nostris pharmacopœis satis notum est, nec factionis Arabum aut Græcorum medicus aliquis exacte docuit, præter Avenzoarem; qui jubet accipere vitri frustum crystallini, densum tamen & perspicuum, alchitra, id est, pice ex terebintho delibatum; prunis impositum, donec pice insumta, rutulo splendore coruscet. Hoc forcipe exemtum, & aqua extinctum, iterumque pice illitum igni subdere jubet, donec excandeat; ac dein igne iterum exemtum, aquæ immersum extinguatur. Idque cum septies reiteraveris, tandem in pulverem,*

ut

ut alcohol, conterito; de quo aureus unus mane vino albo exhaustus, abunde calculos vesicæ conterit, ut Galenus & Avicenna docent. Quem etiam amplectitur *Dominicus Leonus Lunensis* in Arte medendi f. 3. l. 5. cap. 6. f. m. 607. & obiter sequitur *Clem. Clementinus* lib. de Medicinis compositis cap. 5. f. m. 155. & ex *Avenzoar* didicit atque feliciter imitatus est *Baricell.* Hort. genial. p. m. 345. Conf. *Unzer.* de Nephrit. lib. 2. p. m. 223.

§. 53. Alium modum docet *Horat. Augent. t.* 1. lib. 4. Epist. 2. Rudis est, qui paucis proponitur a *Leonh. Jacchino* in 9. Rasis cap. 64. p. m. 568. scribente: *Præparant primum contundendo diligenter; postea agitando super ferrea sartagine diu ad ignem.* Nec prolixior est ille *M. Gatinariæ* Prax. med. cap. 57. p. m. 237. jubentis poni vitrum ad ignem extinctum in aqua saxifragiæ, septem scilicet vicibus ignitum, & toties extinctum.

§. 54. Vel poterit usurpari modus laboriosissimi *Athanasii Kircheri* in Mundo subterr. lib. 12. f. 5. part. 3. cap. 1. f. m. 472. a. qui hic est: *Vitrum candefactum in aquam frigidam confectum ita morbidum redditur, ut manibus in minutum pulverem conteri possit.* Idem ibid. & hinc addit: *Potest vitrum certa aqua ita adtemperari, ut unum vitri frustulum in extremitate ruptum totam massam in insensibilem pulverem reducat. Fit autem hoc, si frustulum iterato candefactum igni, sæpe sæpius in aqua frigidissima exstinxeris.*

§. 55. *Antonius Guainerius, Papiensis in Practica sua Tr. de Calculosa Passione cap. 9. f. m. 190. b. 2. seq.* (postquam varia singulariaque remedia contra calculum commendaverat) inquit: *Ut inquit Albertus, si sanguis hirci, asini & anseris cum aceto mixti leviter decoquantur; & in his crystallus vel gemmæ*

po-

ponantur, mollescant, & etiam vitrum in tantum, ut cum cultello incidi queat. Et si solum hirci sanguinem acceperis, & cum eo acetum atque absinthii succum miscueris; vitrum in eo positum, veluti pasta mollescit, sic quod ad murum projectum non frangatur. Aliud, quod veteres singularissimum reputant, est vitrum, quod sic Avicennæ documento præparatur. Accipies, & ipsum, quantum potes, tere; dein in cochleari ferreo pone, quod super carbones ignitos colloca; & cum rubeum fuerit, in aqua fabarum projice, tunc enim calcinatum facile deprehendes; non calcinatum vero iterum ad ignem repones, sicut primo toties faciendo, quod ad atomorum similitudinem teri possit; cujus cum mellis aqua, aut alio diuretico a ʒß usque ad j. dabis. Et paulo post pergit: *Quidam Alchymista ipsum per frusta super cochleari ferreo ad ignem ponebat; cumque ignitum erat, cum vino Malvatico, vel consimili, cum oleo benedicto aut de scorpionibus, æquis partibus mixto, ipsum sæpius exstinguebat, sic toties faciendo, quod facile ad atomorum similitudinem conteri poterat, & ipsum, de quo supra dictum est, modo, dabat. Avenzoar autem cum oleo juniperi liniebat, & in ignem factum rubeum in aqua raphani exstinguebat, quo facto ipsum cum prædicto oleo iterum inungebat, & in aqua raphani exstinguebat, quo septies facto in pulverem subtilissimum reducebat, & quo supra modo dictum est, utebatur.*

§. 56. *Ebn-Sinæ* vero modum improbat *Fallop.* in lib. de Metall. prout contestantur auctor. *Pharm. Augustan.* Class.20 . f. m. 322. Ipsi vero f. 321. b. hunc proponunt: *Accipe frustum vitri clari subtiliter pulverisati ac cribrati, quod in ollula ferrea tamdiu ponatur super prunas, ut ferrum candescat, deinde extinguatur in acervo facto ex cinere stipi-*

tum

tum fabarum. Quo facto iterum pulverisatur, & rursum ignitum in priore acervo exstinguatur, idque toties repetatur, donec optime in cinerem sit redactum. Id apparet, quando non amplius resplendet, & inter digitos adtritum non sit asperum, inque os sumtum dentibus non sonitum edat. His cinis vitri in marmore porphyritico subtilissime pulverisetur, & intra corpus ita utiliter usurpari potest. Eundem modum adprobat etiam *Joh. Rhodius* Nott. ad Scribon. Larg. p. m. 227.

§. 57. Quam vero exagitet hanc vitri combustionem, CL. *Zwelfer*, in animadvers. ad Pharmacop. August. f. m. 412. vix potest dici; cum istam levidensem, plane inutilem, ineptissimam, omni jure explodendam, tantis absurditatibus involutam, nugacissimam omni vulgo notissima & rusticana philosophia carentem &c. exclamet. Hincque non sine caussa egregie vapulat a CL. Luca *Schroekio* in Pharm. Aug. Restit. Class. 20. p. m. 451. seqq. Tandem f. m. 420. a. pergit: *Vellem clarius constaret, & sese explicuissent, cur tantopere hoc medicamentum desideretur, aut ob quas eximias virtutes in officinis præstare debeat? Certo, si quis peculiarem vim lithontripticam in eo sibi imaginatur, is toto errat cœlo, nec si quæ aliquanto exhibitione ejus est adversa (quod tamen sine periculo aut detrimento ægroti, licet illud protinus non senserit, exhiberi minime potuit) e vitro emanavit, sed potius e sale stipitum fabarum; in quo talem vim, sabulum, & arenam pellendi inesse probe novi, ast ejus parandi ratio alio modo quærenda, non isto, quo medicamentum nullius virtutis, sed maximi detrimenti evadit.*

§. 58. Et ideo forte suadet *Horat. Augen.* t. 1. l. 4. Epist. 2. ne ejus usus sit admodum frequens; nisi for-

forsan putet tandem internos meatus excoriare. Imo ego arbitror equidem non tantæ esse malitiæ, ac sibi persuasum habet *Zwelferus*: Interim cum longe tutiora sint ad manus longeque plura; quid opus, se in tantam suspicionem præcipitare, vulgique rudis subire calumnias?

§. 59. Interim tamen consideremus dosin vitri ita combusti atque præparati, quam unius aurei, sive ʒj pondere æstimarunt *Galenus* atque *Ebn-Sina* ap. *Joh. Langium* lib. 2. Epist. 58. p. m. 759. atque *Unzer.* de Nephrit. lib. 2. p. m. 223. Conf. *Baricell.* Hortulo Geniali p. m. 345. Horat. *Augen.* t. 1. lib. 4. Epist. 2.

§. 60. Modum denique assumendi addamus; quem cum vino fieri imperat *Ebn-Sina* Canon. Med. lib. 2. c. 7. f. m. 121. b. eoque tenui, testibus *Galeno* 9. Simpl. Med. Facult. cap. de Lapid. ap. *C. Hofman.* in Paralip. Officin. c. 88. p. m. 549. *Paulus Æginet. lib. 7. cap 3. lit. Y. f. m. 417.* ex quo etiam *Unzerus* de Nephrit. l. a. & *Joh. Rhodius* ad Scrib. Larg. p. m. 227. atque albo *Paulus Ægin.* l. a. *Galenus*, *Ebn-Sina*, *Joh. Langius*, *Baricellus* atque *Unzer.* ll. cc.

§. 61. Denique non contemnendum plane est vitri recrementum. Hoc vulgo fel vitri, vel Axungia vitri audit, *I. R. Camerar.* cap. 3. Memor. §. 45. & *Fel. Plater.* Prax. l. c. pag. 960. qui ita definit: Salis alkali, quod ex cineribus kali plantæ conficitur, dissoluti cum contritis lapidibus pro vitris conflandis innatans veluti pinguedo, quæ refrigerata durescit lapidis instar, atque axungia vitri vulgo appellatur; item *Joh. Jac. a Brunn.* in Sistemat. Mat. Med. l. 2. f. 1. p. m. 118. Spuma vitri & Glas-Gall dicitur *Mart. Rulando* in Lexic, Alchym. p. m. 205.

quodque nil est aliud, quam sal alkali, & ejus dissoluti innatans pinguedo; *I. R. Camerar.* l. a. *Brunn.* l. a. vel spuma, dum liquescit vitri materia, quæ de illo ventriculo, tanquam recrementum de argento detrahitur, mox vero concreta in panes cogitur candidos, quibus est sapor mixtus, magis salsus quam amarus, describente Illustriss. *Ionstono*, Fautore atque Amico meo, dum viveret, honoratissimo, in Thaumatogr. Class. 4. cap. 19. & Celeberr. Dn. D. *Paullo Ammanno* in Manud. ad Mat. med. c. 5. n. 12. p. m. 31.

§. 62. Hoc fel vitri non contemnendi usus medici circumfertur *J. G. Macas* Promtuar. Mat. med. lib. doster. sect. 11. c. 3. p. m. 212. refertur inter Ophhalmica. Idem tanquam ὀδόντικον, ac dentifriciis inserviens commendatur a *I. R. Camerar.* l. a. ex *Plater.* l. 2. de Vit. p. 960. & *Platero* ipso Prax. tr. 3. lib. 2. cap. 12. pag. 960. item *Joh. Jac. a Brunn.* de Mat. med. lib. 2. sect. 1. p. m. 118. & ex eodem quamvis Morellum laudet, qui tamen non est, sed ejus opusculo de Conscrib. Form. emed. communiter adnectitur) refert CL. *Ammann.* l. a. Doctissimus *Joh. Theod. Schenck.* crebro in usu habebat fel vitri in tumoribus calidis emolliendis discutiendisque. Coquitur nimirum cum radic. altheæ & fl. chamæm. in lacte vaccino, & applicatur, quibus emollitis possunt aperiri & evacuari. Idem CL. *Schenckius* laudabat in consolidandis pulmonum ulceribus, in Colleg. MSC. de Mat. med.

§. 63. Si ergo tantæ medelæ celebratur vitrum; dic, qui interemerit aut læserit tot homines, in frontispicio allegatos, inquiebam? Videtur hercle rei vitium fundamentum sibi locare in angulis acutis ac lateribus cuspidatis, quorum asperitate pungit, vul-

nerat

nerat, & ulcera lethalia inducit, teste *Panarolo Pentecost. 4. Obs. 6.* qui confirmat ex *Zacuti Lusit. l. 2. Prax. Adm. Obs. 18.* (non 16. uti *Panarolus* habet) & exemplum parile ponit uterq; in adamante, (quamvis eum aliqui venenatum credunt, *Ebn-Roschdi Collect. l. 5. c. 43. Santes Ardoin. de Venen. l. 2. c. 23.* Conf. *Jan. Cornar. ad Macri l. 4. de Herb. c. 1.* Verum non solum innoxium esse, sed venenis etiam omnibus strenue auxiliari, contendunt non infimæ notæ scriptores, & in rerum naturalium observationibus solide versati, ait *Pravotus de Venen. p. m. 783.* & *p. 803.* seq. *auctoritate Cardani, Schenckii* atque *Garciæ* inter veneno infectis capitibus opitulia refert,) qui integer devoratus (exemplo fossorum in India, ne furti arguantur ap. *Garc. ab Horto l. 1. c. 47. p. m. 173.* ex quo forte etiam habet *Kircherus Mund. Subterr. l. 8. s. 1. c. 7. f. 20.*) nunquam aut raro nocet: serra vero in frusta dissectus, vel inpolitus si devoretur, nocet vitri instar. Conf. *Paul. Zacchiam l. 2. t. 2. q. 4. n. 2. & n. 22.*

§. 64. Res potest illustrari exemplo sabuli, quod sæpius summo cum dolore, & haut raro non sine sanguine, micturientes egerunt. Caussam primus videtur animadvertisse ingeniosissimus *Peireskius*: vidit enim sabulum illud calculosum a natura ita conformari in figuram rhomboicam, ut microscopio inspectum appareat veluti rhomborum lateriorum congesta moles. Ex quo certe non est difficile caussam illius doloris explicare; nempe singulorum granorum acutiores anguli partes illas vellicant, ut sui sensum acerrimum faciant; ceu refert

Celeberr. *P. Gassendus l. 4. de Vita Peiresk. pag. m. 150.*

§. 65. Eadem igitur particularum fractarum acutior conformatio videtur esse caussa non solum doloris acutissimi in partibus membranaceis ac sensibilibus; puta, æsophago, ventriculo, intestinis &c. earum continuum solvendo, sed & effusionis sanguineæ, & inde ortæ exulcerationis, erosionis, atrophiæ: imo nonnunquam etiam contumacis obstructionis cum variis lethiferis symptomatibus Quod levi experimento hominum plebejorum. possumus comprobare, qui muribus & minoribus & majoribus interimendis apponunt fercula ex Vitro Veneto minutim contuso & melli admixto, quo ita devorato, partes eorum internæ teneriores excorientur, lædantur, ipsique letho dedantur.

§. 66. Non opus ergo, inquam, erat confugere ad ἄῤῥητον seu occultam aliquam qualitatem ac specificam scholis dictam, vitrumque in *veneno rum* censum collocare eique deleteriam aliquam adtribuere potentiam, veluti fecerunt aliquam multi, quos inter est *Panarol. Pentecost. 4. Obs. 6.* & *Macasius Promt. Mat. Med. lib. poster. sect. 10. cap. 4. p. m. 200.* (ubi addit contra hoc venenum prodesse omnia pinguia atque mucilaginosa.) Eodem quoque inclinare videtur *Zacut. Lusit. Prax. Med. Admir. l. 2. Obs. 18.*

§. 67. Ideo quoque recte ex venenis exturbant *Cardan. de Venen. l. 1. c. 4. Horat. Augen. t. 1. l. 4. Epist. 2. & t. 1. l. 12. Epist. 4. P. Zacchias l. 2. q. 4. n. 28.* atque *Kircherus in Mundo*

do Subterr. l. 8. f 1. c. 7. f. m. 20. Imo jam olim ante hos CC. & quod excurrit annos (vixit enim 1440. teſtibus *Renat. Moreau de V. S. in Pleurit. & Wolf. Juſto in Chronol. Med.* ap. *Linden. l. 1. de Script. Med. p. m. 44.*) *Anton. Gvainerius in Pract. cap. 9. de Calculoſa Paſſione f. m. 191. a.* ſuaſit, dum Medicus exhiberet vitrum præparatum, *ne illud patienti manifeſtaret, ne putet ſe venenari: cum ex eo canes interficiamus. Sed bis tritum non datur; imo integrum, quod cum pinguedine aliqua commiſcemus, & cum eorum guttur tunc tranſire nequeat, eos interficit & non venenoſitate.* Adde Thom. Browne in Pſeudodoxia Epidem l. 2. c. 5. p. m. 151.

§. 68. Quid denique ſtatuendum? *P. Zacchias l. 2. t. 2. q. 4. n. 28.* poſtquam hinc inde de ejus noxa & uſu diſſeruerat, addit: *Quomodocunque ſit, ex vitro mori quis poteſt, unde ad rem noſtram pro veneno habendum, etiamſi non ſit.* Ego autem pace hujus & optimorum quorumvis paucis dixero: Vitrum poteſt nocere intemperanter, immodeſte, inconcinne aſſumtum; nullo autem modo veneni titulo ſe tueri poteſt, ſi quam dederit noxam, in apertis quam occultis cauſſa eſt quærenda.

§. 69. Credo denique me acuti vitri acumen non undiquaque inveniſſe. Forte, *quia Vitrum, ut dicit Ebn-Sina, eſt inter lapides ſicut ſtultus inter homines, declinat enim ad omnem tincturam:* referente *Bartholom. Anglic. l. 16. de Propriet Rer. c. 100.* Quid mirum igitur circa ſtultum non ſemper ſapere! Concludo verbis D. *Auguſtini l. 2. de*

Baptismo contra Donatistas cap. 5. dicentis: *In nullo aliter sapere, quam se res habet, angelica perfectio est.*

SATYRA DECIMA SEPTIMA, DE RACHITIDE ANGLORUM.

§. 1.

M*Orborum infinita est multitudo!* ita verissime jam olim exclamavit *Plinius l. 7. c.51.* & ὁμόψηφον invenit *Senecam Epist. 95. p.m. 786.* Idem, sed sale suo satyrico bene perfrictum confirmat *Juvenalis sat. 10. v.218. seqq.*

—— Circumsilit agmine facto
Morborum omne genus quorum si nomina quæras,
Promtius expediam quot amaverit Hippia mœchos,
Quot Themison ægros auctumno occiderit uno,
Quot Basilus socios, quod circumscripserit Hirrus
Pupillos, &c.

paucis: *Innumerabiles!*

§. 2. Ut taceam optimum meum Magistrum *Senecam l. a.* solarum *febrium innumerabilia genera statuere:* & *oculorum* (vah partes parvas at nobiles!) CXII. distinctos morbos tradere *Galenum in Introd. cui Medicus* titulus est. *Tumorum* vero idem

idem *Pergamenus l. pecul. 61.* differentias fecit; quibus *Joh. Phil. Ingrassias tr. 1. de Tumor. cap. 1. comm. 2. p. m. 77.* adhuc CLXV. ſuperaddit, & in univerſum CCXXI. ſtatuit; quos non immerito limitat CL. *Sennertus Prax. l. 5. p. 1. c. 1. p. m. 7. a.*

§. 3. Nec iſti hactenus cogniti ſufficiunt; *ſenſit & facies hominum novos, omnique ævo priore incognitos, non Italiæ modo, verum etiam univerſæ propе Europæ morbos;* ut *Plinius l. 26. 1.* Mihi ſua ejusmodi morborum novorum optimus olim Promotor meus ſenex fere centenarius *Melchior Sebizius* *νῦν ἐν ἁγίοις Diſſ. Pecul.* 1662. quatuor fecit claſſes: In 1. qui nunquam neque ap. nos, neque ap. alios fuerunt obſervati: in 2. qui certis regionibus novi, aliis vero ſatis noti: in 3. qui ubique rari, interdum tamen deprehenduntur: in 4. qui ſpecie quidem cum morbis notis conveniunt, accidentibus autem & ſymptomatibus quibusdam ab illis differunt.

§. 4. Ad primam claſſem proprie & καθ' ἐξοχὴν dictorum novorum morborum meritiſſimo ſuo refertur *Rhachitis Anglorum*, qui primum innotuit in occidentalibus Angliæ tractibus, in Comitatu ſcil. *Dorſet & Somerſet* circa A. C. 1520. circiter. Quamvis *Jacob. Sponius* in *Præfat. ad Aphor. Novos Hipp.* a. 5. b. velit aſſerere, jam *Coum* hunc affectum notaſſe; ideoque in teſtimonium vocat ſectionem ibi ſuam de Semeotica. Ab eo tempore paullatim ejus notitia ad alia quoque loca derivata eſt, Londinum puta, Cantabrigiam, Oxoniam; imo omnes pæne Auſtrales & Occidentales Angliæ partes: In Septemtrionalibus autem multo rarius hic mor-

bus occurrit &vixdum vulgo communiter innotuit; ceu hæc refert *Franc. Glissonius*, qui primus cum *Georgio Bate & Abasvero Regemortero*, Med. Doct. de hoc affectu *tractatum pecul.* edidit Londini ap. Sadlerum in 8. A.C. cIↄ.Iↄc. L. in quo *cap. 1. p. m. 3.* ait: Triginta circiter retro ab hinc annis innotuisse. Novum & veteribus incognitum asserit *Frid. Lossius* l. 1. obs. 3. conf. omnino de hoc affectu *Theoph. Borretum in Sepulcreto* lib. 2. sect. 12. obs. 4. fol. 714. seq.

§. 5. Definitur CL. *Christoph. Andr.* Schongast *Diss. Inaug.* Lipsiæ 1668. *cap. 1. §. 3.* quod sit *intemperies frigida a latice in spinalem medullam partesque alias derivato, cum spirituum animalium corpore, orta.* Quæ maximam partem petuntur ex *Gliss. c. 4. seqq.*

§. 6. Intemperies frigida & humida merito habetur; siquidem ea est pars essentiæ hujus morbi. Hinc & Anglis quadantenus vernaculus dicitur, quia illa insula nonnihil humilitatis a vicinia maris, tum frigiditatem a distantia ab æquatore mutuat: deinde innumeris prope fontibus abundat; denique multis pluviis iisque frequentioribus, quam pleræque aliæ regiones irrigatur, teste *Gliss. cap. 19. p. m. 244.*

§. 7. Accedit quod admodum prolifera sit, hincque æque languidi debiliores & valetudinarii gignant ac robusti & sani: præterea quoque fœminæ infirmæ, cachecticæ, cacochymicæ; imo & in tabem pronæ itidem & concipiunt, & legitime gerunt ac pariunt, uti fusius sympatriota *Gliss. c. 19.*

c 19. p. m. 246. seqq. explicat. Hinc Highmor. Disquiſ. Anat. l. 3. p. 2. c. 6. f. m. 240. vocat cachexiam pueror. ſcorbuticam, vulgo Rickets dictam.

§. 8. Addit denique *l. a. p. m. 248. Gliſſonius* hoc malum multum fuiſſe promotum a diuturna ac ſecura pace regionis; per quam ditiores familiæ, quas primas hic morbus infeſtavit, & adhuc præ aliis infeſtat, otio ſe ac delicatiori molliorique vitæ generi addixerunt, atque inde in conſtitutionem humidiorem, laxiorem, molliorem, effœminatam, & ab excrementitiis humoribus minus perpurgatam inciderunt, adeoque liberos huic morbo facile obnoxios procrearunt.

§. 9. Nec adeo pertinacis ſum opinionis, ut ſolis quibusdam Angliæ partibus illum frequentem credam, quin & in aliis Angliæ partibus, imo in Scotia & nonnullis aliis regionibus deprehendi, non neget *Gliſſon.* p. m. 248. ſeq. utut a multis non ſtatim in principio agnoſcatur. Imo memini, me olim vidiſſe in Ampliſſimi cujusdam Viri filio, præmature magnæ parentum ſpei ſubtracto; itidem in aurifabri cujusdam tribus libe ris, quorum unus non ita pridem fatis conceſſit.

§. 10. An vero veteribus cognitus fuerit hic morbus, equidem nolim confidentius aſſerere. Poterunt eſſe, qui affirmationis prætextum ex aliquot locis Hippocraticis allegare poſſunt, qualia leguntur l. de Glandulis f. m. 55. (edit. Foëſii Franc. 1595.) & lib. 2. προῤῥητικῶν f. m. 82. & ad hunc locum *Foëſius* in Nott. f. m. 83. it. lib. de locis in homine f. m. 83. in principio. Verum hac in re magis poſſunt videri pii in Præceptorem ac veraces, magis ſubtiles atque accurati.

§. 11. Πρῶτον τὸ ὑποκείμενον hujus mali, non eſt cor aut cerebrum (*Gliſſon* cap. 6. p. m. 48.) nec hepar (id. ib. p. ſeqq.) nec pulmo (id. ib. p. m. 56. ſeq.) nec oſſa (id. ib. p. 59.) ſed calvariam egreſſa medulla ſpinalis, teſte eod. ib. p. m. 58. Quamvis improprie medulla audiat teſte auctore lib. de Carnibus f. m. 30. (quem Exc. *Sebaſt. Schefferus*, dulciſſimus Amicus, Medicus Francofurtenſium Celeberrimus in Introd. in Artem Med. Conring. cap. 3. §. 9. p. m. 52. atque *Cæſalpin.* in Specul. Art. Med. Hipp. l. 1. c. 1. p. m. 2. adſcribunt *Democrito*, *Hippocrati* vero *Piccolhom.* l. 2. Prælect. Anat. 5. f. m. 57. & *Th. Bartholin.* tr. de Pulmonibus f. 1. p. m. 2. Non tamen legitimum ejus eſſe, colligo ex *Joh. Gallego* de la Serna tr. de Principiis generationis l. 3. c. 35. f. 201. b. Conf. *Acad. Germ. Curioſ.* Ann. 3. p. m. 567. in fine.

§. 12. Ab eadem ſpinali medulla videtur nomen ad imitationem Græcorum adipiſci, quam enim Angli the Rickets nulla manifeſta ratione (teſte *Gliſſon.* cap. 1. p. m. 3. ſeqq.) nominaverunt; hanc ſtudioſe Medici Angli ad Græciam reduxerunt: Iis enim audit *νόσος ῥαχῖτις*, vel etiam *ῥαχίτης* morbus ſpinalis, ita vocat *Frid. Loſſius* lib. 1. obſ. 3. item *νόσος τῆς ῥάχεος*, morbus ſpinæ dorſi, quia haec eſt inter primo affectas partes princeps, *Gliſſon.* l. a. p. m. 5. & ita alludit vernaculæ Anglicæ & Germanice qs. die Rückens Kranckheit: Græcis enim *ῥαχίτης μυελὸς*, ſpinalis medulla ſeu ſpinæ dorſi medulla dicitur, teſte *Henr. Stephano* in Theſ. Gr. Linguæ Tom. 1. f. m. 523. ubi etiam docet, unde *ῥάχις, εως, ἡ*, ſpina dorſi deſcendat: Conf. eundem maxime Tom. 3. f. m. 669. ſeq. ac præcipue *Gorræum* in Definitt. Med. Item *Varini Phavorini Camer-*

mertis Lexicon τὸ Ρ΄ μετὰ τοῦ Α΄ f. m. 1615. (edit. Basil. Roberti Chimerin. 1538.) & *Etymolog. Magn.* lit. P. f. m. 702. Edit. Sylburg. 1594.

§. 13. Nec spinalis solum medulla, sed omnes ab eadem oriundi nervi, teste *Glisson.* cap. 4. p. m. 58. Oriuntur autem (secus ac veteres fere omnes & plurimi recentiorum crediderunt; exclusa etiam *Aristotelis* sententia, e corde oriri, utut mordicus quoque a *C. Hoffmanno* defensa,) una omnes nervi tam intra quam extra cranium; unice a medulla oblongata & spinali, nullique a cerebro, quemadmodum præter CL. Virorum auctoritatem, *Willisii* Anatom. Cerebr. c. 13. cap. 19. & passim de Anima Brutorum *Blasii tr.* pecul. de Spinal. Med. *Tulpii* l. 1. obs. c. 3. p. m. 7. prioremque sententiam deponens, novam hanc quoque accepit & sustinuit CL. *Th. Bartholin.* A. R. lib. 3. cap. 3. p. m. 468. Edit. noviss. Lugd. 1677. & cap. 4. p. m. 483. & fuse libell. 3. c. 1. p. m. 659.

Imo ipsissima ocularis demonstratio, veluti elapso mense in solemni anatome αὐτοχειρ⟨ί⟩ ad oculum una omnibus Dnn. spectatoribus demonstravi apertissime, ubi viderunt nec opticos etiam, nec oculorum motorios; nec acusticos; nec alios ullos e cerebro, sed unice e medulla dicta expansa prodire.

§. 14. Δευτέρως, vero mali hujus subjectum, præter eas a *Glissonio* cap. 4. recensitas, esse possunt aliæ multæ partes. Hinc in ejusmodi ægris caput justo majus, faciesque habitior respectu reliquarum partium *Glisson* cap. 2. p. m. 10. membra externa musculique totius corporis graciles & emaciati; quasi atrophia vel tabe absumti cernuntur, quod in omnibus ita mortuis observatum. Id. ib. p. m. 10. seq. Cutis universa, tum vera, tum membrana carnosa &

adi-

adiposa, flaccida & quasi pendula, laxæque instar chirothecæ apparet, ita ut multo plus carnium eas continere posse putes. Ib. p. m. 11. ubi longe plura. It. pulmones cum pleura in omnibus, quos aperuere, fuere adnati plus minus, *Glisson.* cap. 2. p. m. 13. ubi addit: *Arbitramur tamen contingere posse hunc affectum sine hujusmodi coalescentia; licet ea in progressu morbi plerunque ante obitum superveniat.* Verum uti prius facile largiri possumus; ita posterius credere nunquam adducimur. Plura apud laudatum *Glissonium.*

§. 15. Viam vero, qua humores inutiles ad spinalem medullam possint meare, videtur quadantenus adumbrare Divinus *Cous* lib. περὶ γονῆς statim in principio f. m. 11. exemplo ducto a seminis generatione. Verba ejus sunt hæc: Οὕτω δὲ κ' ἂν τῷ ἀνθρώπῳ, ἀποκρίνεται ἀπὸ τοῦ ὑγροῦ ἀφρέοντος, τὸ ἰσχυρότατον καὶ τὸ πιότατον, καὶ ἔργεται εἰς τὸν νωτιαῖον μυελόν. Τείνουσι γὰρ ἐς τοῦτον ἐκ παντὸς τοῦ σώματος καὶ διαχέει ἐκ τοῦ ἐγκε. Φάλου εἰς τὴν ὀσφὴν, καὶ ἐς πᾶν τὸ σῶμα, καὶ ἐς τὸν μυελὸν, καὶ ἐξ αὐτοῦ τείνουσιν ὁδοὶ, ὥστε καὶ ἐπιέναι τοῦ ὑγροῦ ἐς αὐτὸν καὶ ἀποχωρέειν h. e. *vertente Foesio: Sic vero etiam in homine, quod validissimum est & pinguissimum, a spumescente humore secernitur, & ad spinalem medullam progreditur. In hanc enim ex toto corpore viæ quædam feruntur, & ex cerebro in lumbos, universum corpus & spinalem medullam diffunditur, ex eaque viæ quædam procedunt, ita ut ad eam humidum deferri, & ex ea secedere queat.* Accuratius vero has vias explicuere *Glissonius atque* Schöngast cap. 3.

§. 16. Caussam proximam in laticem vel lympham abundantem & peccantem forte non immerito

rito rejicit CL. Schöngast, Disp. Inaug. Præside D. D. *Sulzbergero* cap. 2. In succum vero nervorum nutritium *Glisson.* de Rachitid. cap. 6. & in Anat. Hepat. cap. 45. p. m. 387. (edit. Amstelod. 1665.) quem locum quoque allegavit *Charleton.* Oecon. Animal. Exerc. 10. §. 11. p. m. 19. Verum hunc tq. Commentum multi recentiorum, nec sine causa rejiciunt; uti *Deusing.* Exerc. pecul. & in specie, quoad hanc rem, Schöngast Disp. Inaug. cap. 3.

§. 17. Reliquæ causæ & propinquiores & remotiores fere coincidunt cum aliis morbis, qui ad intemperiem tum frigidam, tum humidam referuntur, ideoque supersedebimus iis recensendis, cum in genere apud plerosque Institutionistas reperiamus; in specie vero pro Rachitide ap. *Glisson.* de Rachit. c. 15. & seqq. Schöngast cap. 4. seqq.

§. 18. Varia hujus mali habentur producta, potissimum a depravata nutritione dependentia, veluti sunt: (1.) Extremitatum in artubus excrescentiæ & contorsiones earum atque spinæ dorsi. Sic *ἀλογοτροφία* vocatur ea vitiosa partis alicujus nutritio, quæ conjuncta est cum illius figura vitiata; ita in Rachitide, si ossa vertebrarum dorsi ab altera parte plenius alantur in infantibus, necesse est, ea incurvari, quod fieri per alogotrophiam docet *Charletonus* Exerc. 10. Patholog. §. 42. pag. 200. citante CLmo *Brunone* in Lex. Med. pag. 41. b. (2.) Tabes corporis, imo denique marasmus. (3.) Mollities & laxitas partium. (4.) Impotentia, aut saltim difficultas ambulandi (5.) Angustia pectoris cum dyspnœa. (6.) Tussis & alia plura, quibus recensendis insudarunt CL. *Glissonius* tr. sæpe allegato passim, præcipue capp. 6. 7. seqq. it. c. 21. atque Schöngast Disp. Inaug. c. 4. & 6. *Sic* glandulæ

con-

concatenatæ (quæ quasi catena globulorum ab auriculis per colli longitudinem ad claviculas descendunt) majores cernuntur in pueris hoc malo afflictis, teste *Whartono Adenogr. c.39. p.m. 251.*

§. 19. Quod ad πρόγνωσιν, (signa quoque affabre depingit Frid. Lossius l. 1. obs. 3. qui videatur:) specie sua lethalis non est; quin sæpe adeo benignus, ut pueri aliqui solo ætatis beneficio, calore vitali quomodocunque aucto, absque medicamentis convaluerint; teste *Glisson. c. 23. p. m. 295.* Interdum tamen adeo contumax est; ut non nisi morti cedere velit. *Id. ib.* tres infantes Thomæ Mori ita mortuos notat Frid. Lossius l. 1. obs. 3. Quibus ante aut statim a partu accidit; aut nunquam, aut difficulter curantur *Id. ib. p. m. 296.* Grandiores junioribus, incedentes pedibus, non incedentibus facilius curantur. *Id. ib.* Quo graviora eum stipant symptomata, eo est gravior: quo debilior est spina dorsi, eo gravior & periculosior est morbus; siquidem qui nec erecti sedere, nec caput fere sustinere valent, de vita periclitantur; *Id. ib. c. 23. p. m. 298.* ubi longe plura addit quæ vide sis.

§. 20. De Curatione quædam essent annectenda. Verum cum affectus hic non adeo notus aut frequens sit nostris in terris; ideo tuto, si occurrat, remittimus lectores ad eos, quos in hac materia laudavimus auctores veluti classicos, De V.S. in antitrago vide Highmor. Disqu. Anat. l. 3. p. 2. c. 6. p. m. 240. qui improbat. Anglorum rachitidi filix medetur, ait Lamb. Bidloo in Diss. de Re Herbaria Commelini catalogo plantar. Indig. Holand. præfixa p. m. 7.

Obi-

Obiter ſaltim hoc dicimus (α) Intemperies frigida & humida per contraria tollenda, aut ſaltim mitiganda. (β) Spirituum inopia reſtauranda. (γ) Torpidi illi excitandi & roborandi: (δ) Nutritio juvanda, &c. vide *Gliſſon c. 25. ſeq.*

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

COMETA, qui hactenus ab aliquot ſeptimanis in Anglia, Belgio, Argentorati, Norimbergæ, Viennæ, Lipſiæ, Francofurti &c. heic quoque viſitur, jam poſt ſolis ocaſum ſtatim cum cauda ferme dimidium cœli noſtratis perluſtrante, ſed pallida admodum a Virgine quod Libram &c. progreſſus eſt, multis horrorem futuri mali incutit. Pietati equidem nullius præjudicavimus, interim *ſtellam* (1) eſſe quandam *erraticam* (2) curſum tamen ſui generis *certum* (3) ſervantem, a primordio mundi *conditam* (4) neque quidquam ſive (5) *boni*, ſive (6) *mali* hominibus (7) *præſagire*, ſed omnia illa, quæ ſæpe numero eveniunt, & ab hominum ac temporum perenni malitia, & Ethnicorum credulitate &c. peti poſſe forte ſine piaculo (8) credimus.

NOTULÆ IN Ἐπίμετρον.

1. STELLAM] Ita ſentio cum *Seneca* Quæſt. Natur. c. 7. *Amm. Marcellino* lib. 25. & 30. *Servio ad Virgilii* Æneid. lib. 10. *Iſ. Voſſio* de Lucis Natur. & Propriet. cap. 32. pag. 79. *Eryc. Puteano* lib. 1. Paradoxo 5. Jo. Helfr. Jungken in Fundam. Medic. Modernæ Eclecticis, Parte ſpecial. ſect. 1. cap. 2. §. 37. pag. 61. ubi ita: Potius ergo Cometæ ſideribus annumerandi erunt, ex eadem

dem cum planetis materia constantes, & sola saltim soliditate & motu eis differentes; materia vero videtur esse similis illi, a qua maculæ in sole originem sibi sumunt.

2. ERRATICAM] Ita *Phelippofius* Medicus ex Flandria, conf. *Cartesius* & *Bechmann.* Phys. l. 2. cap. 7. *Jonstonus* Thaumatograph. Classe 3. cap. 2. q. art. 1. pag. 99. ait: Perpetui quibusdam videntur, circa Solem, Veneris & Mercurii instar volvi, plerunque latere; *Bodinus* in stellas fixas tandem abire innuit. Paradoxa certe sunt Paradoxa illa, quæ CLmus JCtus & Mathemat. Kiloniensis D. Sam Reyher Disp. Mathemat. de Præcipuis Superior. Seculor. Phænomenis in fine pag. 23. & *Alb. Meyerus* Bremens. Differt. de Observatt. Aërometricis in Append. de Cometa Kilon. 1681. Parad. 1. & 2. asserunt, nempe (1) Cometas ex fixis fieri maxime probabile est; (2) ex Cometis fixas interdum fieri, exemplo novæ stellæ in Cassiopeia superioris seculi anno 72. visæ probari poterit. (3) Cometas certis periodis absolutis redire minime credibile est. (4) Cometæ proprio lumine carent. (5) Cometæ radios solares ad terræ incolas reflectunt. (6) Reflexio hæc differt ab illa, quam producunt Planetæ; nam Planetæ non sunt corpora polita & insuper athmosphæris involuta. (7) Cometa modernus (anni 1680) major est sole. (8) Cauda longe minor est, quam ipse Cometa. (9) Cauda latissima est, ubi contingere videtur corpus cometæ & contra. (10) Cauda non est una, sed tot sunt caudæ, quot observatores, imo tot, quot observationes. 11. Cauda non cohæret cum corpore Cometæ, sed multis milliariorum myriadibus ab eo remota est, &c.

3. CURSUM CERTUM] Vid. *Petitus* Munitionum Præfectus in Diss. de Comet. Nat. *Hevelius* in Prodrom. Comet. Dn. *Auzout* in pecul. libello de Calculo Cursus Cometæ anni 1680. præsupputato, Regique Galliæ oblato. *Eryc. Puteanus* lib. 1. Paradox. 3. pag. 22. ait; Lumen illud fortassis fuisse semper, ex intervallo apparere, quod patet; subnasci vero & occulto quodammodo naturæ

turæ, mea jam quidem opinio est. *Alb.* quidem *Meyerus* & *Sam. Reyherus* contrarium, Cometas nempe, certis periodis absolutis, redire minime probabile esse, statuunt; uti jam nota 2. vidimus; verum assertum nostrum evincunt recentiorum Astronomorum observationes clarissimæ, vid. *Jac. Bernoulli* tract. pecul. de Novo Systemate Cometarum. Bene quoque eundem cursum delineant *Lubienizky* in magno illo Theatro Cometarum, & Jo. Georg. Meissnerus Disp. de Motu Cometarum Æterno Vitembergæ 1682. §. 17. seq. Dom. *Cassini* Astronomus Regius Parisiens. in pecul. tract. de Cometa anni 1680. & 1681. docuit apparentem motuum inæqualitatem ad certas leges & magni circuli circumferentiam revocari, ac nova demum ratione Cometarum theoriam exposuit, teste *Jo. Bapt. du Hamel* in Vol. 5. Philos. Vet. & Novæ tr. 2. & lib. 2. Reg. Scient. Acad. Hist. sect. 9. cap. 5. §. 1. pag. 197. ubi §. 2. seq. addit: Neque id abhorret a vero, Cometas inter opera ab initio mundi condita uti & planetas referri oportere. Nec forte eorum motus minus est æquabilis quam planetarum, consule modo Auctorem ipsum, qui plura huc apta refert.

4. A PRIMORDIO MUNDI CONDITAM] Hoc olim jam alii crediderunt, teste *Plinio* Hist. Nat. lib. 2. cap. 25. contrarium vult *Bechmannus* Phys. lib. 2. cap. 7. Priorem nostramque sententiam amplectitur quoque *Erycius Puteanus*, cujus verba jam dedimus sub Nota 3. ut & *Jo. Bapt. du Hamel* verbis eadem nota expressis conf. *Jac. Bernoulli* in Novo System. Cometar. pag. 9. *Petr. Petitus* in Actis Eruditor. Lips. Anno 1682. pag. 116. *Jo. Georg. Meisner.* Disp. de Motu Cometar. Æterno. §. 15.

5. SIVE BONI] Faustum tamen esse Cometam prolixe probare conatur *Eryc. Puteanus* lib. 2. parad. 7. & 8. Utrumque, & bonum & malum ominari credidit *Mazzotta* lib. 1. De Meteoris Igneis cap. 3. pag. 165. *Jonstonus* Thaumatogr. Class. 3 cap. 2. art. 2. pag. 101. scribit: Unus faustus putatur, qui, cum Augustus ludos Veneri genetrici appararet, apparuit: hinc verbo i-

psius Plinii H. N. lib. 2 cap. 25: Iis ipsis ludorum „meorum diebus situs crinitum per 7. dies in regione „cœli, quæ sub septentrionibus est, conspectum Id „oriebatur circa undecimam horam diei, clarumque & „omnibus terris conspicuum fuit. Eo sidere significari „vulgus credidit, Cæsaris animam inter Deorum im-„mortalium nomina receptam: quo nomine id insigne „simulacro capitis, quod mox in foro consecravimus, ad-„jectum est „ In antiqui denarii Romani altera parte spectatur Cæsaris effigies cum his literis: IMP. CÆS. DIVI. III. VIR R R.C. in altero vero templi Veneris anterior facies cum stella Cæsaris, statua augurali, habitu & ara ad quam sacrificare, vota suscipere, & controversias dirimere, interposito jurejurando per Cæsarem solebant, cum his literis: DIVO. JUL. *Dalechamp.* ad d. *D. Plinii* loc. *Aug. Quir. Rivinus* Disp. de Medico Superstitioso Lips. 1698. § 45. ait: "Apparuit sub finem „anni 1680 Cometa satis horrendus, cum desiisset pestis. „Si apparuisset circa initium illius anni, quis eum non „accusasset audacter? Ab illo autem tempore, ut puto, „nemo amplius est, qui eundem adeo metuat, ad mini-„mum dubitari posset, annon plus valeat in abigenda „peste gravioribusque morbis quam producendis iis, „quod ante hac creditum fuit.

6. SIVE MALI] *Mazottæ* sententiam supra nota S. vidimus, B Dn *Fel. Christ. Menzer*, Pastor quondam Eccl. D. Petri Teutonicæ Hafn. in Animadvers. ad Germ. Poëma de Morte Christi lit 5. pag. 62. ait: Pessimi Cometas semper esse ominis inveterata ἀςηρίκλων, plurium est opinio; *Ptolomæus* Quadripart 9, quem sequitur *Forestus* lib. 6. obs. 9 pag 50. ast, quam frigide hæc dicantur, erudite ostendit *Jo. Andr. Bosius* de Signif. Cometar. Mala significare Cometas multis in compendio probare vult Jonstonus Thaumatogr. class. 3 cap. 2. art. 2. pag 101 inquiens: „Præcursorem calamitatum, si spe-„ctemus judicium, & dicunt & compertum est: Vespa-„siano mortem prædixit: Romæ ab Alarico captivita-tem

tem: Miserum Mauritii fatum: Mahummedis perniciem: Exitiosam καισαροπαπιολαν nunciavit: Carolo M. ultimum diem: Tartarorum in Silesiam impetum & auricularum abscissionem indixit. Von dem grossen Cometen Anno 1664. m. Decembr. ist geschrieben worden, daß ein Spötter, so des Cometen Bedeutung verlachet und verlästert, ex passione iliaca die Feces und Excrementa durch den Mund von sich gegeben, ait, *M. Jo. Seb. Güth* in Poligraph. Meiningensi lib. 3. pag. 409. Auctor der Novellen aus der gelehrten und curiosen Welt, m. Octobr. 1692. pag. 979. acriter invehitur iu eos, qui Cometis malum omen non tribuunt.

7. HOMINIBUS PRÆSAGIRE] Conf. *Hevelius*, *Petitus* ll. aa. *Gassendus*, *Erasm. Bartholinus*, *Car. Pisso*, &c. *Jonstonus* l. c. pag. 101. ex *Alstedii* Chronol. refert: "Carolum M. memoriæ produnt cum Cometam vidisset, attonitum cum Eginharto disseruisse, Principis evocari vitam; cumque is, ne tristitia afficeret, illud, *a signis cœli nolite timere*, protulisset: non alium timere debemus, adjecisse, nisi qui, nostri & sideris creator est: sed ejus clementiam laudare tenemur, qui nostram inertiam talibus admonere dignatur signis." CLmus D. *Sam. Reyherus* Dip. Mathem. de Præcipuis Sperior. Seculor, Phænomenis in fin. pag. 24. ait: Vaticinia a Cometis petita, ut omnia alia Genethliacorum deliria sunt admodum lubrica & incerta, unde merito illa illis, qui similibus delectantur, relinquimus. *Bucherus de Volder* Coroll. 13. ad Exercit. Philos. Utrum sol an vero tellus in planetarum numerum referenda sit, Lugd. Bat. 1684. inquit: Cometæ nihil mali præsagiunt. Alb. Meyerus loc. sup. alleg. paradoxo 19. Vaticinia a Cometis petita &c. v. sup. Reyheri verba, dein pergit: "Interim si aliquibus regionibus præ aliis aliquid portendere deberet, illæ gentes, quæ sub latitudine tam Australi quam Boreali 59. graduum degunt, sibi cavere vel gratulari deberent, quia via Cometæ exacte respondet horoscopis ipsarum. Sed receptui canimus, & coroni-

„dis loco divinam Jeremiæ Prophetæ admonitionem ad-
„jicimus, qui c. 10, 1. *Audite*, inquit, *verbum, quod locu-
„tus est Jevova super vos domus Israel, hæc dicit Dominus,
„juxta vias gentium nolite discere, & a signis cœli nolite
„metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ
„sunt* „ Consentit *Hieron. Dicelius* in Cosmiele Kircheriano sect. 3 phænom. 3. in scholio, Lips 1694. qui simul allegat Dissert. de Cometis Calamitatis nullius prænunciis; in Actis Erud. Lips. A. 1682. pag. 315. *Erasm. Bartholinus* in Act Hafn. Vol 1. n. 129. pag. 222. de Cometa anni 1612. ita; „ Non inconsultum duxi, Astro-
„logorum de significationibus portenta ingenti securita-
„te præterire, quod hæc ad superstitionem magis quam ad veritatem sint composita ., *Sever Petri Glud.* Diss. de Gradu Magist. Philos. in Lance Satura Physica § 2. ait: Qui ita in physicis argumentantur: *Post hoc, er-
„go propter hoc*, præpostere colligunt, atque inde tot in-
„jurias affricamus Cometis, Eclipsibus & Sirio.„ Eadem est sententia *Sam. Sorberii* & P. *Gassendi*. quæ videri potest apud Mr. *Graverol* de vita Sam. Sorberii pag. *9. b. Sorberianis præfixa.

8. CREDIMUS] Huic nostræ sententiæ fere per omnia accedit *Car. Gottlieb Wenzlovius* Corollariis II. prioribus ad Disp. de Fonticulis Præside Dn: D. *Conr. Phil. Limmero, Servestæ* 1687. habitam; item *Jo. Bapt. Denis* Tract. Pecul. de Cometis, & dans ses Conferences pag. 84. ut & *Jo, Georg. Meisnerus* l. sup. all. §. 6. 7. & 35. Colophonem Epimetro huicce nostro addat notatu dignissima *Bartholomæi Schimfferi* prædictio. Is in tractatu suo de Cometis anno 1652. typis impresso notanter ita: Anno 1664 im Monat December, da wiederum alle Planeten in dem irdischen Zeichen des Steinbocks sich finden lassen: So zeigen diese Zusammenkünfte an, daß die, so noch im Leben abermals was neues am Firmament des Himmels sehen werden.

SATY-

SATYRA DECIMA OCTAVA DISQUIRENS QUAMDIU DORMIENDUM.

§. 1.

Ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα τοῦ μετρίου μᾶλλον γενόμενα, κακόν! Ita effatus jam olim Divina Vir Scientia (ceu audit *A. Gellio* 19. N. A. 2.) *Hippocrates* 2. Aphor. 3. (aut 2. juxta Oribas. Edit. Patavin. 1658. apud *Cadorinum*, quem tamen ſequi nolim quemquam,) quæ ita reddidit *Anut. Foëſius*: *Somnus, Vigilia, utraque modum excedentia, malum denunciant.* Quæ iisdem fere verbis repetiit ſect. 7. aph. 71.

§. 2. Rationem ὡς ἐν γένει reddit Opt. Max. *Cous* 2. Aphor. 51. hanc: καὶ γὰρ πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον i. e. Omne ſiquidem nimium, naturæ inimicum. Quod itidem agnovit *Plinius* 11. 54. H. N. inquiens: Perniciosiſſimum autem eſt in omni quidem vita, quod nimium, præcipue tamen concipi minuique, quod gravat, quolibet modo utilius. Scil. Μηδὲν ἄγαν; præſtantiſſimorum Sophorum ſententia (Pythagoræ tribuit *Diog. Laert.* Bianti, *Ariſtoteles*, alii Thaleti, Soloni, Euripidi, Homero &c. vide *Eraſm. Adag.* Chil. 1. n. 596.) quod Soſia ſervus apud *Terent. in Andria* I. 1. 34. ita expreſſit.

—— ——. *nam id arbitror*
Adprime in vita eſſe utile, ut ne quid nimis!

Et juxta *Phocyliden*; πάντων μέτρον ἄριστον; *omnium modus optimus.*

§. 3. Hanc regulam & in arte noſtra ſacra vel maxime debere obſervari, aliis illuſtrat probatque e-

xemplis *Hippocrates Magnus* 1. Aphor. 3. 2. 4. & præcipue 51. ac passim in cedro dignis monumentis suis.

§. 4. Somnus quidem, si naturæ conveniens est & moderatus, *jucundissima est quies, & optabilior pars vitæ humanæ*, teste *Piccolhomin.* lib. 2. Prælect. An. 5. f. m. 57. Ejusque encomia amplissima pleno debuccinant ore, qui videantur *Ovid.* Metamorph. lib. 11. Edit. *Jac. Mycill.* Lipf. 1612. in 8vo. *Statius* 5. Silvar. 4. & ad h. l. *C. Barth.* in Comm. f. m. 496. seqq. *Senec. in Hercul. Fur.* v. 1065. *Ebn-Sina* 1. 3. tr. 4. c. 1. *Anton. Gazius* in Florida Corona Sanitatis c. 262. & præcipue c. 263. (Edit. Lugd. 1514. in 4to) *Tob. Magirus* in Florileg. Locc. Comm. f. m. 2115. seqq. *Beverovic.* in Thes. Sanit. part. 1. lib. 4. c. 2. & ex elegantissimis Auctoribus *Balt. Bonifacius* Hist. Ludicr. lib. 17. c. 1. ex aliis *C. Dornavius* in Amphitheatr. Socrat. Sapient. f. m. 718. seq. *Argenterius* in Præfat. lib. de Somno & Vigil.

§. 5. Somnus ille omnes operationes fortes efficit, docente *Ebn-Sina* 2. 1. apud *Zacut. Lusit.* Med. P.P. Hist. f. m. 28. hocque explicat *Thom. a Veiga* Comm. c. 84. lib. Art. Med. & Lud. *Mercat.* Tom. *c.* lib. 2. qu. 165. Reficit facultatem vitalem *Quercetan.* in Diætet. Polyhist. f. 2. c. 10. p. 243. *G. I. Vossius* lib. 3. de Idolol. c. 34. p. m. 886. *G. Mœbius* Inst. lib. 2. p. 2. c. 6. p. m. 117. Auget calorem viscerum *Lev. Lemn.* de Complexion. lib. 1. c. 7. *Joh. Butinus* Comm. ad 2. Aph. 3. p. m. 94. *Quercetan.* l. a. p. m. 244. *Zacut. Lus.* lib. 1. Med. P.P. Hist. 13. *J. Riolan.* Pater Physiol. sect. 7. c. 14. p. m. 225. *Mœbius* l. a. Hinc foris eum qui vigilet, calidiorem fieri, contra intus eum qui dormiat, magis incalescere, Hippocratis est placitum, ajente *Galeno* Comm. ad 2. aph. 1. & *J. Riolan.* Pater. l. c. scil. *Hippocrat.* l. 6. E-

l. 6. Epidem. f. 4. t. 12. adde *Aristotel.* de Somno & Vigil. c. 3 *J. Cæs. Claudin.* Consult. Med. 136. p. m. 913. *Gr. Horst.* de Sanit. Studios. Tuend. lib. 1. c. 10. p. m. 97. Excell *G. W. Wedel.* Physiol. f. 4. c. 14. §. 10. p. m. 325. *V. F. Plemp.* de Togator. Valet. Tuend. c. 6. §. 5. Rem hanc egregie, uti omnia sua, exponit Celeberr. *Th. Willis* de Anima Brutorum part. 1. c. 16. p. m. 229. ita inquiens: *Inprimis advertimus* sanguinem plus accendi, multoque uberius deflagrare in somnis quam in vigilia. *Hujus veritas liquido constat ex Sanctorii Observationibus Staticis; quatenus nempe dormientes ad ponderis longe majoris decessum exhalant, quam vigilantes, adhibitis licet exercitio & sudore. Porro idem dictitant Ratio & Experientia: quemadmodum enim materia combustibilis circa accensionis focum juxta posita & coacervata, plenius ardescit, quam si eadem per partes divisa fumigans & semiaccensa, in varia & dissita hic, illic, loca distraheretur: pariter & de sanguine judicandum erit, qui scilicet in somno tranquillus nullisque aut passionibus aut musculorum impulsibus e præcordiis avocatus, aut foras detentus, pleno velut alveo pulmones subit, ibidemque accensionis focum tardius pertransit; unde necesse erit, eum tunc uberius accendi, eumque majori flamma ardescere, quam si raptim solummodo, & incendio leviori tactus, ea loca trajiceret. Cæterum unusquisque a se ipso experitur, inter dormiendum præcordia plurimum æstuare, partesque externas ad frigescendum aptas esse, quare has stragulis cooperiri opus est, quo effluvia circa ambitum corporis detenta, ipsum excalefaciant, dum interea phlogosis in pectore versatur, atque a flamma & fuligine illinc adscendentibus lingua, & partes oris velut elixæ albescunt; hinc sub dio, aut alicubi, extra lectum dormientes, nisi vesti-*

bus bene muniantur, frigus contrahunt; nam ob calorem retractum, aëris ambientis corpuscula frigida poros subeunt, eosque constipant, contra autem Astmatici, & quibus pulmones infarcti aut constricti, aut alias difficulter mobiles sunt, intra lectum ægre obdormiunt, quia nempe flammam in præcordiis accensam, calor ambiens sæpe in tantum adauget, eidem ut eventilando, & per arterias convehendo, pulmones utpote debiles, ac in motu fatiscentes, vix ac ne vix quidem sufficiant. Hactenus optimus *Willis.*

§. 6. *Joh. Baptist. du Hamel.* quidem lib. 3. de Corpore Animato c. 6. §. 2. & 3. vix concedit in somno majorem, quam in vigilia præcordiis accedere calorem; quia pulsus cordis tunc minor, nec adeo elatus atque in vigilia. Recte tamen contrarium statuit *C. Hofmann.* Inst. Med. 1. 30. 4. & *Lotich.* Comm. in Petron. c. 3. p. m. 28. Imo limitando facile postest objectioni responderi.

§. 7. Nihilominus tamen æstum in corpore mitigat & sitim levem, ceu ex *Hippocr.* 6. Epid. habet Mœbius Inst. Med. p. m. 117. Quod apte iterum exponit *Willis* l. a. p. m. 230. seq. his verbis: *Nec minus sanguis ob propriam effervescentiam perturbatus, per somnum sedatur: cum enim a tali causa effervescit ille non æqualiter cum flamma clara & candida, sed cum fumo & fuligine intumescens efflagrat, proindeque minus eventilatus, calorem valde molestum & acrem diffundit, qui insuper magis infestus est, in quantum sanguinis recrementa, nempe serum, & particulæ adustæ, ac alias viscosæ, latici ejus fumiganti involutæ, secerni & amandari nequeunt. In somnis vero sanguis mox sedatur, accensionis focum, scilicet pulmones, lentius pertransit, quare ibidem plus quam prius accensus, flamma clariori, simulque mitiori ardescit, proindeque fumo statim*

tim cessante, & particulis quibusdam heterogeneis combustis, reliquæ quævis a confusione se extricantes, quæ utiles sunt, in munia designata impenduntur, quæque inutiles, secretæ, partim per halitus διαπνοὴν aut sudores, partimque per alia emunctoria excernuntur.

§. 8. Concoctionem insigniter juvare somnum, non solum auctoritate *Galeni* dicentis: πέπτει μὲν ὁ ὕπνος, διαφορεῖ δὲ ἡ ἐγρήγορσις, *coquit quidem somnus, digerit vero vigilia.* Conf. eund. Comm. 4. in 6. Epid. §. 14. & 20. & 12. M. M. 3. confirmatur; sed & *Æginet.* lib. 1. c. 97. *Haly Abbas* apud *Jæpser.* Introduct. ad Vitam Longam part. 1. c. 10. p. m. 98. scilicet habet in *V. Theor.* c. 35. apud *Ant. Gazium* in Florida Corona c. 263. f. m. 137. *Leonh. Fuchsius* Inst. Med. lib. 2. f. 4. c. 11. *Lev. Lemn.* de Complexion. lib. 1. c. 7. p. m. 66. *Quercet.* l. d. p. m. 244. *Forest.* lib. 7. obs. 22. in Schol. & lib. 10. obs. 33. in Schol. *Jul. Cæs. Vaninus* de Admirandis Naturæ Reginæ Deæque mortalium Arcanis Dialog. 60. p. m. 482. (Edit. Lutet. 1616. in 8vo.) *J. P. Lotich.* Comm. in *Petron.* c. 3. p. m. 28. *Melch. Sebiz.* Fasc. 14. qu. med. 22. *Greg. Horst.* l. a. *Casp. Hofmann.* Inst. 5. 30. *I. Zacut. Lusit.* lib. 1. Med. PP. Hist. 13. *G. J. Vossius* lib. 3. Idolol. c. 34. p. m. 886. & 890. *Deusing.* Exerc de Chylific. §. 38. seq. *Willis* de Anima Brutorum part. 1. c. 16. p. m. 216. *I. B. du Hamel.* lib. 3. de Corpore animato c. 6. §. 2. *Wedel.* Physiol. f. 4. c. 14. §. 10. *V. F. Plembius* de Togator. Valetud. tuend. c. 6. §. 5. *Agerius* Quæst. Phys. 9. Argent. 1623.

§. 9. Contrariatur quidem communi huic sententiæ CL. *Sennert.* in Paralipom. ad Instit. c. 11. Sed recte refutatur a *V. F. Plembio* lib. 3. Fund. Med. c. 4. sicuti & *Laur. Joubert.* Decad. 1. Paradox. 8.

contrariantem corrigit *G. J. Vossius* lib. 3. I... ol. c. 34. p. m. 890.

§. 10. Rationes affirmantium stabilit Excell. *Rolfinc.* Diss. de Chylificatione læsa, cap. 38. (Jenæ 1663.) quæ hæ sunt. (1) *Quiescit tum totum corpus, & singula membra* (2) *Tempus coctioni destinatum noctu est longius. Duplo & ultra distat a cœna intervallum ad prandium, simplo a prandio ad cœnam Octo horæ intercurrunt, vel septem inter & prandium & sequentem cœnam, sedecim fere inter cœnam succedens prandium.* (3) *Ratione nocturni & humidi lunæ splendoris noctu coctio promovetur, auctore Daphno apud Athenæum lib.* 7. ὠφελιμώτερα ἐςι τῷ παντὶ σώματι τὰ νυκτερινὰ δεῖπνα; τὸ γὰρ σελήνης ἄςρον πρὸς τὰς τῆς τροφῆς ἁρμόττει πέψεις. Κατὰ σῆψιν δὲ ἡ πέψις i. e. Conducibiliores sunt omni corpori nocturnæ epulæ; nam Lunæ astrum ad cibariorum confectiones multum confert; est enim putrefactivum. Concoctio putrefactio est. Conf. eundem Med. Comment. lib. 14. f. 3. c. 2. Rem clarius adhuc explicat, qui legi meretur, CL. *Willis* l. a. p. m. 233. ne totum huc transscribam.

§. 11. Præterea egregie somnus promovet digestionem, testibus *Paulo Ægineta* lib. 1. c. 97. *Ebn-Roschdi* 2. Colliget apud *Anton. Gazium* in Florida Corona cap. 262. *Haly Abbas* apud *Joepserium* part. 1. c. 10. p. m. 98. *Cæl. Rhodigin.* L. A. 14. 9. in fine *Quercetan.* l. d. p. m. 244. &c. scil. ob rationes maximam partem allegatas.

§. 12. Nec minus Chyli distributioni suppetias fert, ut commodius promoveatur novi sanguinis candidatus, ceu contestantur *Lev. Lemn.* de Complexion. lib. 1. c. 7. *Mæbius* Inst. Med. p. m. 117. Rem

apte

apte declarat ſæpius laudatus *Willis* de Anima Brut. p. 1. c. 16. p. m. 233. quem vide ſis.

§. 13. Adjumento porro eſt ſanguinis elaborationi, *C. Hofmann.* Inſt. Med. 5. 30. 2. nec non humorum atque ſpirituum tam elaborationi quam perfectioni, teſte Excell. *I. P. Brunone* Dogmat. Med. General. Part. 5. c. 4. p. m. 620. Humores crudiores concoquit, *Galen.* lib. 7. m. m. apud *Joepſer.* p. 1. c. 10. p. m. 99. ſeq. *Greg. Horſt. & Quercetan.* ll. aa. Corpus quoquę blande humectat, ceu ſcribunt *J. Riolan.* Pater ſ. 7. Phyſiol. c. 14. *Cœl. Rhodig.* L. A. 14. 9. *Rolfinc.* Meth. Med. Comment. lib. 14. ſ. 3. c. 2. p. m. 1011. *Mœb.* l. d. p. m. 117. ita tamen, ut omnis generis defluxiones impediat; *Quercetan.* p. m. 244. Morbos, & eorum ſymptomata mitiget *Lotich.* ad *Petron.* Satyr. Comm. ad h. l. c. 3. p. m. 29. & p. ſeq. rationes addit.

§. 14. Humorem radicalem (uti appellavere veteres) inſuper ſomnus moderatus adaugeat, ſecundum *Quercetan.* l. d. p. m. 244. atque nutritionem adjuvet, ex mente *Hippocratis* l. 2. de Rat. Vict. ap. *Mœbium* l. d. p. 117. & *Joepſerium* p. 1. c. 10. p. m. 100. quidquid etiam aggerat *Fr. Gliſſonius* de Anat. Hepatis p. m. 451. ſcilicet in ſomno ceſſare nutritionem ſucci nutritii per nervos: E diametro enim validioribus obſtat argumentis CL. *Willis* de Anima *Brut. p. 1. c. 16. p. m. 216. & p. 231.* quem evolve. Imo partium ſolidarum nutritionem in quiete citius perfici, quam in vigilia fatetur *I. B. du Hamel. l. 3. de corpore animato c. 6.* §. *3.* idemque demonſtrat etiem *Th. Willis l. a. p. m. 231.* quem vide omnino. Atque ſecundum eundem l. a. p. m. 233. Excrementorum ſecretio fit melior in ſomno.

§. 15. Denique ſedat quoque ſanguinis inordina-

dinationes: *Sive ille a corporum continentium, aut vicinorum impulsibus huc illuc varie agitetur, uti in passionibus & commotionibus tum corporis tum animæ violentis: sive a particulis heterogeneis admistis & effervescentibus ille proprio velut orgasmo, vini fermentantis ritu turgescat.* Sunt verba incomparabil. *Willis de Anima Brutorum p.1. c.16. p.m. 230.*

§. 16. Maxime autem facultati animali dictæ opitulatur eamdemque insigniter restaurat, testibus *Hippocrat. l. de Flatibus Galen. l. 1. de Symptom. Caussis* ap. *Lotich. in Petron. Comm. c. 3 p.m 27. seq. Paul. Æginet. l. 97. Piccolhomin. l. 2. Prælect. Ant. 5. f. m. 57. Lev. Lemn. l. 1. de Complexion. c. 7. p. m. 66. Quercetan. Diæt. Polybist. p. m. 243. Greg. Horst. l. a. Mœbius, l. d. &c.*

§. 17. Spiritus animales deficientes reparat copiose testantibus hoc *Bartholomæo Sibylla in speculo peregrinarum quæst. decad. 1. cap. 3. q. 2. cap. 8. p.m. 295.* (Edit. Venet. 1575. in 8.) *Zacut. Lusitan. l. 1. Med.* PP. *hist. 13. f. m. 24. Mœbio Institt. Med. p. m. 117.* quod præ reliquis egregie explicat *Th. Willlis de Anima Brut. p. 1. c. 16. p. m. 220.* præcipue *p. 231. seq.*

§. 18. Eosdem tumultuantes demulcet *Greg. Horst. & Mœb. ll. aa. Willis l. d. p. m. 222. & 233.* Hinc divinæ particulam auræ mentemq; furentem emendare consuevit, P. Æginet. l. 97. Lev. Lemn. l. 1. de Complex. c. 7. Quercetan. l. a. p. m. 743. Willis l. d. p. m. 233. Et rectissime olim Divinus *Hippocr. 2. aph. 2.* ὅκȣ παρα, φρoσύνην ὕπνος παύῃ, ἀγαθόν. i. e. *ubi somnus delirium sedat, bonum.* Conf. Eund *Epidem. 3. ægr. 7. §. 13. 16. & 2. Epidem. 3. §. 11. seq. Mœb. l. a.*

p. m.

p. m. 117. Nim. horum ſpirituum infirmitatibus medetur, *Quercet. Diæt. polyhiſt. ſ. 2. c. 10. p. m. 243.*

§. 19. Animum recreat quoque *Lev. Lemn. & Mœb. l. a.* hinc mœrentibus atque melancholicis adprime conducit V. F. *Plempius de Togatorum Valet. Tuend. c. 6. §. 7. Lev. Lemn. l. c. p. m. 66.* rationem addit *G. J. Voſſius l. 3. de Idolol. c. 34. p. m. 891* atque ita dolorem mitigat, *Ægin.* l. 97. *Rolfinc. Med. Comment. l. 14. ſ. 3. c. 2, Mœb. l. a.* hincque medicamenta hypnotica paregoricis & anodynis admodum ſunt adfinia, niſi plane eadem. Nim. eſt refrigerium & ſolamen ſpirituum omniumque corporum ægrotorum morbidorumque ſcribente *Quercetan. l. a. p. 244.* miraque dulcedine totum corpus demulcet *Mœb. l. a.*

§. 20. Senſus inſuper roborat tam externos quam internos; docentibus hoc *Lev. Lemnio & Mœbio ll. aa.* Diſtentis quoque ac rigidis relaxationem reddit, confirmante hoc P. *Ægineta 1. 97.*

§. 21. Evacuationes omnes corporis præter ſudorem (addo ego ἄδηλον διαπνοὴν *inſenſibilem tranſſpirationem*) ſiſtit ſomnus, hoc aſſerentibus ex *Ebn-Sina Zacut. Luſit. ſ. m. 28. & l. 2. Med. PP. Hiſt. 77. ſ. m. 320. Rhaſis l. 3. Aphoriſmor. ſuorum Mœb. Inſt. p. m. 117.* rationes reddit Excell. *D D. Wedelius* Fautor, Amicus & Collega dulciſſimus *Phyſiol ſ. 4. c. 14. p. m. 325.*

§. 22. Labores vero egregie ſolatur ſomnus teſtibus *Æginet. 1. 97. Galen. in 1.* Prorrhet. Comm. 2. *Plutarch. de Superſtit. p. m. 166. Quercet. p. m. 244.* imo ipſa quotidiana experientia. Hinc *Homerus Odyſſ. Y. ſive 20. v. 56.* canit:

εὖ τε τὸν ὕπνος ἐμάρπτε λύων μελεδήματα θυμοῦ

Λυσιμελής. —— ——

Quando hunc somnus cepit solvens curas animi, Solvens membra. —— ——

& *Aristotel l. de Somno & Vigil. c. 2.* de somno ait: ὥς τε σωτηρίας ἕνεκα τῶν ζώων ὑπάρχει, i. e. *Profecto ad salutem junctus animalibus fuit*, vertente *Nicol. Leonico.*

§. 23. Hinc non male audit ὕπνος ἰατρὸς *Somnus medicus* apud *Synes* de Insomniis p. m. 136. f. *Sophoclem.* in Eryphil. apud *Clement. Alexandrinum* 6. Stromat. p. m. 488. *Tertullian.* lib. de Anima c. 45. e quo habet etiam *V. F. Plempius* de Togatorum Valetud. Tuend. c. 6. §. 1.

§. 24. Imo ipsam animam per somnum attentius cogitare, quam per vigiliam fuse demonstrare contendit doctissimus Hispanus *Franc. Valesius* Philos. Sacr. c. 30. p. m. 210. seq. quem vide sis. Conf. omnino *Scalig.* Exerc. 289. & in Hymno Divino ad Deum Patrem apud *Agerium* Quæst. Phys. 9. Argentor. 1623.

§. 25. Concludimus tandem verbis acutissimi *Willisii* de Anima Brutor. p. 1. c. 16. p. m. 234. inquientis: *Poteram hic alia plurima somni commoda enumerare, quatenus nempe universas* animæ facultates *reficit*, intellectus *sive* ingenii *vigorem renovat*, sensus *acuit*, passionum *turbas sistit*, cogitationum *impetus, quoties a studio immodico aut longis vigiliis enervantur prorsus aut distrahuntur, recolligit, sedat ac compescit omnia*, atque cerebro *vacillanti, quin &* partium *ac* potentiarum *quarumvis aliarum languoribus medetur; iis scilicet* vires *novas & quasi* egenis *pabulum subministrans.*

§. 26.

§. 26. Hinc quia somni insignis est usus apud omnes omnino animantes, testibus *Aristotel.* 4. H. A. 10. quamvis l. de Somno & Vigil. c. 1. videatur dubitare, quia verbum σχεδὸν fere, addit, scilicet omnes animantes dormiunt, *Haucareites* in Synops. l. 3. de Anima c. 5. *Plin.* 10. 75. non male vocatus fuit ab *Homero* Odyss. 9. circa medium Πανδαμάτωρ i. e. omnia domans. Conf. *Eund.* Iliad 14. v. 233. & *Nonnum* l. 31. Dionysiac. v. 143. Hoc apud Latinos sub persona Medeæ expressit gravissimus Poëta *Valer. Flacc.* lib. 8. Argonaut. v. 69. *somnum ita alloquentis:*

— Somne omnipotens —

Et more suo dulcissime proponit *Papin. Statius* 5. Silv. 4. v. 3. somni tempus ita canens:

— *tacet omne pecus, volucresque feræque,*
Et simulant fessos curvata cacumina somnos,
Nec trucibus fluviis idem sonus: occidit horror
Aequoris, & terris maria adclinata quiescunt.

§. 27. Imo etiam in statu innocentiæ & ante lapsum homini convenire potuisse contra *J. H. Alsted.* l. 6. Encycloped. Part. 6. Phys. c. 2. §. 25. statuimus cum *Thoma Aquinat.* Part. 1. Summæ Theol. qu. 94. art. 4. quem laudat quoque ipsemet consentiens *G. I. Vossius* lib. 3. Idolol. c. 34. p. m. 893. Et ex hoc dubio procul sua depromsit *Gottfrid Voigt* im Physicalischen Zeit-vertreiber Cent. 3. quæst. 35. *Nicol. Agerius* Quæst. Phys. de Somno 7. Argentor. 1623. *Conimbricens.* l. de Somno & Vigil. c. 5. *B. Keckermann.* in Cursu Philos. Disp. 17. qu. 24. apud *Kipping.* Instit. Physic. lib. 8. c. 14. §. 3. ubi etiam rationes addit, quas ibi vide sis pluresque maxime Reverend. atque Excell. D. D. *Mieg.* SS. Theol. ut & Lingg. Orient. P. P. Celeberr. Fautor & Collega

honoratiss. in suis ad me doctissimis litteris, in quibus & contra Anabaptistas rem defendit.

§. 28. Ubi vero somnus justos naturæ cancellos perfringit atque evagatur, quam plurima homini infert mala. Peccat vero dupliciter (1) in defectu, quando vel justo parcior est, ubi

Adtenuant Juvenum vigilatæ corporum noctes.

Secundum Nasonem; de cujus noxa *Querçetan.* in Diæt. Polyhist. sect. 2. c. 9. p. m. 238. seq. *Mœb.* Inst. lib. 2. p. 2. c. 6. p. m. 121. *Ruland.* de Lue Ungar. c. 5. *Camerar.* Cent. 2. Memorabil. n. 80. aliique quam plurimi; & nos ratione lucubrationum, in Differt. de Studiorum Noxa per tot. adde *G. I. Voss.* lib. 3. Idolol. c. 34. p. m. 891. *C. Hofmann.* Inst. Med. lib. 5. c. 33. per tot. *Zacut. Lus.* lib. 1. Med. P P. Hist. 13. in Paraphrasi f. m. 24. *Joh. Beverovic.* in Thes. Sanit. p. 2. c. 17. f. m. 229. b. vel plane nullus, de quo in §. 29. seq. (2) in Excessu, de quo infra §. 39. seqq.

§. 29. Plane nullus est in affectu, qui Græcis ἀγρυπνία alias παννυχισμὸς audit; Latinis insomneitas, jugis vigilia & pervigilatio, teste *Rolfinc.* Meth. Med. Consult. lib. 2. Cons. 3. p. m. 64. Insomniam vocat *Phil. Labbeus* de Vita *Galeni* ex propriis Operibus p. m. 65. De hoc affectu legatur *Rolfinc.* l. a. *Joh. Stephan.* Decad 1. Consil. 8. *C. Caldera* de Heredia in tripl. Tribunal. Med. lib. 3. f. m. 303. *Alex. Deodat.* Valetudinar. p. m. 22. seqq. *Angel. Victorius* Consult. 5. *Forest.* lib. 10. obs. *J. Schenck.* lib. 1. obs. f. m. 70. aliique.

§. 30. Sunt autem vigiliarum in dormiturientibus immensi cruciatus, ceu ex *Zwinger.* Physiol. lib. 2. c. 23. probat *J. R. Camerar.* Cent. 2. Memorab. n. 79. Et in Italia tormentum vigiliarum usitatum est, quod præter alios describit *Farinac.* lib. 1. tit. 5.

tit. 5. quæst. 38. n. 70. seq. ejusque auctorem refert *Hippol.* de Marsiliis. Id certe verosimilius, cum nulla lege scripta introductum sit, deberi vel atrociorum facinorum reis; vel judicum truculentiorum, qui veritatem horrendo isto torturæ genere exprimere voluere, consuetudini; ceu me docuit incomparab. JCtus Dn. *J. W. Textor* Prof. Prim. & Consil. Electoral. Fautor Collega & Compater æstumatissimus. Ejusque meminil etiam in Doctissima seu Praxi Judiciar. p. 2. c. 11. n. n. 151. Conf. *P. Zacch.* lib. 6. t. 2. qu. 1. n. 19. & quæst. 5. per tot. Notabile exemplum hujus tormenti legitur apud *Christoph. Frickium*, Chirurgum, in seiner Ost-Indischen Reise, pag. 117. ubi 8. latrones Javanenses ita crudelissime per 5. hebdomades continue jussu Regis junioris in Bantam tortos enarrat. Aliud exemplum tormenti vigiliarum ad 9. dies & noctes prope ignem in Petro de Hauterive Brugis Flandror. anno 1586. ex odio Religionis Evangelicæ lege apud *Meteran.* lib. 13. pag. 670. e quo refert *Christ. Scriver.* im Seelen-Schatz Tom. 1. Conc. 2. §. 32. pag. 42. Et πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων *J. M. Faber* Consil. & Arch. Ducis Wirt. ac Phys. Prim. Heilb. Fautor & Amicus Candidissimus in doctissimis suis proprid. KL. 1682. ita: *Inter acutissima tormenta numeratum est olim, homines quiete privos ἀγρυπνίας laboribus exhaurire & occidere. Cujusmodi exempla haud ita dudum mihi obvenerunt. In martyrologiis etiam enumerantur, quibus palpebræ amputatæ fuerunt.* Sed audiamus ipsum Farinacium l. a. ita scribentem: *Quintum & ultimum est apud nos in usu tormentum vigiliæ, de quo tormento meminit Marsil. in d. l. 1. in prin. ff.. de quæst. n. 76. vers. nam ponitur reus & tempore Marsilii, qui, ut ipse testatur, videtur fuisse*

inventor hujus tormenti, ponebatur reus super uno scamno ad sedendum, & ibi aderant duo ad ejus custodiam, ne dormiat, & si dormire voluerit, illum expergiscunt, & nec dormire nec quiescere sinunt per horas quadraginta: in tantum, quod promissa sibi quiete, infra tale tempus fateri cogitur, & huic tormento, inquit Marsil. licet res videatur ridiculosa, nemo tamen tam ferox invenitur, ut illi possit resistere, & ita alias se fuisse expertum testatur. Sed hodie malæ nostræ tempestatis fato, nescio an ob judicum severitatem, an vero ob sceleratorum delinquentium obstinationem, detur hoc tormenti genus acriori & crudeliori modo. Nam scamnum hujusmodi, quod aliqui capram, aliqui equum nuncupant, & altum a terra quantum est statura unius hominis, & illius summitas non est plana, sed in medio aliquantulum altior; & ex altitudine quatuor pendent latera unius palmi cum dimidio in circa pro quolibet latere. Ponitur in hac scamni seu equi summitate reus denudatus & undique ligatus, ne forsan caderet cum manibus retro vinctis, & funi supra scamnum existenti applicatis, non aliter ac si torquendus esset, & quod pejus est, cum brachiis, ab eodem fune extensis, vel in totum, vel pro parte, prout judici videbitur, & ibidem infelix reus sic nudus, ligatis retro manibus funi applicatis, & cum brachiis quandoque extensis detinetur per quinque aut per decem horas, & quandoque etiam paulo plus, judicis arbitrio: ita quod eodem tempore & funis & vigiliæ tormentum patitur, quod miserandum est, & ex centum hominibus, qui hoc tormentum passi sunt, non credo quatuor aut quinque fuerint martyres, reliqui vero confessores: est nempe tormentum insupportabile, tum ratione temporis, tum ratione immensi cruciatus & doloris. Bene verum est, quod illud solum in atrocissimis consuetum video, ut in crimine læsæ Majestatis, assassinio

nio ſtratarum, latrociniis, diſrobatoribus famoſis, bannitis & his ſimilibus; idcirco in infligendo tale tormentum vadant judices multum temperati, & ſuper omnia advertant, non facere multum extendere brachia rei, quia talis extenſio longo temporis intervallo de ſe periculoſa eſt, & plures ob id mortui fuerunt in ipſo tormento, & quamplurimi defecerunt, &, ut dixi, eo non utantur, niſi in atrociſſimis, & niſi in caſu in quo indicia ſint nedum urgentia, ſed urgentiſſima contra reum, & ita apud nos ſervatur. Et dum hæc jam ſcripſeram, pervenit ad manus meas: Practica interrogat Reos Fla. Carta, qui in lib. c. 2. n. 7. & 8. bene etiam ponit formulam conſtituendi reos in hoc vigiliæ tormento, & poſt hæc ſcripta perlegi Cardin. Zaba in cap. cum incontemplatione n. 9. de Reg. Jur. ibi dicit equuleum ad modum equi fuiſſe tormenti genus, quo utebantur infideles in ſuppliciis Martyrum, quod proprie non convenit nec convenire debet Chriſtianis, ad eruendam facti veritatem, & iterum pervenit Bajart in Addit. ad Clar. intra §. fi. qu. 64. poſt. n. 105. & ſeq. ubi hoc tormentum cavalletti tormenti nuncupat, & jure antiquo fuiſſe cognitum affirmat Chaſſan in loco per eum relato, illudque inferendum eſſe exiſtimat in criminibus qualificatis, ut in parricidio, aſſaſſinio, crimine læſæ Majeſtatis, publiciſque latronibus, & ſtratarum diſrobatoribus. Hactenus ille, ſed ſalvo jure L L.

§. 31. Imo *palpebris ceu valvis abſciſſis, abſolute mors imminet,* (ſunt verba Celeb. *Wedelii* noſtri Phyſiol. ſ. 4. c. 14. p. m. 323.) *perpetuis vigiliis inferenda, quo pacto apud Carthaginenſes mortuus ſeu interfectus eſt M. Attilius Regulus.* Hiſtoriam hanc, vigiliis ſcil. necatum, habet quoque *Cicero* lib. 3. de Offic. & Orat. in Piſonem ait: *Nec mihi ille M. Regulus, quem Carthaginenſes, reſectis palpebris,*

 alli-

alligatum in machina vigilando necaverunt, supplicio videtur affectus Appianus in Lybicis, atque Zonaras, citante CL. Dn. I. I. Hofmann. in Lexic. Universali f. m. 216. ex A. Gell. 6. N. A. 27. I. T. Freigius ad Cic. Orat. in Pison. f. m. 216. ex A. Gell. & Val. M. 9. 2. habet Torrentius ad Horat. 3. Carm. 5. Sed fabulosa esse omnia, quæ de Attilii cavea aculeis palpebris sectis enumerantur, fuse comprobat *Palmer.* apud eund. Hoffmann. l. a. Præterea mortem non absolute imminere ex abscissis palpebris, vel illi comprobant, quibus & ipsi oculi una cum palpebris effossi sunt, imo arte perfici possunt integumenta oculorum, ut vel ita somno ferantur suppetiæ: ut taceam, aliquos opinari leones & lepores apertis dormire oculis, de quibus alibi dispiciamus.

§. 32. Allegantur tamen passim in historiis varia diuturnarum & monstrosarum vigiliarum exempla. Hinc *Luc. Tozzi* in *Hipp.* Aphor. 2. 3. p. m. 185. ait: Vigiles plures dies & menses vivere visi sunt. CL. *Rolfincius* Meth. Med. Spec. Consult. lib. 2. Consf. 3. p. m. 64. refert exemplum viri 55. annorum, qui post alias causas potissimum ex abusu herbæ Thee insomneitatem omnimodam, per *tres menses* durantem introduxit. Nec tamen de illo desperavit, quin l. a. p. m. 68. bono animo esse jussit.

§. 33. De Puero per *sex menses* continuos vigilante, ipsum audiamus *Dominic. Panarolum, Pentecost. 5. obs. 4. p. m. 143. seq.* scribentem: *Vidimus puerum decem & octo mensium, per sex integros menses omnino insomnem mansisse, sine ulla, vel minima requie, sed semper aut ejulabat, aut volis manuum strepitum faciens, domesticos ad surgendum impellebat. Qua causa id factum, nescimus, ni fortasse a fatuitate ortum ducere hoc dixerimus, etenim modo, cum*

sit

ſit annorum tredecim fatuus feralem, & ut melius dicam, brutalem infelix ducit vitam.

§. 34. *Fernelius* lib. 5. Pathol. c. 4. f. m. 270. (Edit. Hanov. 1610. Fol.) ait: Mente captum quendam menſes 14. inſomnes duxiſſe. Ex eodem repetit *Zacut. Luſit.* lib. 1. Med. P. P. Hiſt. 14. f. m. 25. & *J. Schenck.* lib 1. obſ. f. m. 70. *Luc. Tozzi* ad Hipp. Aph. 2. 3. p. m. 185. Quod etiam vix inter ἀδύνατα referri poteſt, cum in maniacis præcipue ſpiritus animales admodum ferociant; quod vel inſolitum eorum robur, aut ſtupenda frigidis tolerantia comprobant.

§. 35. *Mæcenas* (male *Menecrates* vocatur *G. Hornio* in Hiſt. Nat. lib. 2. c. 18. niſi ſit ſphalma typographicum, in iſta editione cetera non infrequens) *tribus annis* integris inſomnis permanſit, levi harmonica tandem liberatus, teſte ſapientiſſimo *Seneca*, lib. *Quare bonis viris mala accidant, cum ſit Providentia?* quem alii inſcribunt: *De Providentia* c. 3. E quo citant quoque *Mercurial.* de Morb. Pueror. lib. 2. c. 9. apud *Joh. Schenck.* lib. 1. obſ. f. m. 70. ex *P. Crinito* lib. 11. de Honeſta Diſciplina c. 13. habet *Tob. Magir.* in Florileg. f. m. 2124. *Meibom.* de Mæcenat. c. 29. n. 8. *Quercet.* in Diætet. Polyhiſt. ſect. 2. c. 9. in fine πολυμαθέςατος *Joh. Jonſtonus*, Fautor & Amicus olim honoratiſſimus in Thaumatograph. Claſſ. 10. c. 7. art. 7. p. m. 492. *Zacut. Luſ.* lib. 1. Med. P P Hiſt. 14. f. m. 25. *Zwinger.* in Theatr. V. H. f. m. 417. Excellentiſſ. *I. D. Horſt.* Manud. ad Medic. p. m. 163. *Beverovic.* in Theſ. Sanit. Part. 2. c. 17. Audiamus ex antiquis ipſum Naturæ ſcrutatorem ſolertiſſimum *Plinium*, 7. H. N. 51. differentem: *Quibusdam perpetua febris eſt*, ut C. Mæcenati. Eidem *Triennio* ſupremo (NB.) nullo horæ momento contigit ſomnus. Ex

eodem habet *J. Schenck.* l. a. f. m. 70. *Luc. Tozzi* l. a. De eo *Lilius Gyraldus* ait Histor. Poët. Dial. 4. se ea de re *Plinio* vix credidisse, antequam apud *Olympiodorum Alexandrinum* in Pædonis Comm. legisset hominem insomnem vixisse, & solo aëre se sustentasse, referente CL. *Meibom.* in Mæcenat. c. 29. n. 6.

§. 36. *Henr. Smetius* Miscell. Med. lib. 10. p. m. 551. seqq. refert: Puellam in Palatinatu 1588. quæ x. annos sine cibo & potu vixerat; semel tantum intra VI. *Annos* pridie Paschatis, quæ fuit 6. April. noctu octava horulæ parte dormivisse; & ita ex eodem proponit insignis Polyhistor & Medicus *J. H. Meibomius* de Mæcenate c. 29. n. 7. Sic *Smetio* tum temporis Adjuncti *Joh. Posthius*, Med. D. Aulicus, *Valent. Hennerus*, Med. Doct. *Joh. Zahnius*, Scriba Provincialis, & *Christoph. Flurhemius* jussu Serenissimi Adjuncti ad rem inquirendam contestantur suæ manus subscriptione.

§. 37. *Nizolius* ille Ciceronianus *Decennio* somnum non vidit, ceu Papiæ olim sibi relatum a quopiam scribit *Joh. Heurnius* c. 16. de Morb. Cap. E quo hanc historiam repetunt *Joh. Schenck.* lib. 1. Obs. Med. f. m. 25. *J. H. Meibom.* de Mæcenat. c. 29. n. 7. *Jonston.* Thaumat. Class. 10. c. 7. art. 7. p. m. 492. *Luc. Tozzi* l. a. atque *Georg. Hornius* Hist. Nat. lib. 2. c. 18. Sed fides illa videtur valde lubrica; aut somnus saltim interdum leviter interpolatus.

§. 38. Hoc fidem omnem superare videtur, quando *Hieron. Mercurial.* Pract. Part. 1. c. 27. memoriæ prodidit, cognitam sibi nobilem Matronam, quæ 35. annos insomnis vixerit sana & citra noxam, ita allegante *Meibom.* l. a. n. 7. Et ex *Hieron. Montuo* lib. 1. Anasceves Morbb. cap. 27. idem refert *Zacut. Lusit.* lib. 1. Med. P. P. Hist. 14. f. m. 25. a. atque *Joh.*

Schenck. lib. I. obs. f. m. 70. Quod vero ejusmodi historiam ex *Seneca* lib. de Providentia velit allegare *Georg. Horn*. l. a. puto tribuendum vel amanuensis incuriæ; aut vitio typographi.

§. 39. De *Troglodytis* ita *Agatarchydes* Hist. c. 30. apud *Photium* in Bibliotheca f. 1350. citante *Tob. Magiro* ait: *Troglodytæ somnum non capiunt, sed pecorum greges perpetuo secum circumducunt, noctu caulis includunt. Viri autem circum circa ignibus accensis patrias & gentiles quasdam fabulas decantando, somnum a se repellant. Sic in multis assuefactio naturam per necessaria quædam vincit.* Verum hoc credat Judæus Apella, non ego.

§. 40. In *Excessu* vero peccat somnus vel ex caussis naturalibus vel n. n. vel p. n. Heic in affectibus vulgo dictis soporosis, de quibus *Galen.* comm. in II. aph. 3. *Quercet.* in diæt. polyhist. p. m. 246. *Rolfinc.* in Epitom. cogn. & cur. aff. part. ut & in spec. tr. de Affectibus Capitis *Tappius* tr. pecul. de Principum s. sensuum internorum læsionibus cap. 10. seqq. aliique quamplurimi. E recentioribus tamen doctissime Thom. *Willis* de Anima Brutorum part. 2. in Pathologia.

§. 41. Sæpe nimius fit somnus & excedit in gulosis, helluonibus, torpidis, ignavis. Audiant isti verba *Joh. Nevizani.* in silv. Nubtial. l. 5. n. 52. *Dormitatio non perficit opus: sed obtenebrat mentem.* Ex *Hadr.* Pap. Et divinus *Plato* somnum immodicum & corpori & animo obesse dicebat ap. *Cæl.* Rhodig. lib. 30. c. 9. referente *Quercet.* in Diæt. Polyhist. s. 2. c. 9.

§. 42. Videl. *Nimius somnus atque immodicus stupidos reddit homines, ignavos, socordes, obliviosos & qui non facile emergant atque ad præclaras ullas artes enitantur*, sunt verba *Lev. Lemnii* in Ex-

hort. ad vit. opt. instit. c. 26. p. m. 506. *Ex somno læsiones sunt.* (ait. *Joh. Butinus* comm. ad Hipp. II. aph. 3. p. m. 94.) *quod febres aut non dissolvuntur, aut etiam exacerbantur, & quod dolores intendantur & fluxiones multiplicantur, & crescunt inflammationes.* Pluribus hoc demonstrant, qui videantur Ferdin. Rodericus *Cardozus.* cap. 6. de sex rebus n. n. q. 3. *Montan.* part. 2. de rebus n. n. tit. de somno. *Cardan.* in comm. lib. 2. & 3. sent. lib. 2. aph. Hipp. a. *Zacut.* Lus. f. m. 28. *J. Riolan.* Pater sect. 7. Physiol. c. 14. p. m. 222. Phil. *Maurus* disp. de somno. §. 31. Heidelberg. 1598. Luc. Tozzi ad Hipp. Aph. 2. 3. p. m. 185. *Anton. Gazius in Florida Corona Sanitatis* cap. 264. f. m. 138. *Heurn.* comm. ad II. aph. 3. p. m. 29. seq. *Quercet.* l. a. p. m. 246. *Greg. Horst.* de Sanit. Stud. Tuend. c. 10. p. m. 98. *Beverovic.* Thes. Sanit p. 1. lib. 4. c. 2. Guido *Patinn.* de Tuenda Valetut. c. 4. p. m. 418. *J. D. Horst.* Manud. ad Med. p. m. 225. *Kipping.* Inst. Phys. lib. 8. c. 14. §. 5. *Joepser* Manud. ad Vitam Longam lib. 1. c. 10. p. m. 105. aliique complures.

§. 43. Nec sufficit nimium somnum tot inferre mala; quin ipsi *morti* haut raro assimilatur a plerisque Sapientibus *Plato* ap. *Cœl.* Rhodig. l. 30. L. A. c. 9. referente *Quercet.* Diæt. Polyhist. b. c. parum interesse ait inter mortuum & dormientem. Locus *Platonis* forte erit lib. 7. de LL. f. m. 892. Græcorum sapientem sequitur sapientissimus Romanorum *Seneca* lib. de Tranquillitate Animi cap. 15. inquiens: *Nam & somnus refectioni necessarius est: Hunc tamen si per diem noctemque continues, mors erit.* Cui accedit *Simocattus* Epist. 54. ap. *Tob. Magir.* Addo *Ciceron.* lib. 5. de Finib. c. 20. *Ant. Gazium* l. a. c. 262. f. m. 137. a. *Lamp. Alard.* in Epiphyl. Philol. lib. 2. c. 1. p. m. 108. seq. *Luc. Tozzi*

zi in *Hipp*. Aph. 2. 3. p. m. 185. Fuſe hoc comprobat *C. Geſner*. Schol. & Annot. in Artes lib. de Somno & Vigil. f. m. 157. & præcipue ex *Hieron. Wellero* apud *Andr. Kunad* Diſp. de Sanctis Redivivis ex Matth. cap. 27. v. 52. ſeq. Reſpondente M. Ant. Günthero §. 7. Vitemb. 1665.

§. 44. Accedit Poëtarum teſtimonium. *Ovid.*

Stulte, quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?

inquit *Naſo*. Amor. II. 9. 41. Sed jam olim Divinus *Homerus*:

—— —— Νήδυμος ὕπνος
Νήγρετος, ἥδιστος, Θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς.

Quem locum dubio procul reſpexit feliciſſimus Mœonii Interpres *Maro* Æneid. 6. 520.

Tum me confectum curis, ſomnoque gravatum
Infelix habuit thalamus, preſſitque jacentem
Dulcis & alta quies, placidæque ſimillima morti.

Pari modo *Valer. Flacc.* Argonaut. 8. 74. facit Medeam ita loqui ſomnum:

Nunc age major ades, fratrique ſimillime leto!

Hinc ſepulchrum quoque dicitur dormitorium, *Joh. Belethus* in Rationali Divinorum Officiorum c. 2. p. m. 3.

§. 45. Ideoque ſomnolenti cognominantur *ſepulti*, *Virgil*. Æneid. 9. 189.

Lumina rara micant, ſomno vinoque ſepulti
Procubuere —— —— ——

& recte quidem, ait *C. Geſnerus* Schol. & Annott. ad Artes lib. de Somno & Vigil. f. m. 156. nam ab utroque ἀναισθησία quædam, & veluti mors contingit. Et quamvis aliquot Editiones habeant *Soluti* pro *Sepulti*; rectius tamen ſepulti habent quatuor ſcripti, teſte *Joh. a Meyen*. ad h. l. in Nott. p. m. 482.

Imo *Servius* ad h. l. f. m. 430. ait: *Sepulti*, quasi *sine pulsu & nil sentientes*, consentit Joh. *Badius Ascens.* ad h. l. f. m. 430. aliique. Imo lectio illa confirmatur aliis parallelis locis tersissimi *Maronis*, aliorumque gravissimorum Vatum; siquidem *Virgil.* qui l. a. paulo inferius v. 236. canit:

—— *Rutili somno vinoque sepulti*
Conticuere —— ——

3. Æneid. 630. de Polyphemo ita:

—— *expletus dapibus vinoque sepultus*

& 2. Æneid. 265. vocat Trojam

—— *urbem somno vinoque sepultam.*

ad h. l *Joh. a Meyen.* p. m. 154. *Sepultam* ait per metaphoram. *Nam a Poëtis somnus fingitur esse mortis germanus.* Quod & pueris notum esse scribit *Lambin. ad Horat.* 1. Od. 24. Sic *Ovidius* pronunciat

—— multo corda *sepulta* mero.

& *Ennius* (citante *Dan. Pareo* in Indice Lucret.)

Nunc hostes vino domiti somnoque *sepulti*

Atque *Lucret.* de Rerum Natur. 5. 973. vocat somno sepultos *Propert.* 3. 10. 56.

—— assiduo lingua *sepulta* mero.

§. 46. Hinc quoque reciproce *Mors* vocatur *Horatio* lib. 3. Od. 11. & *Ausonio* in Ephemerid. v. 18. *somnus longus* it. lib. 1. Od. 24. *sopor perpetuus*. Catull. Carm. 5. ad Lesbiam; Soles occidere & redire possunt: nobis cum semel occidit brevis lux, nox est perpetuo una dormienda. Similiter *Theocritus* olim Idyll. 3. mortem vocavit ἄτροπον ὕπνον, *somnum immutabilem seu perennem.* Conf. ad utraque *Horatii* loca *Lambin.* Comment. f. m. 62. & 169. Et *Cicero* de Senectute c. 22. ait: *Nihil morti tam simile, quam somnus.* Hoc *Socratis* effatum vide apud *Ciceron.* 1. Tuscul. Quæst. c. 41. Cyrus apud *Xenophont.* lib 8. παιδ. ὕπνου οὐδὲν ἐστιν ἐγγύτερον τῷ ἀνθρωπίνῳ θανάτῳ. *Secundus* Philoso-

losophus in sententiis, ubi quæritur, quid somnus sit, respondet: *θανάτε εἰκών.* Adde *Tertullian.* de Resurrect. Carnis c. 14. & *Epictetum* in Altercatione cum *Adriano*, ait *Joh. Scheff.* in Annott. ad Aelian. V. H. p. m. 326. *Petron.* in Satyr. p. m. 17. (Edit. Lotich. Francof. 1629. in 4to.) inquit: Ego dubitavi, an utrumque trajicerem gladio, *somnumque morti jungerem.* Conf. *Plutarch.* de Placitis Philosoph. c. 24. seq. *Lotich.* ad h. l. in Nott. Perpet. p. m. 223. qui ex *Ravis* in Epithet. quoque comprobat, & ex *Claudian.* lib 2. in Eutrop. scilicet *Mortuum dormiens refert, non viventem*, ceu explicat *Franc. Bosellus* in Amaltheo Medico Historico Appar. 3. c. 35. p. m. 601. Nec nobis contrarius est, utut prima videatur fronte *Quintilian.* Declam. 2. p. m. 26. Edit. Lugd. & Roterod 1665. in 8vo. Recte ergo Mors somno comparatur, quod e sacris & profanis Auctoribus prolixe allegat cum rationibus comparationis Joachimus Mencelius Θανατολογίας Part. Prior. cap. 11. p. m. 126. seqq. & Martin Nesselius in Meditatione Novissimorum c. 4. p. m. 48. seqq. Patavii tale est Epitaphium:

MER. S.
D. POPILIUS. PAETUS. GN. LABE
F. POETA.
COS. DESIG. FRATRI. SUO. B. M. F.
HUNC. SOMNO. ÆTERNALI.
PATRIA. RETINET.

apud Eliam Schedium de Dis Germ. Syngramm. 2. cap. 47. p. m. 448. Joh. Brenneccius Gr. L. P. P. & t. t. Pro-Rector Urbis Helmstad. in Programmate funebri Balthasaris Rinckii ff. P. P. A. C. 1646. ait: Ut aliarum rerum atrocitatem mitiore vocabulo notare soliti sunt veteres, ita etiam mortem benigniore, *Somni* appellatione, affecerunt. Neque enim

enim Poetis tantum mors dicitur αἰένυπνος, i. e. ut Lyricus canit, *perpetuus sopor*, aut longus somnus; sed sacris etiam scriptoribus θάνατος οὐδὲν ἕτερον ἐστιν, ἢ μακροχρόνος ὕπνος: mors nihil aliud est, nisi diuturnus somnus; ut *aurei oris Orator* dicit ap. *Photium*. Rationem appellationis & similitudinis pulcre declarant iidem Doctores sancti, non solum quod similia accidant sopitis & defunctis ratione quietis otioque sensuum, cum nihil intelligant de rebus præsentibus, sed etiam quod ut a somno ad vitæ functiones revocamur, ita olim futurum sit, ut a somno mortis ad immortalis vitæ perceptionem resurgamus. Nam, ut Basilius M. ait, ὕπνος τοῖς δικαίοις ὁ θάνατος, μᾶλλον δὲ πρὸς κρείττω ζωὴν ἐκδημία. Mors justis est somnus, imo vero ad meliorem vitam profectio. Adde *Joh. Belethum* in Rationali Divinorum Officiorum cap. 4. p. m. 7. b. χάλκεον ὕπνον Homerus, ferreum soporem Virgilius pro morte ponunt, ait *Ja. Windet.* de Vita Functorum statim Sect. 2. p. m. 14. In S. S. de mortuis somnus & dormire prædicatur Deut. 31. 16. & ad h. l. Gloss. Tossani aliorumque allegat seqq. Ps. 13, 4. 76, 6. Dan. 12, 2. Joh. 11, 11. 1. Thess. 4. 13. 14. 15. 2. Pet. 3, 4. Conf. quoque *Salom. Glassium* in Exegesi Evang. Dom. 24. post Trin. f. m. 1661. b. seq. & f. 1666. b. & in Exegesi Epist. Dom. 24. post. Trin. f. m. 1673. & in Exegesi Epist. Dom. 25. post Trinit. f. m. 1687. a. *S. Chrysostomus* Homil. 7. de Statuis ait: Οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν ὁ θάνατος ἀλλ' ἢ ὕπνος, καὶ ἀποδημία, καὶ μετάστασις. Nihil aliud mors est, quam somnus, & migratio, & discessus.

§. 47. Hinc olim in Theologia Gentili *Nox* habebatur mater somni mortisque ap. *Hesiod.* in Theogon. v. 211.

Νύξ

Νὺξ δ' ἔτεκε συγερόν τε Μόρον ϰ̀ Κῆρα μέλαιναν,
ϰ̀ θάνατον. Τέκε δ' ὕπνον. — —

i.e. *Nox præterea peperit odiosumFatum,& P arcam atram*
Et mortem. Peperit etiam somnum — —

Id Ib. v. 756. de nocte ait:

ἡ δ' ὕπνον μετὰ χερσὶ, κασίγνητον θανάτοιο,
Νὺξ ὀλοὴ, νεφέλῃ κεκαλυμμένη ἠεροειδεῖ.

h. e. *Illa vero (non) somnum in manibus fratrem mortis*
Nox noxia, nube tecta atra.

& statim addit:

Ἔνθα δὲ Νυκτὸς παῖδες ἐρεμνῆς οἰκί' ἔχουσιν,
ὕπνος ϰ̀ θάνατος, δεινοὶ θεοί. —
Ibi autem noctis obscuræ filii domos habent,
Somnus & Mors, graves Dii.

Conf. Lil.Greg.*Gyraldum* Hist. Deorum Syntagm. IX. f. m. 303. & quæ prolixe congessit *Joh. Nicol. Wernerus* in Corpusculo Philolog. cap. II. §. 2.seqq. p. m. 102. seqq. D. *Georg. Lehmann* P.P.& Superint. Lipf. in Concione funebri B. D.D. *Joh.Ulr. Mayeri* An. 1679. Lipsiæ per tot *Homerus* Iliad Ξ v. 231.

ἔνθ' ὕπνῳ ξύμβλητο κασιγνήτῳ θανάτοιο

i. e. *Ubi somno obviavit fratri mortis*

Idem Iliad. 16. v. 672. Sic quoque audit *Orpheo* in Hymn. Hinc expressio *Virgil.* 6. Aeneid. v. 278.

— *Consanguineus leti sopor* —

& *Senec.* in Hercul. Fur. v. 1068. somnus vocatur *Frater languidus duræ mortis*.Hinc Jac Balde lib.2. Lyric. od. 36. p. m. 103. ad Somnum ita:

Mausuete Mortis Frater, eburneae
Dynasta portæ: non ns. palpebra
Labente, tranquillasque clausis.
Per tenebras oculis vidente,

Conf.

Conf. omnino de hoc *Joh. Nicol. Werneri* Corpuscul. Philolog. c. 11. §. 4. seq. p. m. 104. seqq. Noctem somni & mortis nutricem esse, probat *Pausan.* Eliacor. 1. ex statuis Olympiæ. Et *Galenus* optimam dicebat sententiam Poëtarum, qui somnum fratrem mortis dicebant, ait *Forest.* lib. 10. obs. 33. in Schol. *Clemens Alexand.* 2. Pædagog. c. 9. scribit; ἔοικεν ἡ τȣ̃ ὕπνȣ καταφορὰ θανάτῳ. Et de somno *Prudentius* canit:

Est forma mortis perpetis.

Atque *Coluthus* de Raptu Proserpin. v. 357. ait: Θανάτȣ συνέμπορος i. e. *mortis Comes.* Hinc *Gorgias Leontinus ap. Ælian.* lib. 2. v. H. c. 35. moriturus, & ab amico visitatus interrogatusque; quomodo se haberet, ajebat: ἤδη με ὁ ὕπνος ἄρχεται παρακατατίθεσθαι τῷ ἀδελφῷ i. e. *jam me somnus incipit tradere fratri* apud *Zacut. Lusit.* f. m. 912. ad h. l. *Joh. Schefferus* in Nott. p. m. 326. ait: Habes apud *Stobæum* Serm. 118. *Plutarch.* de Consol. ad Apoll. *Diogeni* hoc dictum tribuit. Allegat dein quoque *Homer.* Iliad. Ξ. 281. aitque haud dubie hunc secutum esse *Gorgiam.* De *Diogene* refert etiam *Zacutus Lus.* l. a. & ex *Plutarcho Zwinger.* Theatr. V. H. Vol. 2. lib. 4. f. m. 351. it. ex variis Lil. Greg. *Gyrald.* Hist. Deorum Syntagm. 9. f. m. 303. (Edit. Basil. in Fol. 1560.)

§. 48. Sed quorsum tot Gentilium testimonia? Ipsa sola atque unica Veritas Divina Jesus Christus de adolescentula Præfecti Synagogæ filia *ap. Matthæum* 9, 24. ita fatur: ȣ̉ γὰρ ἀπέθανε, ἀλλὰ καθεύδει: *non est mortua, sed dormit.* Idem de *Lazaro ap. Joh.* 11, 11. dicit κεκοίμηται *dormit.* Vide *Drusium & Bald. Walæum* ad h. l. p. m. 923. seq. *Petr. Ravanell.* Bibliothec. Sacr. f. m. 640. *Joh.*

Coc-

Cocceji in Hiob. c. 3. v. 28. f. m. 31. ex *Pineda* p. 204. & ad 1. Theſſ. c. 4. §. 66. Hinc quoque Chriſtianorum *ſepulcreta* recte dicuntur κοιμητήρια i. e. *dormitoria*, teſte *Beza* Nott. ad Matth. 9, 24.

§. 49. Interim *quid ſit mori, etſi nondum experti, facile intelligimus; nempe cum flamma vitalis, ſicut lampas, aut ſenſim abſumitur, aut violenter extinguitur; ſtatim calor & lux quæque ab ipſis dimanant, facultates omnes, tum vitales, tum animales, abolentur. Somni autem, quem quotidie experimur & patimur, quæ ſit ratio formalis, eſſentia ac cauſæ feri in totum neſcitur*; non male dixit CL. *Willis* de Anim Brut. Part. 1. c. 16. p. m. 215.

§. 50. Ceteroquin non poſſum ex Hiſtoricorum monumentis non producere rariora quædam ſomni diuturni, imo monſtroſi exempla, ut ut ubique non adeo ſinceræ fidei; quantum ſaltim videtur mihi. Aliqua tamen poſſunt admitti, uti juvenes quidam Athenis in Apaturiorum (*feſtum deceptionis* vocat *Budæus*; apud Athenienſes m. Octobr. in honorem Bacchi ex *Scholiaſt*. Ariſtophan. in Acharnan. *Herodot*. lib. 1. *Nat*. Com. lib. 5. Mythol. c. 12. *Suida Harpocration*. &c. *Hofmann*. Lex. univ. f. 142.) celebritate ebrii facti, per 4. ejus celebritatis dies dormiviſſe dicuntur. Recitat ex *Eudemo Simplicius* ait *Zwinger*. Theatr. V. H. f. m. 415. repetit *M. Delrio* Diſquiſ. Magic. lib. 2. q. 21. p. m. 219. *Hieron. Jordan*. de Divino in Morbis c. 16. p. m. 60. b. Sed hoc exemplum neutiquam pertinet ad illas, quas fecit Jordan, tres claſſes; quin vini νάρκωσις effectum hunc naturaliter producere potuit, quod vel quotidie in aliis animadvertitur ebrioſis. Ceterum de *Heroibus* quoque in *Sardinia ſomnolentis* ex *Simplicio* in Phyſic. Ariſtotel. refert Læl. *Biſciola* in Horis Succeſſ. lib. 16. c. 2. f. m. 1256. & *Reies* in Campo Elyſ. q. 58. n. 16. §. 51

§. 51. Amicam quotannis in ſpelunca urſarum more *Bimeſtre* tempus abſque ullo alimento delituiſſe ſemianimem, ut ſola inſpiratione viveret, ac ægre dignoſceretur, legitur ap. Marcell. *Douat.* lib. 4. Hiſt. Med. Mir. c. 12.

Quod equidem rarum, impoſſibile tamen neutiquam, cum & in animalibus, præcipue inſectis quibusdam per totam hyemem; quaſi mortuis latitantibus, nihil ominus reviviſcentibus; it. de avibus quibusdam vulgo pro migrantibus habitis (vid. Sat. Med. §. 6. lit. ξ.) & de *Glire* hoc legimus apud *Martial.* lib. 13. Epigr. 59.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.

De gliribus *Plin.* 8. H. N. 57. ait: Senium finitur hyberna quiete. Conditi enim & hi cubant: rurſus æſtate juveneſcunt. Ex *Ariſtot.* 8. H. A. 17. refert *Jonſton.* Hiſt. Nat. de Quadrup. c. 16. f. m. 164. *Franz.* Hiſt. An. part. 1. c. 28. *Iſaac. Voſſ.* in Append. de Lucis Nat. c. 1. p. m. 86. *Mœbius* in Fund. Phyſ. c. 5. p. m. 53. *Deuſing.* in Vindic. Fœtus extra uterum Geniti ſect. 5. p. m. 99.

§. 52. *De Ruſtico in Germania, qui totum auctumnum & hyemem dormiendo* ſub ingenti fœni cumulo perpetim *fuerit emenſus*, fœnoque paulatim conſumto adtonito ſimilis, tanquam ab inferis excitatus ſurrexerit ex Lil. Greg. *Gyrald.* Dial. 4. de Hiſt. Poët refert *Delrio* lib. 2. Diſq. Magic. q. 21. p. m. 210. & ex eodem atque *Marc. Damaſceno.* Lil. *Gyrald. Medina* lib. 2. de Recta in Deum Fide, ac *Foreſt.* lib. 7. obſ. 28. in Schol. (verum fallit, nam eſt lib. 10. obſ. 38. in Schol. f. m. 364. b.) retulit *C. Reies* in Campo Elyſ. Qu. 58. n. 16. Ex *M. Damaſceno* repetit quoque *H. C. Agripp.* lib. 1. Occult. Philoſoph. c. 53. p. m. 117. & Læl. *Biſciola* lib. 16.

H. S.

H. S. c. 2. f. m. 1256. it. *Zwinger.* Theatr. V. H. f. m. 415. *Balt. Bonifac.* Hist. Ludicr. lib. 17. c. 1.

§. 53. Sed non ex ordine naturalium esse, videtur statuere *Hieron. Jordan.* de Divino in Morbis cap. 16. p. m. 60. b. Imo eum a Dæmone obsessum, ejusque arte detentum, putat *C. Reies* Campo Elys. q. 58. n. 16. imo de ejus veritate videtur dubitare *Forest.* lib. 10. obs. 38. in Schol. quando addit: *Fides sit penes auctorem.*

Hoc saltim credidero, si constet de Historiæ veritate, non impossibile videri, cum exhalationibus narcoticis e fœno ita veluti fascinatus jacere potuerit; sicuti supra de quibusdam animalibus §. 50. retulimus. Et eum somnum narcoticis pharmacis tribuit M. *Delrio* lib. 2. Disquis. Mag. q. 21.

§. 54. De Puero scholastico Lubecensi, tempore Gregor. XI. Pontific. & Caroli IV. Imp. *totos septem annos* in concamerato muro *dormiente*, dein ex improviso reperto ægreque excitato, sine mutata aut macerata facie ex *Alb. Krantzio* lib. 8. Vandal. cap. 39. agunt *P. Lauremberg.* Acerr. Philolog. Cent. 3. n. 33. *Marcell. Donatus* Hist. Med. Mirab. lib. 4. c. 12. quem vide sis. *C. Reies* in Camp. Elys. qu. 58. n. 16. *Balt. Bonifac.* Hist. Ludicr. lib. 17. c. 1. atque *Zwinger.* Theatr. V. H. f. m. 415. Auctor der beglückten und geschmückten Stadt Lübeck ann. 1697. Edit. pag. 15. ait: Anno 1363. zu Käyser Caroli IV. Zeit (etliche setzen das Jahr 1385,) legte sich ein Schüler auf der Mühlenstrassen in einer Herberge in einen alten steinernen Schrein schlaffen, und schlief 7. Jahr lang weg, als er aufwachte, dünckte ihm nur einẽ halbẽ Tag geschlaffẽ zu haben, worauf er lange Jahre noch gelebet. Hoc puto vix, nisi miraculo, se tueri posse.

§. 55. *Epimenides Gnoſius* ex Creta a patre Agiaſarcho in agrum ad cuſtodiendum (alii, ad quærendum) pecus miſſus, in quodam antro *dicitur obdormiviſſe annos* 75. Tandem expergefactus, cum videret omnia mutata, domum reverſus a fratre minore difficulter agnitus omnia didicit, ceu ex *Plin. Apulei.* in Florig. *Laert. Gell.*, &c. refert *Laurемberg.* in Acerr. Philol. Cent. 3. n. 33. *Hermann. Torrentin.* in Elucidar. Poët. p. m. 106.

§. 56. Verum circa annos hujus ſomni magna ap. Auctores eſt diſcrepantia : dum alii 77. ponunt, teſte *Zwinger.* Theatr. V. H. Vol. 2. lib. 5. f. m. 415. a. & ex *Apollon.* Hiſt. Mirabil. c. 1. ſcribit *Balt. Boniſac.* Hiſt. Ludicr. lib. 17. c. 1. p. m. 488. expreſſis verbis ſeptem ac ſeptuaginta quieviſſe annos. Et ex *Pauſania* quoque allegat *M. Delrio* lib. 2. Diſq. Mag. qu. 21. p. m. 219. Verum contra mentem *Pauſaniæ*, de quo inferius. Alii 57. annos ſtatuunt uti *Hermann. Torrentin.* l. a. Alii 76. ceu *Reies* in Camp. Elyſ. q. 58. n. 16. ex *Delrio*, ſed uterque male. *Henr. Cornel. Agrippa* lib. 1. de O. P. c. 53. p. m. 117. Confundit alium puerum, 57. annos dormientem in ſpelunca ex itinere feſſum ex Plinio, cum ipſo Epimenide, quem dein addit itidem 57. annos dormiviſſe: cum tamen ſolius Epimenidis meminerit *Plin.* 7. H. N. 52. e quo allégant quoque *Laurемberg.* l. a. *G. I. Voſſius* lib. 8. Phyſiol. Chriſt. c. 8. p. m. 382. ex *Plin. & Apollon.* in Hiſt. Mirab. ex *Theopompo* habet *Zwing.* Theatr. V. H. Vol. 2. lib 5. f. m. 415. a. atque *Quercet.* Diæt. p. m. 352. Totque annos fuiſſe ex *Laert.* probat *Læl. Biſciola* Hor. Succesſiv. lib. 16 c. 2. f. m. 1256. ſcil. *Diog. Laert.* lib. 1. in Vita Epimenid. expreſſe ait: ἑπτὰ καὶ πεντήκοντα ἔτη Edit. Græc. Lat. *Henr. Stephan.* in 8vo 1570. & Londin. 1664. in Fol. & Edit. Græc. Froben.

Baſil.

Basil. 1533. in 4to atque recte 57. reddidit *Fr. Ambrosius* in Versione Lat. p. m. 78. Edit. Lugdun. 1592. in 12. ex *Diogene* habent *Forest.* lib. 10. obs. 38. in schol. f. m. 364. 6. Bitterkraut in Klag-Thrенen der höchst bedrängten Artzney-Kunst c. 16. p. m. 581. seq. *Marc. Donat.* Hist. Med. Mir. lib. 4. c. 12. *Tob. Magir.* in Florileg. Loc. Comm. f. m. 2119.

§. 57. Quinquaginta annos eum dormivisse refert *P. Victorius* lib. 24. V. L. c. 1. p. m. 646. ex *Varron.* lib. 7. de *LL. Plutarch.* in Comment. quo quærit: An debeat senex Reipubl. operam dare? Et ex iisdem *Dalechamp.* ad Plin. 7. 52. atque *Aegid. Menagius* in obs. ap. Diog. Laert. lib. 1. f. m. 39. Alios 50. annos dixisse scribit *Js. Casaubonus* in Diog. Laert. lib. 1. f. 26.

§. 58. Aliqui ponunt 47. annos, uti *Eudemus*, e quo *Mart. Delrio* lib. 2. Disquis. Mag. qu. 21. p. m. 219. *Zwinger.* l. a. f. m. 415. a. Totque habet *Erasmus* in Adag. Chil. 4. n. 164. Conf. *Lucian.* in Timone p. m. 91. & ad h. l. Gilb. *Cognat.* p. m. 136.

Imo 40. *tantum fuisse annos* scribit *Pausan.* in Atticis f. m. 13. (Edit. Wechel-Francof. 1583. in fol.) conceptis verbis: Ὁ δὲ ὕπνος ἐ πρότερον ἀνῆκεν αὐτὸν, πρὶν ἢ οἱ τεσσερακοστὸν ἔτος γένεσθαι καθεύδοντι. i. e. interprete *Romulo Amasæo* Edit. Basil. 1557. in 8vo p. m. 32. *Non prius experrectum, quam annos 40. obdormivisset.* Ex eodem habent *G. J. Vossius* lib. 8. Physiol. Christ. c. 8. p. m. 382. *Aegid. Menag.* in Obs. ad Diog. Laert. f. m. 39. *Th. Aldobrandinus* ad eund. f. m. 75. *Quercet.* Diæt. p. m. 352. *Zwinger.* l. a.

§. 59. *Auctor* Appendicis Proverbiorum Græcorum 7. annos duntaxat somno transegisse ait. Verum quin scripserit μζ vel νζ pro ζ ut recte *Schottus*

tus conjecit, nulla dubitatio est, ait *Æ. Menag.* in Obs. ad D. Laert. f. m. 39. Nonnulli 6. tantum ponunt ann. test. *Zwing.* in Th. V. H. f. m. 415. a. atque Is. Casaub. in D. Laert. f. m. 26. ex Suida. E quo etiam *Ægid. Menag.* l. a. sed addit: Sed & ibi numerum corruptum esse, non dubitamus, & pro ἑξ legendum oportere ἑξήκοντα, ut recte *Wolf.* emendabat.

§. 60. Scilicet adeo famosus fuit hic somnus, ut etiam in proverbium abiret: ὑπὲρ Ἐπιμενίδην κοιμᾶσθαι, quod *Lucian* in *Timone* usurpavit ap. *Æg. Menag.* in Obs. ad Diog. Laert. f. m. 39. Conf. *Erasmum* in Adag. Chil. 4. n. 164. Conf. Apollonium Dyscolum, Alexandrinum Grammaticum Hist. Comment. c. 1. p. m. 2.

§. 61. Verum historia hæc de Epimenide a paucis agnoscitur scriptoribus, sunt verba *Th. Aldobrandini* ad Diog. Laërt. in Annott. f. m. 75. Comprobat hoc quoque magna in numeris ap. Veteres discrepantia, de qua *Is. Casaub.* ad Laërt. f. m. 26. *Plin.* VII. H. N. 52. hunc somnum *magnam fabulositatem* vocat. Et *Quercet.* p. 352. ait. Ejus generis sopores, quamvis scriptis Historicorum tum Græcorum tum Latin. pro veris passim approbentur; nihilominus tamen pro incredibilibus potius & prodigiosis habendi videntur. Max. *Tyrius* Diss. 28. tempus somni non exprimit, sed ait fuisse ἔτη συχνὰ *annos multos*. Ait præterea, dormivisse in dicto Jovis antro; quod refutat *J. Meursi*, de Creta Insula c. 3. p. m. 76. probatque ex *Diog. Laert.* lib. 8. in Vita Pythag. fuisse Idæum antrum. Imo *Delrio* lib. 2. q. 21. p. m. 219. hunc somnum Epimenidis Dæmoni adscribit. Consentit *Reies* Camp. Elys. q. 58. n. 16. Nec desunt qui volunt hoc de somno commentum a peregrinatione ejus diuturna originem traxisse teste, Clariss. Dn. *J. Jac. Hofmanno* Prof. Basil. Celeberr. in Lexic. Univers. f. m. 603. Joannes Frisius in Philoso-

pho-

phorum ſerie ab orbe condito ad noſtra tempora ad A. M. 3370. & ante Chriſt. nat. 592. p. m. 833. ait: De Epimenidis ſomno fabula nota eſt. Sunt qui illum non obdormiſſe, ſed ad tempus exſpatiatum aſſeverant, intentum videl. radicibus ſecandis.

§. 62. Anno Chriſti 250. ſeptem juvenes Epheſii,(vernacula noſtra audiunt die Sieben Schläffer) propter horribiles perſecutiones Chriſtianorum in montem, urbi vicinum, conſcenderunt, inibique 196. annos dormiverunt, vid. Hiſt. Lombard. *Jornand. Cedrenum, Nicephorum*, lib. 14. cap. 45. ap. *Wolfium*, in Memorabil. Cent 3. f. m. 89. Verum *Lauremberg*. Acerr. Philol. Cent. 3. Hiſt. 33. refert ex Legendis Pontificiis atque *Volaterrano* lib. 9. (Verum eſt in Anthropolog. lib. 19. f. m. 702. c.) hoc accidiſſe A. C. 447. vocatque illos viros Maximianum, Malchum, Martinianum, Dionyſium, Johannem, Serapionem & Conſtantinum, (ita quoque vocantur *Martyrolog*. Rom. ad 27. Julii, citante *J. H. Ottio* & Prætor tr. Blocks-Berg p. 1. c. 1. §. 8. p. m. 11.) Qui, ut effugerent tyrannidem Decii, in ſpelunca montis Cœlii, prope Epheſum, ſe abſcondiderint, ibique latuerint 196. annis, (alii 372. ita *Eutichius* lib. mox citando p. m. 535. quidam 200.) ſine ullo cibo, ſingulari Dei providentia. *E Sigeberto* in Chronicis & aliis probatis Hiſtoriographis Eccleſiaſticis veritatem hujus hiſtoriæ conſtare, ſcribit *Quercet*. in Diæt. Polyhiſt. p. m. 352. *Conſtantin*. Manaſſ. in Annal. *Car. Sigon*. apud *C. Schott*. Phyſ. Curioſ. lib. 3. c. 19. §. 11. *Eutich*. Patriarch. Alex. Tom. 1. 531. ſeq. ubi ait: Apparuiſſe illos pueros anno Theodoſiii Magni octavo imperii. *Paul. Diacon*. Hiſt. Longobard. lib. 1. c. 3. & *Petr. de Natalib*. lib. 7. cap. 52. ap. *Balt. Bonifac*. Hiſt. Ludicr. lib. 17. c. 1. & lib. 18. c. 15

H. *Corn. Agripp.* l. 1. de Occ. Phil. c. 53. p. m. 117. *Læl. Bisciol.* Hor. Succesfiv. l. 16. c. 2. f. m. 1256. ex *Volaterr.* & *Sigebert.* in Chronicis anno post C. N. 447. *Zwinger.* l. a. f. m. 415. & *Bonifac.* l. a. l. 17. c. 1. ex Laur. *Surio* refert *M. Delrio* l. 2. Disq. Mag. q. 21. p. m. 219. *Jac. de Voragine* c. 96. *Baron.* ad Ann. 254. §. 25. *Spondan.* ad hunc ann. § 18. *Baronius.* sc. allegorice explicat, sc. in antro illo martyrium eos consummasse; postea tempore Theodosii repertos ibi ex improviso, quasi redivivos visos. Sed fabulam vocant *Hartm. Creidius* in Postill. III. Jahrgange Dom. V. post Epiphan. p. m. A. ii. ** a. *J. H. Hottinger* Hist. Sacr. N. T. cap. 3. sect. 1. p. m. 105. & fusius *CL. I. H. Ottius* in Exam. perpetuo ad Annal. Baronii Cent. 111. p. m. 124. *Et Forest.* l. 10. obs. 38. f. m. 364. b. ubi exemplum rustici Germani de quo supra, allegarat, addit. Sed penes auctorem sit veritas. Subnectitque statim: *Quemadmodum de septem pormientibus, qui 196. annos, ut fertur, perseveranter dormiverunt.* *Quercetan.* l. a. scribit hanc historiam miraculosam esse censendam, imo captum ingenii nostri, omnemque admirationem, imo & fidem excedere. A Deo immissum & per miraculum factum vult *Delrio* l. 2. Disquis. Mag. q. 21. p. m. 219. Prodigiumque DEI fuisse scribit *Læl. Bisciol.* Hor. Succesfiv. l. 16. c. 2. f. m. 1256.

§. 63. Aliorum V. Sanctorum dormientium e *Paulo Diacono* meminit Delrio l. 2. q. 21. p. m. 219. aitque: Horum somnum itidem a DEO immissum.

missum. E. P. Diacono meminit quoque *Hieron. Jordan.* de Divino in morbis c. 16. p. m. 60.

§. 64. *Septem itidem viros in Oceani litore* Aquilonaris Germaniæ sub rupe eminenti, *multis retro seculis dormivisse*, & ad sua tempora dormire confirmat *Warnefridus & Olaus*; hoc insuper adjicientes: Aruisse brachium cujusdam, qui curiosa cupiditate unum ex iis dormientibus excitare tentavisset, ap. *Balt. Bonifac.* Hist. Ludicr. l. 17. c. 1. p. m. 488. Ex. Paulo *Warnefrido* l. 1. de Longobard. Hist. c. 4. locum totum repetit *Tob. Magir.* in Florileg. Locc. Comm. f. m. 2119. seq. Ex *Eod. & Methodio.* it. *Olao* M. l. 1. c. 3. (c. 1. allegat. Prætor. tr. v. Blocks-Berge p. 1. c. 1. §. 8. p. m. 11. ubi figmentum non male vocat.) refert *Zwinger.* Theatr. V. H. f. m. 415. H. C. *Agripp.* l. 1. Occ. Phil. c. 53. p. m. 117. seq. Hi vero videntur fere iidem cum supra dictis 7. dormientibus §. 62.

§. 65. *Endymion* puer formosus a Luna adamatus; hæc vero a Jove obtinuerit, ut perpetuum ille dormiret somnum in Latmo monte Cariæ, *Cicero* l. 1. Tusc. Quæst. Plin. l. 7. c. 32. (verum est l. 2. c. 9. H. N.) *ap. Zwinger* Theatr. V. H. f. m. 415. *Peucerus* in dedicat. l. De Divinat. *Lucian.* in Dialog. Veneris & Lunæ. *Theocrit.* Idyll. 3. *Natal. Comes* l. 4. Mythol. c. 8. p. m. 337. seq.

Sed fabula hæc videtur inde sumta, quia Lunæ motum per noctem curiose observavit, *Sabellicus l. 2. c. 3. ap. Zwinger.* l. d. Conf. *Plin.* 11, 9. H. N. Aut quod primus Lunæ cursum repererit, *Jac. Ma-*

ſenius Mythol. c. 22. §. 5. Alias fabulæ hujus explicationes vide ap. *Nat. Comit.* 4. Mythol. c. 8. p. m. 357. ſeq.

§. 66. De *ſomno* vero *diuturno* per Dæmonem introducto, ſive *maleficio ſomnifico* lege pluribus Petr. *Binsfeld* de Confeſſ. Maleſ. part. 1. concl. 5. *Remigium* Dæmonol. l. 2. c. 3. ſeq. ap. *Delrio* l. 2. q. 21. & l. 3. Diſq. Mag. p. 1. q. 2. p. m. 369. ſeq. E quo *C. Shottus* Phyſ. Curioſ. l. 1. c. 30. §. 1. *Hieron Jordan.* de Divino in morbis c. 43. p. m. 158. præcipue c. 16.

§. 67. Liceat demum heic *ὡς ἐν παρόδῳ* nobis eſſe *ἀπὸ τῶν ψιχίων* CL. DD. Theologorum, & paucis diſpicere de ſopore ſeu ſomno profundo Adami protoplaſtæ, quem DEus ei immiſit, juxta illud *Genes* 11. v. 21.

ויפל יהוה אלהים תרדמה על האדם ויישן:

hoc eſt Interpret *Sebaſt. Münſtero.*

Et fecit illabi Dominus DEus ſoporem in Adam, & obdormivit.

§. 68. Heic viri docti varie diſceptant circa vocem תרדמה qvid proprie ſignificet: ſiquidem ſepties in S. S. occurrit, uti *Genes.* 11, 21. & 15, 12. 1. *Sam.* 26, 12. *Job.* 4, 13. & 33, 15. *Prov.* 19, 15. *Eſai.* 29, 10. E quorum locorum collatione apparet *ſoporem* & quidem *profundum cum ſenſuum privatione ac ſtupore conjunctum* proprie ea voce denotari; quod & ex uſu verbi תרדם unde deſcendit confirmatur, ceu ita me docuit Excell. D. D. *J. F. Mieg* in Doctisſimis ad me Literis ſuperius laudatis; ubi addit: 70. *Interpp. duobus Geneſeos*

locis vertunt ἔκςασιν. *Alibi* θάμβ☉ (*ſtupor*) *Item* φόβ☉ (*timor*) *it.* κατάνυξις. Videl. varie illam interpretantur vocem varii, *ſoporem* reddunt *Vulgata*, Arias *Montanus*, *ſoporem gravem Malvenda.* Alii *ſoporem altum.* *Somnum* abſolute juxta *Arabic.* & Alios, *provundum ſomnum* reddit *Vatablus.* Καρον quod alii vertunt gravem & profundum ſomnum, *Symmachus.* Adſtipulatur *Dav.Pareus* Comm. in Geneſ. p. m. 439. inquiens: Significat omnino *profundum ſomnum* ut *Gen.* 15. 12. 1.*Sam.* 26, 12. & *Jeſai.* 29, 10. *Eſt autem* רדם ſoporare, *ſomnus levior eſt* שנה Græc. ὕπν☉. Forte poſtremum hoc ex *Aben Ezra*, qui ad Gen. 11, 21. ait: *Tardemah* plus dicit, quam *Schena: & Schena* plus, quam *Tenumah. Syriac.* Reddunt *Qvietem. Athanaſius.* Et conſopivit eum. *Tertull.* l. de Anima c. 21. ait: Miſit DEus *in Adam amentiam.* Et antea eod. lib. c. 11. vocaverat quoque *Ecſtaſin. Exceſſum* interpretatur *Chryſoſtomus* uti καταφοράν *Aquila*, quod aliqui reddunt *deſcenſum.* LXX. Interpret, & Sixtin. ἔκςασιν; velut hanc lectionum varietatem maximam partem congesſit Joh. *de la Haye*, Pariſienſis, in Bibliis Maximis ad Geneſ. 11, 21. f. m. 34. (Edit. Pariſ. 1660. Fol.) *De Ecſtaſi* plerique veterum Patrum uti & *Auguſtin.* l. 11. c. 18. de Genes. ad lit. *Hieronymus* in Traditt. Hebr. c. 45. & e recentioribus plurimi, quos inter *Guil. Eſtius, Joan. Menochius &c.* Th. Bartholin. de Morbis Biblicis Exerc. 1. per tot. Ac certo modo interpretatur *Pamelius* Com. in Tertull.

§. 69. Non autem Ecstasis talis fuit, qualem non sine fabulis proponit F. *Bartholomæus Sybilla*, Monopolitanus, in Speculo Peregrinarum Quæstionum c. 3. Primæ Decadis quæst. 2. cap. 8. p. m. 299. seqq. (Edit. Venet 1575. in. 8.) quem vide, si meretur. Nec *Ecstasin formaliter* sic *dictam* fuisse, nec *somnum communem*, sed *soporem profundiorem* fuse probat *M. Schoockius* de Ecstas. Supernaturali θ. 18. p. m. 95. ex *Epiphan.* Hæres. 48. Conf. *G. I. Vossium* l. 3. Idolol. c. 34. in fine. Scil. fuit somnus supernaturalis a DEO immissus, teste *Nic. Lyrano* ad Genes. 11, 21. ap. *de la Haye.* l. a. Cur autem eum DEus Adamo immiserit, fuse & docte ex pluribus proponit *Dav. Pareus* l. a. p. m. 456. seqq. quem evolve: addeque *Franc. Junium* Prælect. in Genes. c. 2. v 21. f. m. 56. cui paria habet *Franc. Burman.* in Synops. Theol. l. 1. c. 42. §. 113. p. m. 315. Jacob Bonfererius Comm. in Gen. 11, 21. f. m. 124. b.

§. 70. Consideravimus hactenus varios somnos; nunc præstat dispicere *quamdiu* ergo *dormiendum?* Notissimus quidem est & vulgaris versus:

Septem horis dormisse sat est juvenique senique, referente Joepserio in Manud. ad Vitam Longam p. 1. c. 10. p. m. 104. Verum hic cothurnus non omnium pedibus aptari debet aut potest. Legi interim meretur tota 18. Epistola *Richardi Carr.* Angli, pag. 191. seqq.

§. 71. Fateor, plerique ad 6. 7. 8. horas conveniunt. Illustr. *J. D. Horstius* Archiater Celebrr. Fautor & Compater honoratissimus in egregia sua

Manud.

Mand. ad Med. p.m. 226. ait: *Ad minimum autem VI., & ad summum IX. horas dormire licet.* scil. egregie legit vestigia Celeberrimi Parentis sui Dn. *Gregor. Horstii* τȣ̃ πάνυ qui libro elegantiss. de Sanitate Studios. Tuenda l. 1. c. 10. p. m. 100. ita: *Sommi terminus omnibus idem præscribi nequit, cum in aliis citius, in aliis tardius concoctiones infimi ventris peragantur & vires animales corroborentur: ad minimum tamen VI, ad summum IX. horis in statu sanitatis hæc absolvi solere patet, quocirca spatio intermedio, & frequentius VII. horis, determinatur.* Non abludit *C. Hofman.* Inst. Med. 5. 31. 7. scribens: *Quot horis circumscribitur somnus naturalis?* VI. aut VII. *Et hoc in sano homine. In iis enim, qui crapulati sunt, nihil melius quam somno excoquere. Dico iterum in sano homine. Qui enim in hoc statu sunt, ne possunt quidem ulterius dormire. At qui crudis humoribus farti sunt, ii sopores potius habent, quam somnos.* Consentit Exc. *Guido Patin.* de Tuenda Valetud. c. 4. p. m. 418. seq. *In genere* (scribit) *tamen fere constat. somnum VII. vel VIII. horarum vel circiter esse debere.* Auctor Hebræus (quem edidit CL. Wagenseilius Exerc. Miscell. 2. 1687) l. de Sanitate Conservanda p. m. 97. ait: Octo horarum spatio dormiendum, inquit, somni mensura est, a Medicorum sapientissimis præscripta. Calculoso imperat Lucillus Philalthæus Tom. 2. qu. 2. c. 4. p. m. 18. b. somnum horarum octo, in strato non confecto ex plumis calidis. Doctiss. *Beverovicus* Thes. Sanit p. 2. c. 17. ait: *infra 6.*

horas

horas dormire vix sufficit; quod vero est ultra 9. horas, nimium est, 7. horæ sufficiunt sanitati. Idem ait *Plempius* Fund. Med. l. 3. c. 7. *somni sc. terminum statum esse 7. horas.* Et *Mœbius* Instit. l. 2. p. 2. c. 6. p. m. 120. ait: *Homini sano 7. alias horæ sufficiunt.* Conf. omnino *L. Lemnium* l. 1. de Complex. c. 7. p. m. 67.

§. 72. Nimirum (ceu recte ait *ἰατρικώτατος Guid.* Patinus l.a. p. m. 418.) *somni duratio ex ingesti alimenti concoctione digestioneque definienda. Quamvis enim non expediat, ut omnes tantundem dormiant, cum alii promtissime coquant, alii tardissime.* Conf. *V. F. Plemp.* de Togat. Valet. t. c. 6. n. 11. Concoctioni rite peractæ superaddit *Ant. Gazius* in Florida Corona Sanit. c. 261. seq. f. m. 136. seq. & *Beverovic.* Thes. Sanit. p. 2. c. 17. f. m. 229. spiritus reparatos. Vnde autem cognosci possit, coctionem probe esse peractam, docet *Mœbius* Inst. l. 2. p. 2. c. 6. p. m. 120. inquiens: *Somni terminum manifestat perfecta ciborum concoctio, quod colligendum ex stomachi contractione, ventrisque mollitie, ructuum paucitate, vel insipiditate, capitis levitate, & corporis agilitate.*

§. 73. Opus erit igitur in termino dormitioni præfigendo distinctione aliqua; quod probe monuit Ill. *Gu. Patin.* de Tuend. Val. c. 4. p. m. 418. seq. his verbis: *Attamen ut certius determinetur, spectanda sunt: temperamentum, ætas, nutricatus, labor seu vitæ institutum.* Dicimus ergo respectum esse habendum ad dormientis *sexum, ætatem, temperamentum, habitum corporis seu consti-*

constitutionem partium; *vitæ genus, tempus anni, diætam, consuetudinem, statum valetudinis, assumta animi pathemata &c.* Conf. *Ant. Gazium* qq. in Florida Corona Sanit c. 267.

§. 74. Sexum si respiciamus, *Muliebri* longiorem indulgemus somnum natura, siquidem mulieres plus sunt humidæ ac viri naturaliter, hinc plus qq. dormiunt, inquit *Oribasius* nott. ad Hipp. 2. Aph. 3. p. m. 48. Nim, cum citius fatiscant, aut vitam sedentariam magis ament, vel solitudinem, magis fiunt languidæ, & somno aptiores, maxime cum aliquæ credant der Schlaff mache schön: & in contrarium, si aliquam deformem, macram, aut chloroticam videant, dicere solent, sie sieht auß, als wann sie nicht genug schlieffe. Quod tamen sano sensu intelligendum. Possumus ergo mulierculis concedere 9. vel. 10. horas somni pro sanitate conservanda, ceteris paribus: quæ vero vel consuetudine vel cura rei familiaris tanguntur, paucioribus contentæ erunt, maxime rusticæ, lotrices, aliæque laboriosæ.

§. 75. Ætatem quod spectat, hic maxime opus est distinctione, quod & voluerunt *Gu. Patin.* l. d. *Quercet.* p. m. 249. *Infantes* autem plus dormiunt, scil. quia pleni sunt vaporibus (vaporosos humores vocat *Jœpserius* Manud. ad Vitam Long. part. 1. c. 10. p. m. 97.) uti scribunt *G. I. Vossius* l. 3. Idolol. c. 34. e quo Voigt in Physicalischen Zeitvertreiber Cent. 3. quæst. 38. adde *Kipping.* Inst. Physic. l. 8. c. 14. Procul dubio hoc didicerunt ex *Aristotel.* l. de Somn. & Vigil. c. 3. ubi ait: Τὰ γὰρ παιδία

παιδία καθεύδει σφόδρα, διὰ τὸ τὴν τροφὴν ἄνω φέρεσθαι, i. e. *Nam pueri alto sopore premuntur: quia alimentum omne sursum respirat*, interprete *Nicol. Leonico*. Vapores ita ad caput adscendentes somnumqne procurantes in omnibus hominibus, nedum in infantibus, vix concedunt ac ne vix quidem moderni, quos inter chorum ducunt *Willis* atque *C. V. Schneiderus* l. de Catarrh. & de Osse Cribriform. cum viæ non pateant, prout plerique opinati sunt. Credimus tamen infantes, quia magis humidi, magis otiosi, spiritibus nondum majorem impetum molientibus præditi, sed phantasia admodum otiante; it. magis edaces &c. magis etiam somno esse deditos: ita, ut plus quam duas diei tertias eo consumant, donec sensim & sensim adolescendo eum abbreviant. Videtur hoc quidem negare *Oribas.* Nott. ad ll. Aph. 3. p.m.48. sed contra experientiam: hinc minus sunt sæpe tractabiles; causam vulgo reddunt: **Sie haben noch nicht außgeschlaffen:**

§. 76. *Pueri* etiam sibi longum poscunt somnum, ob mitiores illas causas in proxime antecedente §. allegatas. Addit *Plempius* de Valet. Togat. Tuenda c. 6. n. 11. hanc: *Ut fluor immodicus sistatur; magna quippe in iis fit dissipatio per cutem mollem.* Præterea *somno pueri vindicantur a gravissimis morbis*, ceu ait *Heurnius ap. I. P. Lotich.* ad Petron. Satyr. cap. 3. p. m. 28. Rationem hujus præmisit: *Quia somnus felicius cibos concoquit, materiam morbificam mitigat, & symptomata omnia minuit.* Quando autem *Cl.*

Mœbius Inſt. l. 2. p. 2. c. 6. p. m. 120. pueris 8. vel 9. horas concedendas putat, vereor, ut illis acceptus ſit.

§. 77. *Juvenes* quod ſpectat, ait *Oribas* nott. ad II. Aph. 3. p. m. 48. Somnum iis eſſe bonum: contrarias autem vigilias. Quod & cognovit Amorum Magiſter canens:

Adtenuant Juvenum vigilatæ corpora noctes.
Hos tamen, cum ſint temperamenti ſiccioris, non admodum ſomnolentos eſſe decet; præcipue cum illo tempore natura vigorem nanciſcatur. Hucque traho verba *Joepſerii* Iſag. ad Vitam Long. p. 1. cap. 10. p. m. 104. dicentis: *Qui ætatis florentis ſunt, breviorem poſcunt ſomnum, ſcil horarum* 7. Arctior eſt *Quercet. Diæt. Polyhiſt.* ſ. 2. c. 9. p. m. 249. dum ait: Juvenibus ſanis ac robuſtis ſatis eſſe 7. horas.

§. 78. *Virili in ætate* conſtituti poſſunt ad 8. horas commode dormire; in his enim incipit tardior fieri concoctio ac in juvenibus; nec corpus amplius augetur, niſi per obeſitatem. Plurimi autem terminum illum prævertere ſolent, cura rerum ſuarum ulterius ſtertere prohibente.

§. 79. *Senibus* longiore opus eſſe ſomno, quam juvenibus recte ſcribunt *Sennert.* Inſt. Med. l. 4. p. 2. c. 5. *Quercetan.* l. a. p. m. 249. *Guid. Patin.* de Tuenda. Valet. c. 4. p. m. 419. *Jœpſerius* Manud. ad Vit. Long. p. 1. c. 10. p. m. 104. His enim ita cōctio juvatur, & vires roborantur, teſte *Plempio* de Togat. Val. Tuend. c. 6. n. 11. Imo ſenibus adeo conducit ſomnus, ut nihil aliud fere

æque

æque senectutis siccitatem atque duritiem humectet, deperditamque in ipsis humidam substantiam magis reparet ac emolliat, ex *Fuchs.* Inst. Med. l. 2. s. 4. c. 11. *Beverovic.* Thes. Sanit. p. 1. l. 4. c. 2. & p. 2. c. 19. His igitur veluti pueris 8. vel 9. horas vult concedendas *Mœbius* Inst. l. 2. p. 2. c. 6. p. m. 120.

§. 80. Verum senes maximopere conqueruntur, se illum terminum perraro adtingere atque supplere posse. Quod confirmat Sapientissimus *Ecclesiastes* c. 12. v. 4. quando inter alia senectutis incommoda, & hoc refert.

וְיָקוּם לְקוֹל הַצִּפּוֹר וְיִשַּׁחוּ כָּל־בְּנוֹת הַשִּׁיר׃

i. e. vertente *Seb. Munstero:*

Et surrexerit ad vocem avis, & depressæ fuerint cunctæ filiæ carminis

Idem in Annott: ad h. l. f. m. 1587. ait: ***Porro si cibus nullus trajiciatur in stomachum, tollitur causa somni, atque ita ex cantu aviculæ suscitatur, senex a somno. Filias carminis exponunt pro instrumentis vocalibus, ut est guttur. Senes n. nec canunt, nec audiendo sonos delectantur.*** Conf. ad h. l. *Matth. Poli.* Vol. 2. Synopsis Criticorum & aliorum Comm. f. m. 1947. Edit. Londin, in Fol. 1671. Interim tamen longius senibus concedendum est tempus; ut ut enim non dormiant, blando tamen lecti tepore corpus fovent, & placide quiescunt.

§. 81. Temperamentum de diversis somni temporibus circumscribitur ac utitur, teste *Quercet* l. a. p. m. 249. Qui sunt constitutionis calidæ atque humi-

humidæ (ſc. *Sanguinei*) breviorem ſomnum expetunt, ſcil. horas 7. ait *Jœpſerius* Manud. ad. Vitam Long. p.I. c. 10. p. m. 104. Quamvis his longiorem concesserim ſomnum cum pleniore utantur victu, ſintque humidi probe; ut facile ad 8. imo 9. horas conſentirem.

§. 82. *Biliosis* longiore ſomno opus eſſe, quam pituitoſis, ſcribit *Guido Patin.* de Tuend. Valet. c. 4. p. m. 419. & Bilioſis longiorem ſomnum poſt ſumtum cibum conducere voluit *Plempius* de Togat. Valet. Tuend. c. 6. n. 11. Quod quidem concedere poſſum, ſomnum egregie horum ſiccitatem emendare poſſe. Verum pro naturæ modo ſuæ communiter parum dormire ſolent; iiſque ſæpe 6. vel. 7. horæ ſufficiunt, præcipue qui exacte Cholerici ſunt. Hinc Auctor Oecon. Animal. (*Theod. Craane*) p. 1. qu. 141. pag. 154. ait: *Tempus dormiendi* in genere determinari non poteſt; ſed reſpiciendum eſt ad ſingula temperamenta hominum. Illi enim, qui ſanguinem habent ſubtilem, ut Galli, Itali, Hiſpani, breviore indigent ſomno, & 5. horis poſſunt eſſe contenti, quod tempus tamen nimis breve foret iis, qui ſanguinem viſcoſiorem & craſſiorem habent, qui ſæpe debet per cor tranſire prius quam ita attenuetur, ut ſpiritibus gignendis poſſit præbere materiam.

§. 83. Pituitoſæ conſtitutionis homines (*Phlegmatici*) ad ſomnum magis ſunt proclives, ait *Jacob Joſeph Jœpſerius* l. a. p. m. 97. Rationem autem, quam addit: *Quia hi ſicci utili humiditate carent*, ego non capio, quin contrarium crede-

 rem,

rem, quod ipſemet quoque ſuperius p. m. 96. ſtatuerat, ſc. ideo hyeme eſſe ſomnos longisſimos; *quia pituita in hyeme augetur ex Hipp.* l. de Nat. Hom. Longiorem his tribuit ſomnum *Kipping*. Inſt. Phyſ. l. 8. c. 14. quia pleni ſunt vaporibus. Ego autem malim propter nativam corporis præcipue cerebri in frigiditate & humiditate συγγρασίαν. His ſcil. 8. vel 9. horas concedit *Mœbius* Inſt. l. 2. p. 2. c. 6. p. m. 120. imo ſomno ad 9. vel 10. horas producto opus habere ſcribit *Jœpſerius* l. a. p. m. 104. Hocque in ſtatu ſ. n. In phlegmaticis vero p. n. locum habere credo illud *Plempii* l. a. c. 6. n. 11. ſcil. breviorem eſſe concedendum ſomnum, & vigilias imperandas, quæ exſiccent corpus atque adtenuent.

§. 84. *Melancholicos* non eſſe admodum ſomnolentos, ſcripſit *Ariſtotel.* l. de Somno & Vigil. c. 3. rationemque hanc addit: κατέψυκται γὰρ ὁ εἴσω τόπος. ὥστ' οὐ γίνεται αὐτοῖς πλῆθος ἀναθυμιάσεως i. e. *Nam locus interior refrigeratus eſt. Quare in eis evaporatio multa non fit.* Explicat hoc Doctiſſ. *G. I. Vosſius* l. 3. Idolol. c. 34. p. m. 888.

§. 85. *Habitus corporis ſeu Partium conſtitutio* diverſos quoque requirit ſomni terminos. *Ariſtot.* l. de Somno & Vigil. c. 3. ſcribit: καὶ τὸ ὅλον δὲ φίλυπνοι οἱ ἀδηλόφλεβοι καὶ νανώδεις καὶ μεγαλοκέφαλοι. Τῶν μὲν γὰρ αἱ φλέβες στεναί, ὥστ' οὐ ῥᾴδιον καταῤῥεῖν (alii διαῤῥεῖν) κατιὸν τὸ ὑγρόν. Τοῖς νανώδεσι καὶ μεγαλοκεφάλοις ἡ ἄνω ὁρμὴ πολλὴ καὶ ἀναθυμίασις. i. e. *Atque in totum ſomniculoſi*

losi sunt, qui conditas habent venas, & qui forma pumilionis, & capite prægrandi sunt. Nam ii, quorum conditæ sunt venæ, eas graciles & angustas habent, adeo ut humor ægre decidat & refluat. Pumiliones vero & quorum vasta sunt capita, multam divaporationem atque effluentiam, quæ ad partes superas viam capesſit. Hoc videtur confirmare l. de Physiognomia c. 3. f. m. 891. h. dicens. Φιληπνοι οἱ τὰ ἄνω μείζω ἔχοντες κ̀ γυπώδεις (quid hoc verbi sit, fateor me ignorare, nec enim alibi me legere memini) κ̀ θερμοὶ, εὐεκτικὴν σάρκα ἔχοντες, κ̀ γλαφυροὶ τὰ εἴδη, κ̀ δασεῖς τὰ περὶ τὴν κοιλίαν. i. e. *Amatores autem somni sunt, qui habent superiora majora: calidi, habentes carnem boni habitus, eleganti specie hirsuti circa ventrem.* Conf. *G.I. Vossium* l. 3. Idol. c. 34. p.m. 889. Fusius hæc explicat, qui videatur *Cæl. Rhodigin.* L. A. l. 6. c. 3.

§. 86. Qui ventriculos habent ad digerendum validos, requirunt somnum breviorem, nempe 7. horarum: Qui vero tardioris sunt concoctionis, longiore somno opus habent, videl. ad 9. vel 10. horas, *Jæpser.* Manud. ad Vitam long. p. 1. c. 10. p. m. 104. procul dubio e *Quercetan.* Diæt. Polyhist. p. m. 245.

§. 87. *Extenuatis* longior somnus post cibum conducit, quia humectat, *Plemp.* de Togat. Valet. Tuend. c. 6. n. 11. Quamvis plus soleant vigilare. *Obesi* maxime sunt somnolenti teste *J. Bapt. du Hamel.* l. 3. de Corpore Animato c. 6. §. 3. Siquidem juxta *Malpighium* idem pinguedinis & du-

ctuum adiposorum usus præter ceteros, ut sanguinis acrimonia imminuta somnum concilient. Verum illis somnus brevior est concedendus, vigilæque imperandæ, quæ exsiccant & corpus adtenuant, teste *Plempio* l. a. c. 6. n. 11.

§. 88. *Vitæ genus* cujusvis etiam somnum aut largiorem aut parciorem postulat, quod innuit quoque *Guido Patin.* de Valet. Tuend. p. m. 419. Huc spectant proverbia Italorum, quæ ex *Jano Grutero* in Proverb. Ital. allegat *Th. Lansius* de Academiis p. m. 30.

Cinque *hore dorme il Viandante,*
Sette *il Studiante,*
Otto *il Mercatante,*
Et Undeci *ogni furfante.* id est:
Quinque *horis dormit Viator.*
Septem *Studiosus,*
Octo *Mercator,*
Et Undecim *quicunque Nequam. Et*
Cinque *allo Studiante,*
Sei *al Mercante,*
Sette *alla Plebe,*
Otto *al Poltrone.* hoc est:
Studiosus tribuit somno horas tantum quinq;
Sex *Mercator,*
Septem *Plebs,*
Et Octo *ignavus.*

§. 89. *De Augusto* Cæsare in ejus vita *Svetonius* c. 78. ita: *A cœna lucubratoriam se in lecticulam recipiebat, ibi donec residua diurni actus aut omnia, aut ex maxima parte conficeret, ad multam*

multam noctem permanebat. In lectum inde transgressus, non amplius cum plurimum, quam septem horas dormiebat, *ac ne eas quidem continuas, sed ut in temporis spatio ter aut quater expergisceretur. Si interruptum somnum recuperare, ut evenit, non posset; lectoribus aut fabulatoribus arcessitis, resumebat, producebatque ultra primam sæpe lucem*, Scil. Principes aliique Veri Patriæ Patres pro salute Patriæ excubias agunt, dormiente subdio, iique aliis inserviendo consumuntur. Aeternum habuimus exemplum in Beatissimo Dn. *Electore Palatino Carolo Ludovico*, gloriosissimæ atque immortalis memoriæ Principe, nunquam satis laudando, qui curarum infinitarum, somni vero fere nullius.

§. 90. Pari modo, qui bellicis præsunt expeditionibus, & parcos & interruptos habent somnos, cum nesciant, quid sibi ab hoste possit offerri deterioris. Hoc *Virgil.* in Ænea his expressit:

At pius Aenas per noctem plurima voluens.

Scil. ἐν νυκτὶ βȣλή. De eodem *Idem*:

Nec minus Aeneas se matutinus agebat.

Georgius Castriotus, *Scanderbechus* dictus, ab Amurathe deficiens, Epiri regnum occupavit, illoque tempore *duabus tantum horis* per singulas noctes somno indulsisse fertur, *Marinus Barletius* in ejus vita ap. *Zwinger.* Theatr. V. H. f. m. 415.

§. 91. *De Literatis & Studiosis* notum est, ardentiores heic in defectu peccare potius, quam in excessu somni; vide supra de Lucubratt. Tempus ex parte patet e proverb. Ital. supra §. 88. allegatis. Notus est versiculus:

Septem *horas dormi*, Tres *ora*, *accumbe* Duabus:

Daque Decem *studiis*, *exspaciare* Duas *Dav. Herlicius* Lib. 6. Epigr. 18. pag. 361. hoc habet Horologium Studiosi adolescentis:

Octo *horas studiis*, *Adolescens!* Sex *dato somnis*

Tres *Epulis saltem*, tresque *piis precibus*

Quatuor *ast reliquas consumito sacra legendo*,

Consumes totum sic bene, *crede*, diem.

De Mureto in ejus vita hæc *Andr. Schottus* lit. B. 2. a. ait: *Ad summum singulis noctibus somno* Quinas *horas*. quaternas *plerumque*, *aut etiam* ternas *tribuebat*. *Arsenius* Arcadii & Honorii Impp. Præceptor Monachus factus, tam brevi qvidem somno naturæ satis fecit, ut etiam dicere solitus sit: *Monacho* satis esse, si horam *unam* dormierit *Marull.* l. 1. c. 10. ap. *Zvvinger.* f. m. 415.

§. 92. Non displicet consilium, quod insigne Nobilium literatorum Decus *Henr, Ranzovius* l. de Conserv. Valet. c. 11. p. m. 51. præcepit filiis suis aptissime his verbis: *Somnus vester spatio 7. 8. aut ad summum 9 horarum circumscribatur; idque hac conditione: si concoctio alimentorum probe & perfecte fuerit absoluta, quod vel ex urinæ flavitie, vel corporis alacritate, & membrorum vigore cognoscitur: Item quando nec ventris dolor, nec ructus, nec oscitatio adest. Nonnunquam etiam nocturna vigilia aut crapula diurna longiorem somnum exigit.*

§. 93. *Assuetis*, ut *ruriculis & artificibus*, ut

&qui

& qui interdiu dormiunt 5. vel. 6. horæ ſufficiunt, inquit *Mœbius* Inſt. Med. l.2. p.m.2c.6. p. m. 120. De ruriculis, hoc peculiare eſt; dum enim vires ác ſpiritus animales per labores exhauriunt; illud decrementum reſarcitur; quando vel quinque vicibus una die comedunt; mane hora 3. vel. 4. quando ad labores exeunt, juſculum vel pulticulam; dein hora 7. vel 8. jentaculum; hora 11. vel 12. prandium; hora 4. merendam; ac noctu hora 9. cœnam: Somno vero vel minimum indulgent, eumqne ſæpe 4. 5. vel 6. horis finiunt, veluti & ſtabularii aliique. Aliquid etiam habet *Ariſtot.* l. de Somn. & Vigil. c. 3.

§. 94. *Tempus Anni* ſymbolum ſuum etiam addit, ſomnique terminum variat. Teſtem omni exceptione majorem habemus Divinum ſenem II. Aph. 15. dicentem: *αἱ κοιλίαι χειμῶνος καὶ ἦρος θερμόταται φύσει, καὶ ὕπνοι μακρότατοι* i.e. *Ventres hyeme & vere natura ſunt calidiſſimi, & ſomni longiſſimi.* Ratione prioris membri diximus alibi: poſterius ambabus largimur. Conf. *Galen,* ad. h. l. in Comm. p. m. 74. Fieri hoc ob noctium longitudinem ſcribit *Butinus* in Comm. ad h. l. Hipp. p. m. 20. conſentit. I. *C. Dieterich.* in Paraphraſi Aphor. h. l. Sed requiruntur inſuper alia quoque. Hinc *Ovid.* ſomni ſpeluncam locavit in cimmeriis; & experti Hollandi circa Spitzbergam & Grönlandiam; A.C. 1594. uſque ad 1596. vide *Lev. Hulſii* dritten Theil wahrhafftiger Relation der dreyen neuen unerhörten ſeltſamen Schiffart, ſo die Holländ- und Seelän-

dische Schiffe gegen Mitternacht gethan, Edit. Norimberg. 1602. in 4.

§. 95. *Diæta* multum confert ad somnum vel longiorem vel minorem. *Aristotel.* l. de Somno & Vigil. c. 3. ait: Διὸ μάλιστα γίνονται ὕπνοι ἀπὸ τῆς τροφῆς ἀθρόον γὰρ πολὺ τότε ὑγρὸν καὶ σωματῶδες ἀναφέρεται: i. e. *Quamobrem somnus maxime post cibum fieri solet: tunc enim copiosus humor & corpulentus sursum commeat.* Idem ib. his hoc confirmat: καὶ μετὰ τὰ σῖτα μάλιστα τοιοῦτος ὁ ὕπνος: πολλὴ γὰρ ἡ ἀπὸ τῶν σιτίων ἀναθυμίασις, i. e. *Et maxime a cibis somnus talis exstat: tunc enim multa exhalatio confit.* Nim. qui cibos in quantitate ac qualitate non gravantes sumunt, breviorem habent somnum, nempe 7. horarum: qui vero cibos per ingluviem capiunt, longiore somno opus habent, scil. ad 9. vel 10. horas, teste *Jœpser.* Manud. ad Vit. Long. p. I. c. 10. p. m. 104. allegatque *Hipp.* l. 1. de Vict. Rat.

§. 96. Maxime in crapula & ebrietate ob largiorem vini potum cerebrum nimio vapore repletur, ex mente *Jœpser.* l. a. p. m. 97. Conf. *Kipping.* Inst. Phys. l. 8. c. 14. §. 6. Scil. vini νάρκωσις spiritibus animalibus compedes quasi injicit eosque ligat, hinc πολυθρύλλητον istud: *Qui bene bibit, bene dormit.* Hi ergo, nisi nimia ferculorum mole molestentur, in adultam usque stertunt lucem, ac, quod dicitur, dormiunt in utramque aurem, quod vernacula vocant: Den Rausch außschlaffen.

§. 97.

§. 97. *Consuetudinis* uti in pluribus aliis maxima est vis, vide *Roderi a Castro* Med. Polit. l. 2. c. 13. *Magninum* in Regim. Sanit. part. 4. cap. 5. *Rambam* in More Novochim part. 1. c. 31. p. m. 39. Franc. *Bayle* in Probl. 90. 91. & 92. ita præcipue in Hygiene elucet vide *Pincier* Meditation. Variar. l. 4. c. 7. p. m. 87. *Joh. Katzschius* de Gubernand. Sanitate p. m. 18. a. b. Exemplum facetum est ap. *Solenandr.* l. v. cons. Med. 15. f. m. 489. maxime in cibis, vide *Leon. Lessium* in Hygiastico c. 13. & 25. *Salmas.* de Annis Climact. p. m. 752. Hinc quoque in somno. Sic qui opifices sunt laboriosi, parum dormiunt, uti fabri ferrarii, lignarii, pistores, sutores, agricolæ &c. multum contribuente consuetudine. Ita *Galenus* l. 2. de Alim. Fac. c. 40. scribit: Se in juventute sua suavis sponte vigiliis adsuevisse, inde in majori ætate ἀγρυπνίᾳ laboraverit. Aliud exemplum est ap. *Rolfinc.* Med. Consult. l. 2. cons. 3. p. m. 65. Sic qui consueverunt meridiari (de quibus alibi) noctu minus dormiunt.

§. 98. *Status valetudinis* diversitatem longitudinis aut brevitatis somni parit. Sic sani, ex omnium actionum promtitudine læti, somnum capessunt, & debitum noctis pensum haud interrupta quiete feliciter absolvunt: e contra valetudinarii aut ægri, vel nihil, vel parum, vel depravate etiam dormiunt, metamque somno naturali propositam non adtingunt.

§. 99. *Assumta* etiam somni tempus variant. De alimentis diximus supra in Diæta. De Medica-

mentis somnum prolongantibus vid. *Willis* & alii practici de Anodynis, Narcoticis & hypnoticis. Hoc confirmat *Aristotel.* l. de Somn. & Vigil. cap. 3. inquiens: *Σημεῖον δὲ τούτων καὶ τὰ ὑπνωτικά. Πάντα γὰρ καρηβαρίαν* (alii *καρηβαρεῖν*) *ποιεῖ, καὶ τὰ ποτὰ, καὶ τὰ βρωτὰ* (al. *βρύματα.*) *μήκων μανδραγόρας, οἶνος, αἶρα.* i. e. *Hæc autem vel somnifica ipsa indicant. Omnia enim sive poculenta, gravedinem capiti adferunt: ut papaver, mandragora, temetum, lolium.* Hoc quotidie confirmat Tinctura nostra paregorica ad ℈j. 1. halb Drachma plus minus cubitum ituris porrecta; colicos enim aliosque dolores non solum mitigat, sed somnum egregie quoque conciliat.

§. 100. *Animi pathemata* possunt & longum & brevem; immo nullum, item inrerruptum facere somnum. Exemplum nullius ex Zelotypia in Mæcenate supra e *Seneca.* Curæ, iræ, amor, terror quantum dormientibus detrahant, vel noceant, in propatulo est.

§. 101. Nos sequamur (quantum poterimus unquam) exemplum Divini *Platonis*, qui (uti scribit *Cæl. Rhodig* l. 30. L. A. c. 9. antiq. Edit. ap. *Quercet.* Diætet. Polyhist. f. 2. c. 9. p. m. 237.) non plus dormire solebat, quam quod satis esset ad evitandam ex nimia vigilia malam habitudinem. Ceteros etiam admonere solebat, ut nocte surgerent ad res tum publicas, tum privatas obeundas.

§. 102. Ceterum hæc sufficiant: & sicubi in somnolenta materia acumen ingenii fuit obnubilatum, mirum esse ne credas, cum ipse Argus, qui

centum

centum luminibus cinctum caput habebat, permiserit tandem ap. *Ovid.* Met. lib. 19. 1.

— — — omnes
Succubuisse oculos, adopertaque lumina somno.

Imo secundum *Horat.* de Arte Poet. v. 359.

— — quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum opere in longo fas est obrepere somnum.

BREVIARIUM.

S*Omnus, vigiliæ, si excedunt, nocent.* 2. *quia, ne quid nimis.* 3. *probatur aliis.* 4. *somni encomium.* 5. *utilitas in vitali facultate.* 6. *an magis calefaciat?* 7. *mitigat tamen æstum & sitim.* 8. *concoctionem juvat.* 9. *controvertitur.* 10. *probatur tamen* 11. *digerit* 12. *chylum distribuit* 13. *sanguificat* 14. *nutrit* 15. *sanguinem placat* 16. *facultatem animalem juvat* 17. *spiritus reparat* 18. *tumultuantes mulcet* 19. *animum recreat* 20. *& sensus* 21. *prodest evacuationibus* 22. *& laboribus* 23. *somnus est Medicus* 24. *juvat cogitationes* 25. *& plura præstat* 26. *omnibus prodest animalibus* 27. *necessarius etiam ante lapsum* 28. *Excedens nocet, maxime lucubrationes* 29. *nullus est in ἀγρυπνία* 30. *& ita cruciat, ut inter tormenta referatur* 31. *de palpebris abscissis, ut & M. Attil. Regulo* 32. *Vigilia 3. mensium* 33. *sex mensium* 34. 14. *mensium* 35. *Mæcenatis 3. annorum* 36. *sex annorum* 37. 10. *annorum* 38. 35. *annorum* 39. *per omnem vitam* 40. *somnus nimius in aff. soporosis* 41. *in gulosis* 42. *noxa ejus* 43. *morti assimilatur* 44. *etiam a Poëtis* 45. *somnolenti vocantur sepulti* 46. *mors somno assimilatur* 47. *Nox mater somni & mortis* 48. *mors a Christo somnus dicta* 49. *citius quid mors sit scitur, ac somnus* 50. *som-*

50. somnus 4. dierum 51. bimestris; ut in quibusdam animalibus 52. semestris 53. controvertitur 54. 7. ann 55. seqq. Epimenidis 62. Sieben-Schläffer *63. 5. dormientes alii 64. 7. alii 65. Endymionis perpetuo dormientis fabula 66. maleficium somnificum 67. sopor profundus Adami 68.* תרדמה quid? *69. an* ἔκστασις? *Quamdiu dormiendum? 71. a 6. ad 9. horas 72. signa sufficientis somni 83. distinguitur 74. ob sexum 75. ætatem infantum 76. puerorum 77. juvenum 78. virorum 79. senum 80. senectus vigilax 81. ob temperamentum scilicet sanguineum 82. biliosum 83. phlegmaticum 84. melancholicum 85. ob habitum corporis 86. in ventriculo bono 87. in extenuatis ac obesis 88. ob vitæ genus 89. in Cæsare & Electore 90. in Duce militum 91. in Literato 92. in Nobili Juvene 93. in Opifice & Rustico 94. ob tempus anni 95. ob diætam 96. ob ebrietatem 97. ob consuetudinem 98. ob statum valetudinis 99. ob assumta 100. ob animi pathemata 101. sequamur Platonem 102. deprecatio errorum.*

SATYRA DECIMA NONA DE OVIS PASCHALIBUS

Von Oster-Eyern.

§. 1.

VArii variis in Germaniæ nostræ locis errores hodienum foventur, qui tamen antiquitate se tueri volunt. Huc forte non male retulerim *Ova Paschalia*, die Oster-Eyer, quando scilicet ipsis Paschatis feriis tam ruri, quam urbe ova ad duritiem cocta, non solum nude ita exhiben-

hibentur; sed variis quoque coloribus insigniuntur, præcipue violaceo, rubro, luteo, viridi, versicolore, appictis variis figuris, lemmatibus &c. Inde & in Saxonia die schönen Eyer, roten oder gelben Eyer appellantur. Huc forte respexit *Erycius Putean.* in Ovi Encom. f. m. 423. a. inquiens: Ovum *est candidum, & omnes tamen colores admittit: Scribi potest, pingi potest, tingi potest; & nunc flavum, nunc rubrum, nunc cœruleum patrii ritus faciunt.*

§. 2. Talia non solum susceptores e Baptismo susceptis suis mira, uti sibi persuadent, benevolentia donant atque offerunt: Sed & Amici sibi invicem, amasiis amantes &c. De Russorum Paschatos festo ita *Olearius* in seiner Persischen Reisebeschreibung f. 134. & 290. (ap. *Dietherr.* in Orbe Novo lit. f. 493.) Wenn sie auf der Gassen einander begegnen, grüssen sie sich mit einem Kusse auf den Mund und sagen: Christus ist auferstandan; darauf antwortet der andere: Er ist wahrhafftig auferstanden. Es wird auch niemand einem andern einen solchen Kuß und Gruß neben einen gefärbten Ey weigern. Consentit *Jo. Georg. Schleising* in Beschreibung beyder Czaaren Jivan und Peter Alexowiz cap. 4. pag. 71. ubi ita: Am Oster-Fest wird ein jeder, an der Czaaren Hand gelassen, (wie sie es also nennen) selbige zu küssen, wer da nur dazu kommen kan, und empfähet ein jedwe der von dem Czaaren ein rothes Ey; auch kan man die allervornehmste Frau mit Darreichung eines rothen Eyes zu dieser Zeit auf öffentlicher Gasse küssen, mit diesen angehängten Worten: Christos wos gresti, das ist, Christus ist auferstanden, worauff

auff, sie mich wieder küsset, mit dieser Antwort: Woistin wos gresti, das ist, er ist wahrhafftig auferstanden.

§. 3. Cum autem aliquibus in locis generali quidem nomine die Oster-Eyer susceptis offerantur commutata in alia & sæpe pretiosa donaria, vestes puta; aurum, argentum &c. ideo Magistratus non male illum malum compescuit morem sub mulcta, de qua videantur Dnn. JCti, & præcipue de publico bono Reip. Civilis & Litterariæ præclare meritus Nobiliss. Dn. *Ahasv. Fritschius* in supplem. Speidelio-Besold. f. m. 90. his verbis: Oster-Ey hohlen. In quibusdam locis, ut in Thuringiæ & Misniæ partibus usu receptum, daß die Kinder auf Ostern bey ihren Tauff-Pathen, das Oster-Ey, sive ut vocant, das schöne Ey hohlen. Alibi vero ist so wol das neue Jahr geben, als das Oster-Ey hohlen, sive den grünẽ Doñerstag austheilẽ, bey Straffe verboten. Vid. Ord. Pol. Elect. Saxon. de anno 1612. circa finem. Qua sub mulcta 10. thalerorum hoc prohibitum est, licet ob suetam officialium negligentiam male servetur. Ex eodem quoque allegat Doctiss. JCtus *Christ. Lud. Dietherr.* in Orbe Novo Literat. S. Continuat. Besold. f. m. 463.

§. 4. Originem horum ovorum plerique viri docti fatentur se ignorare. Conjecturæ tamen afferuntur. A Judæis aliqui repetunt: Hi enim in Paschatis sui festo inter alias vanissimas ceremonias habent quoque ovum ad duritiem coctum symboli loco. Ita enim scribit *Anton. Margaritha* in lib. der gantze Jüdische Glaube &c. lit. D. August. Vindel. 1530. Sie nehmen ein hart Ey, das solle auf

auf die Opffer der Feste deuten. Allegante Nobil. *D. Dietherr* l. t.

§. 5. Aliqui Ethnicismum sapere volunt, *Danhauer* im Evangel. Denckmahl: Orat. in Festo Paschatos p. m. 352. his verbis: Es haben vorzeiten die blinden Heyden umb diese Jahrs-Zeit herum ihre Ludos Circenses, Eyer-Fest und Eyer-Spiel gehalten, da sie denn bey den Eyer Götzen (Castor und Pollux, ovo prognati ab uno, a Jove - Cygno in nido Ledæo) zu ehren in circo ovali, in einem Eyer runden Platz um die Eyer in die Wette gelauffen, (von welcher Oster-Fastnacht noch auch unter uns Christen, deren Ruhm nicht fein ist, ein Sauerteig überblieben, daß man auch auf den Ostermontag um die Eyer lauffet) Das Papstuhm hat auch seinen Chrisam daran geschmieret, und geordnet, daß, nachdem man bißher 40. Tage lang sich des Fleisches und Eyer enthalten müssen, und nunmehr auf den Ostertag der Paß, Fleisch und Eyer zu essen, geöffnet, daß man die Eyer in die Kirche tragē, und mit abergläubischen Ceremonien weihen solte, sind lauter lappalia.

§. 6. A jejunio quadragesimali ortum conjicit quoque Maxime Reverendus atque Excellentissimus D. D. *Joh. Lud. Fabritius*, Theologus incomparabilis, Fautor & Collega noster honoratissimus, in doctissimis suis ad me litteris 2. Maji 1682. Quamvis enim (ait) hodie propter generalem dispensationem concessum sit, illo tempore ovis vesci, olim tamen severe prohibebatur. Synodus enim CPna in Trullo habita Can. 56. tam Laicis, quam Clericis serio injungit, ut abstineant per Quadragesimam

non

non solum carne, sed & lacte & ovis. Et d. 4. c. 6. repetitur Gregorii I. Capitulum ad Augustinum Anglorum Episcopum, cujus tenor hic est: *Par esse, ut quibus diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus, quoque quæ sementinam carnis originem, jejunemus, lacte videlicet, caseo & ovis.* Cum autem, finita hyeme, sub veris auspiciis gallinæ iterum incipiant parere ova quam plurima; quibus tamen usque ad Paschatos frui non licebat; magna eorum copia fuit asservata, quæ dein eo avidius & largius consumebantur. Aut forte illa ova ad duritiem cocta asservabantur, donec ipsis feriis illis integrum erat salva conscientia, utut non salvo stomacho; quæ dein quoque sacerdotibus aliisque poterant donari.

§. 7. Nec adeo abludit *Rodolph. Hospinianus* de Origine Festorum Christianorum f. m. 65. ita scribens: *Feria illa, quæ proxime sequitur Dominicæ Resurrectionis diem, Germanice* der Ostermontag, *multis in regionibus convivia agitantur, quæ fere ovis & mellitis quibusdam libis coctis atque placentis constant. Et pluribus in locis, cnm scholastici hymnum illum canunt:* Christe qui lux &c. *Tum cetera quoque turba puerorum & puellarum ostiatim ova colligunt, ab iis maxime, qui eos e sacro fonte levarunt, & illa tum simul comedunt, quod vulgo* Oesterlen *vocant. Ipsa vero Ova sic collecta, tantum non emendicata* Zimpffeltag *vocant, quasi* Simboltag, *propterea quod illis ovis ceu symbolis collatis atque collectis una epulari consueverunt.* -

§. 8. Possit forte & huic conjecturæ locus esse, videlicet ova offerri, tanquam emblemata Resurrectionis. Item quia ex ovo omnia surgunt. Utar verbis *Macrobii* lib. 7. Saturnal. c. 16. dicentis: *Nec importune Elementis, de quibus sunt omnia, ovum com-*

comparaverim. In omni enim genere animantium, quæ ex coitione nascuntur, invenies, ovum aliquorum esse principium instar elementi. Aut enim gradiuntur animantia, aut serpunt, aut nando volandove vivunt. In gradientibus lacertæ & similia ex ovis creantur. Quæ serpunt, ovi nascuntur exordio. Volantia universa de ovis prodeunt &c. Videantur e recentioribus *Harvejus, Hornius, Graf, Swammerdam, Kerckringius, Bartholinus, Garmannus* aliique (de ovario mulierum egimus Sat. Med. Contin. 4. §. 2. Anno 1674.) qui & ipsum hominem, & omnia animalia (imo addo ego: Omnia corpora viva, in specie plantæ quoque vid. *Marcell. Malpigh.* in Anat. Plant. & præcipue *Lucam Tozzi* Medicinæ Parte priori tit. 1. p. m. 2.) ex ovo generari recte statuunt. Et quomodo æternitatem ex ovo discere possimus, e *Puteano* allegat CL. *M. D. Omeisius*, in Prolus. Acad. 4. p. m. 115.

§. 9. In Germania Superiore; Palatinatu nostrate, Alsatia & vicinis locis, ut & in Westphalia vocantur hæc ova **die Haaen-Eyer** a fabula, qua simplicioribus & infantibus imponunt leporem (**der Oster-Hase**) ejusmodi ova excludere, & in hortis in gramine, fruticetis &c. abscondere, ut studiosius a pueris investigentur, cum risu & jucunditate seniorum. Conf. omnino CL. *Christ. Franc. Paullini* Lagograph. Curios. Sect. 2. cap. 1. pag. 231. Et revera sæpe leporum, h. e. imprudentium nomine possunt venire, qui ejusmodi ovis expositittiis non solummodo jocos quærunt; siquidem sæpe cum illis ovis pueri valetudinis suæ magnam inveniunt jacturam, quando dein, semoto arbitro, ista justo avidius per ingluviem ingurgitant, sine sale, butyro, aut alio condimento; adeoque dolorem voluptate sibi coëmunt, ceu jam ab aliquot annis multis

edoctus sum experimentis. Hac igitur vice conabor quædam de intempestivi istorum esus noxa edisserere; utut rarissimos habeam, quos hoc in passu præeuntes sequi possim.

§. 10. Monachus qvidam Franciscanus, cum in Festo Paschatos collecta ova a se ad duritiem cocta, ad saturitatem edisset, adstricto ventre, qui neque clysteribus, neque medicamentis cederet, obiit; ceu scribit *Brasavolus*, allegantibus *Mœbio*, Inst. M. lib. 4. p. 2. c. 5. p. m. 496. seq. & *Jonst.* in Hyg. p. m. 160. seq. Causæ hujus mali inferius allegabuntur. Ac. Phil. auct. C. 7. H. 38. pag. 924. ait: **Zu Neomegen hat einer zur österlichen Zeit ein rothes Ey gantz wollen hineinschlucken, es ist aber das Ey zu groß, und sein Halß zu klein gewesen, daß er alsobald daran erstickct.**

§. 11. Ante hos 15. annos vidi Argentorati puellam 6. annorum e nimio durorum horum ovorum esu primo in contumacem alvi obstructionem incidisse; inde tormina, urinæ suppressio, ructus nidorosi, præcordiorum anxietas, dyspnœa, calor & sitis vehemens; adeo, ut anxii parentes a convulsionibus & filiæ interitu sibi timerent, medicumque sub noctis meridiem evocarent. Nec causa tam repentini mali poterat tam prompte inveniri, nisi a vicina succurrente ingluvies illa fuerit detecta. Clystere itaque emolliente adhibito, mirus imber, bombis & stercoribus permistus depluebat, sensim sensimque remittentibus symptomatibus reconvalescebat.

§. 12. A. C. 1669. Ricovillæ A. K. filius decennis plurima ejusmodi infarsit ova, unde diarrhæa cum tenesmo & sanguinis mucique excretione instar alicujus dysenteriæ; appetitus erat prostratus, sitis immodica. Igitur per analogismum ea, qua dysenteria, methodo malum curabatur. Hoc quidem

non

non est novum, ovo sorbili alvum solvi, cum solemniter hoc fiat, & exemplum Illustris mulieris allegat *Marc. Donat.* lib. de Mechoac. Joannisque Monardi exemplum, (hic sumto ovo sorbili quinquies sexiesve excrevit) legitur apud *Brassavol.* lib. de Medic. Purg. citante *Schenckio.* Sed ova dura hoc heic effecisse mirum videatur. Hinc *Alex. Bened.* lib. 19. c. 33. de Cur. Morb. apud *J. Schenck.* lib. 3. obs. f. m. 401. vidit fœminam ovo indurato commanducato decies alvum citatam exonerasse, quod aliis ventrem adstringit. Additque: *Unde hæc antipathia?* Verum in puero nostro vitiosis humoribus sat pleno, quod e scabie capitis, totiusque patebat; idque verno tempore, ubi humores solent turgere, facile potuit fieri ejusmodi humorum perturbatio & lucta, præcipue quando aquam superbibit.

§. 13. Memini quam plurima alia, quæ copiose olim & nuperis quoq; feriis suggesta fuere: Sed cum similia in promtu fere omnibus sint, illis allegandis supersedebo; inq; medium saltim producam veritatis testes, qui olim jam usq; huc non solum damnarunt ova frixa & assa, (suffocata laudantur ab his, culpantur ab illis) sed & ad duritiem cocta, adeo ut nihil boni præstent, præter tremula atque sorbilia.

§ 14. *Ova frixa* in sartagine (*C. Hofmann* Inst. Med. 5. 21. 4. Eyer in Schmaltz eingesetzt vocat) parantur vel integra, gebackene Eyer, sive cum farina, cepis, petroselino &c. Eyerkuchen, de quibus ita *Mœbius* Inst. l. 4. p. 2. c. 5. p. m. 497. *Ova cum flore siliginis mixta, & in placentam, quam vulgus* Eyerkuchen *vocat, redacta sunt insaluberrima, & in obstructionibus excitaudis efficacissima.* In Misnia vocantur Schafkuchen, vel frixa cum butyro in sartagine

tagine fiunt in pultis formam redacta, gerührte Eyer, aliis zerfahrne Eyer, gebackene Eyer. Agitata, eingerührte, dicuntur *C. Hofmanno* l. a. Græcis audiunt τὰ γηνιςὰ ἢ τηγανιςὰ; ſcilicet quæ ἐν ταγήνῳ ἢ τηγάνῳ in ſartagine frixa, uti inquit *M. Sebiz.* de Alim. l. 3. c. 12. p. m. 941. Conf. de hac voce *Henr. Stephani* Theſ. Græc. Ling. tom. 3. f. m. 1460. ſeq. *Joh. Scapul.* Lex. Græc. f. 1616. & ante hos *Varinus Phavorinus* in Lexic. f. m. 1727. (Edit. Baſil. 1538. in Fol.) Eadem leguntur in Etymol. Magn. f. m. 743. *Jul. Pollux* Onomaſt. l. 10. c. 24. f. m. 480. & præcipue l. 6. c. 13. f. m. 291.

§. 15. *Frixa* iſta quantum noceant, patet ex illis, quæ habet *Simeon Sethi* de Alim. lit. Ω. 1. p. m. 151. Τὰ δὲ τηγανιςὰ (inquit) χειρίςην ἔχει τὴν τροφὴν, καὶ ἐν τῷ πέπτεϑαι κνισσᾶται, καὶ χυμὸν ἀπογεννᾷ παχὺν, καὶ περιττωματικόν τε, καὶ μυχϑυρόν. i. e. vertente *Mart. Bogdano*: *Quæ porro in ſartagine friguntur, peſſimi ſunt alimenti. Nam dum concoquuntur, nidorem acquirunt, craſſumque ſuccum excrementitium inducunt.* Idem jam ante dixerat *Galen.* *l.* π. εὐχυμίας καὶ κακοχυμίας *c.* 4. *f. m.* 354. de ovis, hiſce: Τὰ μὲν γὰρ ταγηνιζόμενα, καὶ κακόχυμα γίνεται, καὶ τὴν ἐν τῇ γαςρὶ πέψιν ἔχει κνισσώδη, συνδιαφϑείρουσαν ἑαυτῇ καὶ τ' ἄλλα σιτία h. e. vertente *Andr. Lacuna* f. m. 406. *Frixa vero mali ſucci, fumoſæque in ventriculo coctura exſiſtunt, ſecum etiam corrumpentes admiſtos cibos.* *Ettmüller* in Prax. General. cap. de Chyloſ. Læſionibus p. m. 44. ait: Præ ceteris hoc (cruditatem ventriculi nidoroſam:) illuſtrant ova, quibus vix quidquam citius quemcunque nitorem contrahere obſervatur. Hinc etiam eadem ad duritiem

eo-

cocta brevi tempore post nitorem eructant. Deinde facillime *Ova frixa* cum butyro, alcali nempe ovorum copiosum agit non solum in proprium oleum, sed simul in abundantius adjectum butyrum, unde hujus additi ratione & acidum stomachi magis obtunditur, adeoque ejus activitas tunc enervatur: ita simul parili ex ratione & nitoris vis intenditur. His ratione & experientia confirmati, adstipulantur; & pro omnium pessimis habent *Aetius* tetr. 1. Serm. 2. c. 134. f. m. 87. *Paul. Ægineta* l. 1. c. 83. *Oribas* l. 2. Collect. Med. c. 45. f. m. 223. it. Synops. l. 4. c. 14. f. m. 64. & iterum *Galen.* l. 3. de Alim. Fac. c. 22. ex *Isaac* fuse comprobat *Anton. Gazius* in Florida Corona c. 114. f. m. 64. a. *Nic. Massa* Epist. 3. c. 6. p. m. 32. a. *Savanoroll.* Pract. Major. tr. 2. c. 2. f. m. 21. rubr. 5. *Pisanellus* de Alim. Fac. p. m. 173. *Sennert.* Inst. Med. l. 3. p. 1. c. 3. p. m. 777. *Beverovic.* Thes. Sanit. p. 1. c. 15. f. m. 150. *Joh. Bapt. Sylvaticus* Controv. 11 f. m. 56. *Capivac.* Pract. l. 6. c. 28. f. m. 892. *Plempius* de Valet. Tog. Tuend. c 4. p. m. 193. *M. Sebiz.* l. a. p. m. 946. *Swalve* de Ventric. Querel. & Opprob. p. m. 146. *Bruyerin.* l. 15. c. 83. p. m. 639. *Jonston.* Hygien. p. m. 160. *Lud. Nonnius* de Re Cibar. l. 2. c. 38. p. m. 281. Quibus accedit *Mæbius* Inst. Med. l. a. p. m. 497. ita totam rem in compendio repetens: *Omnium pessima sun τηγανιςὰ, id est, in sartagine cum oleo vel butyro inspissata, oleum enim & opera in hac ovorum præparatione perditur, um exinde egregia virtute nutriendi exuantur, a errime coquantur, facillime in nitorem convertantur, ardorem stomachi & anorexiam excitatura.*

§. 16 *Suffocata ova* Græcis πνικτὰ, *Hermolao* ἐξαφητὰ, teste *Jonston.* (forte ἐξαφθὰ) Germ. erstöckte Eyer, *Casp. Hofmann.* verlohrne Eyer ap-

pellat Inst. Med. 5. 21. 4. Horum modum parandi ex *Galen.* 3. de Alim. Fac. 22. *Oribas* l. 2. Coll. Med. c. 45. & *Aetio* tetr. 1. serm. 2. c. 134. docet *M. Sebiz.* de Alim. l. 3. c. 12. p. m. 941. Habet quoque *Ægi-net.* l. 1. c. 83. it. *Bruyerin.* l. a. *Theod. Angelutius* Art. Med. l. 2. c. 4. p. m. 101. a. Quomodo vero nostris temporibus parentur, habent *Bruyerin.* l. d. *Lud. Nonnius* de Re Cibar. l. 2. c. 38. p. m. 280. *Sennert.* Inst. l. d. *Plempius* l. a. p. 193. *Jonston.* Idea Hygien. p. m. 159. ait: *Hodie rupto putamine liquefacto butyro injiciuntur, & igne molli cooperculo superimposito coquuntur. Sic vitellis medium obtingit, albumine peripheria cingitur.* Credo inde ab aliquali similitudine heic vocari Ochsen-Augen. Alias Eyer in Butter geschlagen. Imo communiter eine Pfanne oder Schüssel mit Eyern. Hucque apte referuntur, quæ in acetum & butyrum calefactum effracto putamine ita projiciuntur, sale, zingibere condiuntur, in Saxonia, saure Eyer, quæ postero die mane ad corrigendam pridianam crapulam, appetitumque restaurandum comedere solent. Imo hæc renum & vesicæ ulcera mirifice tollere, quibusdam traditum, ceu refert *Jonston.* Idea Hygien p. m. 159. *Henr. Warenius* Nosolog. Hermet. & *Galen.* Disp. 20. §. 26. pag. 208. de dysenteria ait: Sic elixa ex aceto ova temperatus cibus censetur. In genere tamen suffocata laudantur ab *Ægineta* l. 1. c. 83. *Simeon Sethi* d. Alim. p. m. 151. *Theod. Angelutio* Art. Med. l. 2. c. 4. p. m. 101. a. *Beverovic.* Thes. Sanit. p. 1. c. 15. f. m. 149. seq. *Capivacc.* Pract. l. 6. c. 18. f. m. 892. *Joubert.* Med Pract. l. 1. c. 2. f. m. 344. *Plemp.* de Valet. Tog. T. c. 4. p. m. 193. Videntur tamen ad nobilitatem sorbilium ac tremulorum (de quorum usu apud infantes laudabili

Simon de Vallambert de la maniere de noutrir & gouverner les Enfans des leur naissance livre 2. chap. 12. §. 6. p. m. 147.) minus accedere, præterea robustum ventriculum requirunt.

§. 17. *Assa Ova* sub ciner ibns, *Galeno* Ὀπτὰ; male audiunt ap. Medicos, & ad duritiem coctis pejora æstimantur. Testem adduco *Galen* l. 3. π. τροφῶν δυνάμεως c. 22. f. m. 343. dicentem: Τὰ δ᾽ ἑφθὰ καὶ ὀπτὰ καὶ δύσπεπτα, καὶ βραδύπορα, καὶ τροφὴν παχεῖαν ἀναδίδωσι τῷ σώματι. Τούτου δ᾽ ἔτι μᾶλλον ἐστὶ βραδυπορώτερά τε καὶ κακοχυμώτερα, τὰ κατὰ θερμὴν σποδιὰν ὀπτηθέντα. Consentiunt *Ætius* Tetr. 1. Serm. 2. c. 134. f. m. 87. & *Simeon. Sethi* l. a. p. m. 151. hisce: Τούτων (sc. ἑφθῶν) δὲ ἔτι μᾶλλον κάκιω τὰ ἐν θερμῇ σποδιᾷ ὑπεροπτηθέντα, id est vertente *M. Bogdano*: *His tamen* (coctis sc.) *adhuc pejora sunt sub cineribus calidis assata.* Adde *M. Sebiz.* de Alim. l. 3. c. 12. p. m. 946. *Sennert.* Inst. Med. l. 3. p. 1. c. 3. p. m. 777. *Joh. Guinther.* in Vet. & Nov. Med. comm. 2. dial. 1. f. m. 8. *Joh. Mich. Savanarola* Pract. Maj. tr. 2. c. 1. f. m. 21. rubr. 5. *Beverovic.* l. a. *Jonston.* Hygien p. m. 160. Ratio est, quia assum ovum fumosi quid assumit, ceu scribit *Abvali Ibn-Tsina* Can. Med. l. 2. tr. 2. c. 2. f. m. 76. a. & b. scil. exhalat tenuior & spirituosa pars ovi, nativamque humiditatem amittit, dumque vim ignis patitur majorem, facile empyreuma assatione acquirit, ceu ex *Isaac* docet *Anti Gazius* in Florid. Coron. c. 114. f. m. 63. b. & *Lud. Nonn.* de Re Cibar. l. 2. c. 38. p. m. 280. Pertinent huc *ova lusitanica*, seu les

Oeffs à la Portugiese; talia *A. 1700.* mense Octobr. comedi Hafniæ apud Illustriss. Gallicum Legatum Dn. Comitem de Chamilly; cujus jussu sacerdos eju, *Petrus Robbinet* Jesuita, talem mecum communicavit eorum conficiendi modum: In pelvi prunis imposita diluitur & liquatur quarta saltem pars libræ sacchari cum 4. scyphis communibus vini quam optimi; adduntur 2. vel 3. laminæ orbiculares citrei recentis cum suo succo, aliquid ex cortice citrei condito & sicco rapa detractum 3. aut 4. grana cariophylli, tantundem cinnamomi denique piper & sal quantum satis est. Coquuntur illa omnia simul donec evadant in syrupum spissiorem; ex quo deinde ope cochlearis extrahuntur citreum recens caryophyllum & cinnamomum. In defrutum sic præparatum injiciuntur vitelli ovorum 12. prius in alio vase sine allumine soluti ac perpetuo versantur cochleari, donec commixti cum syrupo concrescant sufficienter ut in lancem effusi hæreant instar massæ cujusdam planæ. Sic extensi operiuntur superficie albuminis soluti ac penitus diluti. Denique palâ candente ad spatium unius digiti admotâ colorantur & levi crustula involvuntur.

§. 18. Jam consideranda veniunt ipsa *ova paschalia*: hoc enim nomine appellantur Italis ova dura quod scil. die Paschatos sacerdoti benedicenda offerantur, ceu scribit *Jonston* Idea Hygien. p. m. 158. Germanis harte, oder hart-gesottene Eyer; Gallis œufs durs, teste *Quercet* Diæt. p. m. 420. Græcis ἑφθὰ, vid. *Symeon. Sethi* de Alim. lit. Ω p. m. 151 *Galeno* ἑφηθέντα dici scribit *Jonston.* l. a. quod

quod tamen nullibi invenire potui, nisi sit sphalma typographicum. His opponuntur ὠὰ ὠμὰ, ova cruda ceu ex *Athenæi* l. 4. adducit *Henr. Stephanus* Thes. Græc. Tom. 4. f. m. 785.

§. 19. Ova hæc videntur laudari a *Dioscorid.* l. 2. c. 54. hisce: Ὠὸν τὸ ἁπαλὸν τροφιμώτερον τοῦ ῥοφητοῦ; καὶ τοῦ ἁπαλοῦ τὸ σκληρόν. i.e. *Ovum molliculum plus alit, quam sorbile itemque durum plus quam molle*: ita allegante *Joh. Rhodio* Nott. ad Scribon. Larg. p. m. 173. Verum in Edit. Lat. interprete *Joh. Rvellio*, Lugd. ap. Theobald. Paganum 1547. in 12. invenitur l. 2. c. 42. p. m. 122. Atque in Edit Græc Lat. Marcell. Vergilii, Colon. ap. Jo. Soterem 1529. in Fol. in Græco est κεφ: σμϛ: in Latino c. 44. f. m. 194. Confer ad h. l. *Marcell. Vergil.* f. m. 195. & *Hermol. Barbar.* Coroll. ad Diosc. l. 1 n. 254. f. m. 27. a. Sic *Abvali Ibn-Tsina* Can. Med. l. 2. tr. 2. c. 2. f. f. m. 76. a. statuit ovum ad duritiem coctum copiosum præstare alimentum. Hucque forte respexit *Corn. Celsus* l. 2. de Re Med. c. 18. inquiens: *Ovum durum valentissimæ materiæ est, molle vel sorbile imbecillissimæ.* Et mollibus plus nutriri scribit *Jonston.* Hygien. p. m 160. his quoque plerosque delectari scribit, *Bruyerin.* de Re Cibar. l. 16. c. 83.

§. 20. Quidquid sit, undiquaque male audiunt ista ova, *Galen.* l. π. εὐχυμίας καὶ κακοχυμίας f. m. 354. (Edit. Græc. Basil. in Fol. 1538.) ait. Παχύχυμοι δὲ εἰσὶ καὶ αἱ κοχλίαι, καὶ τῶν ὠῶν ὅσα μέχρι τελείας πήξεος ἕψουσι τε καὶ ὀπτοῦσι. h. e. Interp. *A. Lacunæ* f. m. 406. *Cochleæ crassi succi censentur:*

ſentur: itemque ova, quæ vel elixa vel toſta penitus ſint denſata. Adde *Eund.* l. 3. de Alim. Fac. c. 22. Nim. difficulter concoquuntur, tarde tranſeunt, corpuſque alimento craſſo nutriunt, ceu *Oribas.* l. 2. Collect. Med. c. 45. ait, ita vertente *Joh. Bapt. Raſario*; *Oribas.* iterum l. 1. Euporiſt. c. 19. f. m. 584. ſtomachumque gravant; ceu eorum noxas teſtatur deteſtaturque *Paulus Æginet.* l. 1. d. Art. Med. c. 83. f. m. 45. interprete *Albano Torino* (Baſil. 1532. in Fol. ita inquiens: Reliqua (excipit ſaltim trementia & ſorbilia) ad unum omnia concoctioni obſtinate repugnant, & lentius per meatus excernuntur, craſſique omnino ſucci ſunt. Addantur *Symeon Seth* de Alim. lit. Ω. d. m. 151. *Ætius.* tetr. 1. Serm. 2. c. 134. f. m. 87. *Raſis* l. 3. ad Almanſor. ap. Michael. *Scotum* in Menſa Philos. l. 1. c. 24. p. m. 31. Abvali *Ibn-Tſina* Can. Med. l. 2. tr. 2. c. 2. f. m. 76. a. *Joh. Guinther.* d. Med. Vet. & Nov. comm. 2. Dial. 1. f. m. 8. *Savanorol.* l. a. f. m. 21. a *Victor Trincavell.* l. 1. conſ. 41. f. m. 115. *M. Sebitz.* l. a. p. m. 945. *Sam. Schoënborni.* Med. Pract. p. m. 140. *Bruyerin.* l. 15. c. 8. p. m. 638. *Quercet.* Diæt. Polyhiſt. ſect. 3. c. 6. p. m. 401. *Jonſton.* Hygien. p. m. 158. & 160. *Bernh. Swalve* Ventric. Querel. p. m. 146. *Lud. Non.* l. 2. de Re Cibar. c. 38. p. m. 280. *Ant. Gazius* Coron. Flor. c. 114. f. m. 64. a. Theod. *Angelutius* de Arte Med. l. 2. c. 4. p. m. 101. Edit. Venet. 1588. in 4) *Nic. Maſſa* Epiſt. Med. 3. c. 6. p. m. 32. a. *Sennert.* Inſt. l. 3. p. 1. c. 3. f. m. 777.

§. 21. Inprimis quibus ventriculus aut hepar

refertum eſt vitioſis humoribus, his minus conveniunt teſtibus *Sennert.* l. a. & P. *Zacchia* Quæſt. Med. Leg. Tom. 3. Conſ. 11. f. m. 16. a. *Mœbio.* Inſt. l. 4. p. 2. c. 5. p. 496. ex *Galen.* l. 1. de Rat. Vict. 10. ubi addit: In febb. cum intermittentibus, tum continuis, ut & in affectu hypochondriaco, ſcorbuto ictero & debilitate ventriculi non ſatis convenire. Eadem pituitam tenuiorem facere crasſiorem ſcribit *A. C. Celſus* l. 4. c. 2. hinc ſibi, qui craſſo moleſtantur phlegmate, it. dyſpnoici ab iis caveant. Eadem in Epilepſia fugienda jubet *Galen.* de Puero Epit. ap. *Mœbium.* In Jecoris inflammatione prohibet *Trallian.* l. 8. c. 1. p. m. 390. Edit. Baſil. 1556. in 8.) ſcribens: Τὰ δὲ ὠὰ παραιτεῖσθαι δεῖ, διὰ τὸ παχύχυμον αὐτῶν καὶ φυσῶδες i. e. vertente Joh. Guintherio; *Ova a. probibenda eo, quod craſſi ſint ſucci, & flatuoſi.* Nec mirum eſt, inquit *L. Nonnius* l. 2. d. Re Cibar. c. 38. p. m. 281. *Trallianum* in hepatis inflammatione damnare ova, qui animiò ejus viſceris incendio, facillime corrumpuntur, & quia natura ſua tenacitatem quandam habent in craſſiorem ſubſtantiam converti poſſunt. Verum hunc locum intelligi debere de frixis aut aſſatis, *Mercurial.* Pract. l. 3. 19. p. m. 426. quia alias contextus eſſet falſus: Quod tamen ego non video. καὶ φυσῶδες τι h. e. inflans ſeu flatulentum habere ovum, jam olim ſcripſit *Hippocr.* l. 2. π. διαίτης f. m. 25.

§. 22. Imo dura ova calculum generare ſcribunt *Piſanell* de Alim. Fac. p. m. 173. *Vict. Trincavell.* l. 3. conſ. 58. f. m. 491. Et *Ant. Gazius.* l. a. f. m. 63. b. (Edit. Lugd. 1514. in 4.) ait: *Nodatum*

autem

autem & durum, & lapidosum & patellatum malum est, & difficilis digestionis, humorem generat grossum, facitque oppilationem & lapidem in renibus & putrefacionem in stomacho & colicam movet passionem. Calculosis igitur denegant *Gr. Horst.* d. V. S. T. p. m. 65. & Inst. Med. disp. 20. coron. 2. §. 13. *Sennert.* Inst. p. m. 777. Hinc forte Horat. *Augen.* Epist. Med. Tom. 3. l. 7. c. 9. f. m. 274. ait: *Fit ovum coctum cum tremulum fit; secundo cum sorbile: qui duo gradus seu termini coctionis in ovo apparent facti per incrassationem humidi tenuoris aquei. Si vero postea nimis procedat elixatio a calore aquæ effervescentis emanans, dissolutis omnibus tenuioribus partibus & aëreis & igneis, totum fit torreum & durum, ac fere, ut lapis quidam, siccum. In quo statu non appellarem coctum, sed durum, torreum seu præcoctum.*

§. 23. Verum non tantum subesse periculum scribit *Swalve* de Ventric. Querel. & Opprobr. p. m. 146. dicens sub persona ventriculi: *Nec ex albo ovi licet duro protinus callosam gigno materiam: frivolus ille ac popularis error est.* Quod antea quoque statuerat *Quercet.* Diæt. Polyhist. s. 3. c. 6. p. m. 401. ita dicens: *Popularis quidam error est, albumen ovi sive indurati, sive in tremulum elixi, insalubre esse & noxium: calculoque generando occasionem præbere, quasi statim concrescat & in lapidem convertatur, quæ causa, cur multi ab ejus esu abstineant. Sed stultum est, inde lapidis generationem adstruere velle; sic enim eodem jure, vel potiori etiam, idem affirmari posset de crystallo, vitro,*

cortici-

corticibus ovorum, lapide Judaico, lyncis, pumicis, ſpongiis, oculis cancri, corporibus multo durioribus, & concretioni magis aptis: quæ tamen omnia adverſus calculum ſumma ſunt remedia. Sic judicandum quoque de duris meſpilorum oſſibus, de milio ſolis, aliiſque id genus, quæ vel ipſos lapides potius referunt, quam ſemina; & interim maximam calculi adterendi vim posſident. Imo, quis non videt contrariam plane albuminis operationem, in ſaccharo & variis ſalibus diſſolvendis, & ad ſolutionem promovendis. &c.

§. 24. Scio equidem *Albumen* præcipue male audire ap. auctores: difficile enim concoctu & craſſi glutinoſique ſanguinis parentem eſſe, ceu ex *Galen.* 1. ad Glauc. 9. habet *Joh. Bapt. Sylvatic.* Contro. 11. f.m. 6. *Ant. Gazius* Coron. Florid. c c. 112. f. m. 62. b. *Iſaac* & *Galeno*, *Jonſton.* Idea Hygien. p. m. 157. *Mœbius* Inſt. Med. l. 4. p. 2. c. 5. p. m. 496. *Sennert.* Inſt. Med. l. 3. p. 1. c. 3. p. 776. *Piſanell.* de Alim. Fac. p. m. 173. Credo ego tamen durum albumen præſtare luteo duro, hoc enim facile inflammatur & in fumos abit, dicente *Jonſton.* l. a. p. 156. probantque ructus ſulfurei, nidoroſi &c.

§. 25. Nimium horum ad duritiem coctorum ovorum eſum facere podagricos conteſtantur *Greg. Horſt.* d. V. S. T. l. a. p. m. 65. & Inſt. Med. l. d. *Sennert.* l. a. p. m. 777. aliique. Item nervorum atque capitis affectibus obnoxios; ID. ib. It. apoplexiæ atque paralyſi, *Sennert.* l. c. Lentiginoſam reddere faciem, ſcripſit *Piſanell.* de Alim. p. m. 172.

Alvi

Alvi facere conſtipationem ſuperius in Hiſtoriis allegatis vidimus, & comprobat *Ant. Gazius* c. 114. f. 63. b. præcipue vitellus aſſus *Abvali Ibn-Tſina* l. a. c. f. 76. a. Adde *Mæb.* Inſt. l. a. p. m. 496. *Jonſton*, Hygien p. m. 160. Maxime autem Colicam, ceu obſervatore *Thoma Veiga* refert *C. Hofman*, Inſt. Med. V. 21. 3. adde *Gazium* l. d. *Capivacc.* Pract. l. 6. c. 20. f. m. 892. *Beverovic.* Theſ. Sanit. p. 1. c. 15. f. m. 150. *J. B. Sylvatic.* controv. 11. f. m. 56. Sic illos, qui in dyſenteria ova durata & in acedo cocta præcipiunt, increpat *Mercurial.* Pract. l. 3. c. 28. p. m. 489. inquiens: (1) *Quia acetum mordicat inteſtina, & eo magis, ſi ſint ulcerata* (2) *ova indurata difficilia ſunt concoctu etiam athletis, multo magis ipſis ægris. Igitur propter hoc fit neceſſario, ut hæc ova in ægris corrumpantur inſigniter, ubi corrupta ſunt, quæ mala faciant, voſmet videre poteſtis. Quare etſi uſus hic ſit veterum, a me tamen probari non poteſt.*

§. 26. An in febribus conveniant ova; plurima ap. magni nominis Medicos fuit diſceptatio. *Febres nulla præparatione tolerant ova*, ſunt verba *C. Hofmanni* Inſt. Med. v. 21. 4. *Savanorol.* Pract. Maj. tr. 2. c. rubr. 5. f. m. 21. a. Hinc. Læl. a *Fonte* conſult. Med. v. p. m. 45. difficulter concedit in declinatione acutarum febrium, tanquam in curatione extraordinaria in gratiam virium. Eadem quoque noxia in principio pronunciat *Gr. Horſt.* l. a. Verum febrientibus dari poſſe contra *Cardanum* pluribus probat *Garcias Lopius* Var. Lect. Med. c. 20. (allegante *Zacut.* Lus. l. 1. Med. PP. Hiſt. q.

28. f.

28.f.m.99.) nec præfracte negat *G.H.Velcſbius* decad. 3. curat. 1. p. m. 118. Sic *Rolfinc.* Meth. Med. Spec. Comm. l. 14. ſ. 1. c. 16. p.m. 984. ſcribit: In febb.Ephemeris hecticis & putridis intermittentibus dictis,omnium fere judicio eſſe innoxia. Et l.4. Conſ. Med. 7.p. m. 463. cenſet in febb.convenire tremula, ſorbilia, ſorbilia, guttis aliquot ſpir. Vitriol. alterata, Conf. *Caſp.Bravo* Reſolut. Tom. 1. *Jonſton.* Hygien p. m. 459, *Swalve* in Ventric. Querel. & Opprobr. p. m. 146. In iis ut & in aliis morbis calidis rationem reddit *Voglerus* Comment. Diæt. c. 15. p. m. 67. Scil. ſorbilia magis, dein tremula concedit *Mercurial.* Pract. l. v. c. 8. p. m. 698. non autem dura, quod fecit etiam *Galen.* 1. ad Glauc. 9. adde *Mercurial.* l. a. c. 16. p. m. 775. De uſu vitellorum in febribus *Moccha* Conſ. 115. f. 157. *Mundell.* Epiſt. 29. f. 295. ap. Excell. D.D. *Seb. Scheffer.* in Moron. p. m. 340. Quidque hac de re ſtatuendum ſit, fuſius perſequuntur, qui videantur *I. B. Sylvatic.* Controv. 11. f. m. 56. ſeqq. *Argenterius* in Art. Med.Gal. c. 26. f. m. 454. item que *Joh. Nardius* Noct. Genial. v. p. m. 357. ſeqq. Scil. maxima adhibenda eſt cautela, tum ratione ægri, tum ratione morbi; tum ipſorum ovorum ratione in tempore, quantitate, præparatione & modo.

§. 27. Hæc & alia plura mala progenerare poſſunt ova dura; ut ideo non mirum ſit, eo iſta olim ab Ebræis damnata, ut eſſent cibus lugentium, ceu probat. D. *Mart. Geier.* de Luctu Ebr. c. 6. §. 22. Revera ova iſta dura Paſchalia multis luctum pe-

pererunt,

pererunt. Paucis eorum noxam colophonis loco probabo verbis *Val. Henr. Vogleri.* Diæt. Comment. c. cap. 15. p. m. 67. ajentis: *Quod si in duritiem usque protracta fuerit coctio non possunt amplius illam laudem obtinere, sed potius difficilis jam sunt concoctionis, nec ita magnam vim habent alendi, ut leniter elixa. Quin, si vera est fama, observatum fuit tale induratum albumen per longum tempus in ventriculo sine ulla digestione hæsisse. Quilibet sane, præcipue, qui debiliore fuerit ventriculo in semet ipso quandoque experitur, ejusmodi ad duritiem cocta ova ructibus etiam qualitates istas suas corpori nostro minus convenientes prodere.*

§. 28. Adstipulatur veritati *C. Hoffman.* Inst. v.21.3. qui, ubi rejecerat ova dura, addidit. *Quin debebat unumquemque absterrere fœtor, quem edunt cum acetariis in mensa apposita.* Interim tamen hoc tempore nihil videas frequentius, ac ova indurata, instar coronæ lactucæ imposita, ein Salat mit Eyern; imo injuriam fieri & lactucæ & comesturis nisi hoc diademate cingatur. Verum cum ipsa lactuca per se sit duræ digestionis, ut taceam, acetum æstuanti & præcipue bilioso stomacho admodum nocere, veluti & oleum commune; nescio, si ova super imponantur, annon sit malum malo cumulare?

§. 25. Hæc omnia, quæ in genere de ovis induratis fuere proposita, paschalibus cum in specie possint tribui, satis videbor in medium protulisse, eadem admodum nocere; & maxime pueris puellisque, alias rudibus in custodienda valetudine.

Accedit

Accedit quoque, ut interdum coloribus tingantur, quæ austera, acerba, imo quandoque maligna polleant qualitate, ut, dum imprudentius ista lingant pueri, simul malum sibi contrahant: quemadmodum novi amici cujusdam infantem pictoris cujusdam colores præparatos imprudentius degustasse, & paulo post inde mortuum summo cum parentum mœrore, qui hoc mihi retulerunt.

§. 30. Quibus igitur e comestis ovis paschalibus noxa aliqua valetudini accesserit, ea debita sua, ap. bonos practicos facile invenienda, methodo curetur. Si in ventriculo hæreant, vomitus proderit, si jam ad intestina devenerunt, potissimum clysteres, suppositoria; dein laxantia, item corrigentia. Summa, pro circumstantiis cura est varianda.

§. 31. Interim iste abusus esus ovorum usum non tollet, adeoque non tam absurdi sumus, ut sentiamus cum Americanis, de quibus *H. Salmuth* ad Panciroll. Tom. 2. tit. 1. p. m. 29. ita: *Americis nullus ovorum in cibo usus, quippe cum hæc pro venenatis habeant. Ideoque non obstupescunt tantum, si quis ova coram illis sorbeat: verum etiam acriter eum increpant, quod minime ferendum sit, ut quis gallinam in ovo comedens pullationem antevertat.*

§. 32. Tandem addo, metaphorice hanc denominationem ad alia quoque pervenisse: Sic CL. *Magn. Dan. Omeis.* in prolusionibus suis, 4ta nempe, pag. 106. seq. ova paschalia auditoribus suis offert post ferias paschatis. *Dav. Echlini* Scoti ova paschalia melle poëtico condita jucunde sapiunt non fastidioso stomacho, ait *Ol. Borrichius* Diss. 7. de Poëtis §. 193. p. 207. Qui plura de ovis curiosa velit, pervolvat oportet integrum Tractatum curiosum Excell. Dn. Lic. *Chr. Fried. Garmanni*, Medici apud Chemnicenses non solum, sed & in tota

Saxonia Celeb. Amici mei conjunctiſſimi, quem *Oologiam Curioſam* inſcripſit: Cui adde, quæ habet accuratiſſimus Vir, Daniæ ſuæ decus, *Eraſm. Bartholinus* in Actis Hafn. Vol. 1. n. 52. pag. 104. ſeq.

BREVIARIUM

INter abſurdos Germ. ritus ova paſchalia varii coloris 2. quibus data 3. commutata in pretioſiora mulctantur 4. origo a Judæis 5. ab Ethnicis 6. a Quadrageſima 7. Oſter-Montag, Oeſterlein, Zimpfelag *8. Ex ovo omnia viventia 9.* die Haaſen-Eyer *& eorum noxa 10. in Monacho 11. in puella 12. in puero 13. diviſio ovorum non convenientium 14. ova frixa 15. omnium peſſima 16. ova ſuffocata cum modo parandi, & uſu 17. ova aſſa 18. ova Paſchalia i. e. dura 19. laudantur 20. 21. improbantur 22. an calculum generent 23. negatur 24. albumen, quale in concoctione 25. ovorum durorum noxa ulterior 26. an in febribus ova conveniant? 27. uſus eorum ap. Ebræos, & noxæ probatio 28.* Salat mit Eyern *29. nocent quoque, quia tincta coloribus 30. curatio 31. concluſio cum refutatione Americanorum.*

SATYRA VICESIMA
DE
INCISU FRENI
SUB LINGUA.
Von Zungen-Löſen.

§. 1.

AEſopus aliquando a Xantho obſonatum ad forum miſſus juſſusque e macello, quod optimum & belliſſimum ſit, coëmere; nihil præter linguas bovillas domum detulit, ac in cibum paravit. Alia vice juſſus quod peſſi-

mum & deterrimum esset apponere, rursus linguas apposuit; docens sua calliditate herum & convivas, e lingua & optima & pessima posse provenire, ceu scribit *Joach. Camerarius* in Vita Æsopi p. m. 10. seq. Hoc etenim & sacra confirmat pagina Prov. 18. 21. *Mors & vita in organo linguæ sunt.* Ac suo more, hoc est docte, exprimit *Jac. Pontan.* l. 1. Miscell. hisce:

Haut lingua membrum est homini præstantius ullum,
Atque iterum nullum plus nocuum est homini.
Lingua gerit mistum dulci cum melle venenum,
Percutit, & blandam, si lubet, addit opem.
Quod ferrum nequiit, quod non potuere cobortes,
Sæpius effectum lingua diserta dedit.
Quod ferrum potuit, nec non potuere cohortes
Sæpius infectum livida lingua dedit.

§. 2. Ideo Naturæ sagacissima providentia videtur factum, ut linguæ in medio corpore inferius adnascatur ligamentum validum & membranosum, cujus extremitas frenulum, uti vocat ex *Arantio* & *Laurentio D. Bauhin.* Anat. l. 3. c. 89. p. m. 970. sc. *Arantius* de Fœt. Hum. & *Laurent.* l. 4. Anat. c. 21. ap. *I. R. Camerar.* Syllog. Memor. Cent. 6. Part. 24. p. m. 40. (aliis frenum, uti *Lindan.* in Physiol. §. 13. ligamentum, vinculum) non solum ad robur & stabilitatem, item ad insertionem propriorum musculorum, uti habent *Th. Barth.* A. R. l. 3. c. 13. p. m. 547. *Vidus Vidius* l. 4. de Valet. Membratim Tuend. c. 5. f. m. 188. *C. Bauhin.* Anat. l. 3. c. 89. p. m. 970. & præcipue *Galen.* de V. H. l. 11. c. 10. & ad h. l. *C. Hofmann.* f. m. 253. Sed & ut monimentum ita habeat homo ad linguam refrenandam.

§. 3. Quanquam autem homini lingua magis soluta sit, ac ceteris animalibus, ceu ex *Aristot.* 2. de P:

A. 17. probat *Vidus Vidius* l. 4. de Tuend. Valet. Membratim c. 5. f. m. 188. (de incisu tamen freni sub lingua in avibus loquacibus lege omnino *Th. Barth.* Act. Hafn. Vol. 1. obs. 49. p. 89.) nihilominus sæpe accidit, ut anterius pro glossis justo arctius subtus adhæreat, cum frenum istud illam adeo dein impediat, præcipue in recens natis, ut hi non recte possint sugere; *Blancard.* Chir. l. 1. c. 15. §. 1. imo maxime in adultioribus loquela vel impeditur vel saltim depravatur, *Blancard.* Chir. l. 1. c. 15. §. 1. (malum hoc Æginetæ est τὸ ἀγκυλόγλωσσον, ægri audiunt ἀγκυλόγλωσσοι, item μογιλάλοι, quia μόγις διαλέγονται, inquit Ætius, ceu ex *Budæo* allegat *H. Stephan.* Thes. Gr. Tom. 1. f. m. 41. Adde *Riolan.* Enchir. Anat. l. 4. c. 12. p. m. 314. *Bruno* in Lex. Med. p. m. 58. a. ex *Ægin.* 6. 29. uti & motus atque volutatio linguæ ad deglutitionem alimentorum valde necessaria, ceu hoc perhibent *Diemerbrock* Anat. l. 3. c. 24. p. m. 456. *Th. Bartholin.* A.R. l. 3. c. 13. p. m. 547. ut & quotidiana experientia. *Simon de Vallambert* de la Maniere de nourtir & gouverner les enfans des leur naissance, livre 2. chap. 7. §. 52. p. m. 52. Edit. Poittiers 1565. in 4to ait: Le filet sous la langue: Donques le palais de la bouche doit estre touche de miel, & le filet sous la couppé avec l' ongle du pouce.

§. 4. In recens natis si obstetrices observant ita exporrectum esse ligamentum istud, tunc abscindunt plerumque digitorum ope, ceu refert *Fallop.* Inst. Anat. f. m. 451. (Edit. Wechel. Francof. 1600. in Fol.) Digitum indicem ex *Aquapendente* ponit *I. Scultet.* Armam. Chir. Part. 1. Tab. 33. p. m. 67. Verum hoc in *Aquapend.* Operat. Chir. Part. 1. c. 36. p. m. 128 non invenitur, quin in genere ait de obstetricibus: *Passim in quocunque enascente infante*

te ungue, quem paratum & acutum ad id perpetuo gestant, incidunt *sub eorum lingua ligamentum, quod opus nisi præstarent, posse loqui infantem, nequaquam credunt.* *C. Hofmann.* Nott. ad Gall. 14. P. 10. f. m. 253. a. scribit: Se ex *Aquapendente* audivisse, obstetrices in quibusdam Italiæ locis gerere unguem pollicis dextri longum; sed in apicem cultri conformatum, quo subito, ac natus est infans, abrumpunt vinculum. Ungue obstetrices aliqua ex parte divellere frenulum, scribit *C. Bauhin.* Anat. l. 3. c. 89. p. m. 970. *Roonhuysen* Obs. Chir. 11. Omnibus Ferrar. l. 3. de Arte Med. Infantum cap. 34. agit de Incisione fileti sub lingua infantis p. m. 130. seq. his verbis: Si infans non expedite loqui poterit, propter id, quod vulgus filetum vocat non incisum quod nihil aliud est, quam vinculum nervosum, quod nisi in ipsa teneritudine curetur, impedimentum, loquelæ parit. Hoc genus morbi latine fibrarum linguæ colligamen, & Græce ἀγκυλόγλωσσον dicitur, & generatur a nativitate, natura diminuta; & alioquin etiam generatur ab aliqua cicatrice aut ulcere, de quo non erit oratio nostra. (*Aët.* l. 8. cap. 36.) Qui laborant hoc morbo a nativitate habent membranas inferiores, quibus lingua innititur duriores, & mutile a natura productas, & principio tarde in sermonem prorumpunt, ubi vero loqui cœperint, citra obstaculum, & satis festinanter loquuntur. Impediuntur tamen in prolatione nominum & verborum, quorum alias difficilis pronunciatio exsistit, veluti in quibus R. aut L. aut K. literæ frequenter occurrunt. Eximitur autem hæc affectio per solam Chirurgiam (*Aëtius* l. a.) illo instrumento chirurgico, quod a Græcis ἀγκυλότομον vocatur, sed mea quidem sententia in infantibus modo natis melius est, eam sensim diffuere, quam repente præcide-

cidere. Et deinde statim soluta lingua excitanda, & superillinendum est rhodomeli,& quando volueris incidere, linguam sursum attollere ad palatum oportet, etsi membranæ ipsæ causa curvitatis exsistant, in curvo uncino eas apprehensas & extensas exscindere, animadversione habita, ne simul subjacentes venas dissecemus. Ab opere autem patrato aqua frigida aut posca os colluat, postea inspergatur manna thuris; imponanturque linamenta convulsa, sequentibus vero diebus curetur ulcus collutione aquæ mulsæ, aut illitione unguenti Ægyptiaci, linamentis convulsis simul impositis. Sed hoc intelligendum est (ut arbitror) in adultis potius, quam in lactantibus infantibus. Obstetrices vero probæ statim post ortum infantis, solent hunc morbum numuli acie, aut unguibus, digitisve dissecare, & hoc tutius est.

§. 5. Miror autem, accuratos ceteroquin viros, *Fallopium & Bauhinum*, hoc silentio transisse, nec publice pessimum hunc morem in obstetricibus improbasse: Siquidem hoc perniciosum esse, nec admittendum, rectissime scripserunt *Barbette* Chir. Part. 1. c. 13. p. m. 52. *Ioh. Scultet.* l. a. p. m. 67. & P. 2. obs. 37. *Ioh. van Horne* Microt. Sect. 2. P. 1. §. 12. p. m. 123. *Th.Barthol.* A. R. l. a. *G. Hofmann.* Nott. ad Gal. de V. P. f. m. 253. a. *Camerar.* Syllog. Memor. Cent. 6. Part. 24. p. m. 38. aliique quam plurimi, ut *Blancard.* Chirurg. l. 1. c. 15. §. 2. p. m. 100. *Bruno* Lex. Med. f. m. 58. a. ubi quoque allegat Dec. 1. Ann. 3. Ephem. Germ. Cur. p. 576.

§. 6. Ridicula equidem ex parte est ratio hujus improbationis apud *Louys Bourgeois* Part. 1. im Hebammen-Buch c. 25. p. m. 131. quando inquit: Sie soll sich mit nichten unterstehen, das Band zu

Vr-

zerreissen, denn die Nägel an den Fingern sind gifftig, und möchte dem Kinde ein fressend Geschwär, als Krebs, oder anders im Munde verursachen. Quæ enim heic de unguibus dicit, esse nimirum venenatos, hoc facit cum superstitione plebeculæ, hoc ita esse, reputantis; imo & aliqui Chirurgi hoc credunt, ideo unguibus nolunt ullum ulcus pustulamve scabi; & alibi in Saxonia solent dicere: Die Nägel sind süchtig; hoc est, possunt inficere, aut malum inducere. Verum magna est differentia inter venenatum esse & noxium. Illud plane denegatur unguibus, posterius potest interdum concedi. Imo contingere potest, ut aliunde inficiantur, aut sordibus quibusdam coinquinentur, & tunc per accidens, non ex se, sunt noxii, sed insontes, ut reliquæ partes.

§. 7. Ad hanc tamen operationem nullatenus admittuntur; quia ita sæpissime vicinas partes lacerant simul atque disrumpunt. Hinc dolor & inflammatio, ita ut pueri lac sugere non possint, fiuntque morosi, extenuantur atque debilitantur, ceu hoc scribit *Guil. Fabric. Hildan.* Cent. 3. obs. 28. p. m. 392. & ex eo *C. Hofmann. ad Galen.* 11. de V. P. 10. f. m. 253. a. CL. *Seb. Schefferus* in Morono p. m. 267. b. atque *I. R. Camerar.* Syllog. Memor. Cent. 6. obs. 24. p. m. 40. adde *Joh. Sculteti* Armam. Chir. Part. 1. Tab. 33. p. m. 67. *Fabric. ab Aquap.* l. a. p. m. 129. dum ita inquit: *Ego vidi infantem nuper natum, qui diutius ita detinebatur, ut exspectarent secundas, qui neque plorabat, neque quidquam forte molestum persentiebat, cum vero obstetrix vinculum abscidit ungue sub lingua, statim ex dolore ploravit. Sed hoc minimum est; illud certe majoris momenti est, videlicet propter eam unguium Chirurgiam, inflammatione oborta, sæpe numero infantes*

papillam apprehendere nequeunt, neque lac sugere propter quam causam, vel in partum, vel simpliciter in impotentiam papillam apprehendendi, vel in quodcunque aliud, quam in veram obstetricis culpam rejiciunt. Et credatur, quia vera profero, miror valde, quod lege sancitum cautumque non sit, ut prohibeantur infantum neces.

§. 8. In quibus igitur hoc frenulum male est conformatum; tunc sectionem aut convulsionem alii instituunt non unguibus, quod improbavimus; sed aliis instrumentis. *Nummi acie* aliquæ hoc tentant obstetrices, ceu scribit *Joh. Jessenius* Inst. Chir. c. 2. p. m. 38. b. & ex hoc *Camerar.* l. a. p. m. 40. Hoc tamen recte improbat *Sennert.* in Praxi de Infant. Curat. Part. 2. cap. 15. p. m. 57. his verbis: *Solent interdum obstetrices statim edito infante, vel unguibus rumpere, vel nummi acie dissecare hoc vinculum: sed sæpe hoc sine necessitate agunt, & in operando errant. Commodius ergo perito Chirurgo res committitur.* Hoc hac vice liceat addere: Cum proxime elapsa æstate hujus 1682. anni per Bavariam, Sueviam & vicinas terras pestis quædam jumenta atque pecudes invaserit, quibus potissimum vesicæ in lingua humore venenato & corrodente plenæ nascebantur, unde malignitas & putredo; denique mors, loco curationis inter alia medicamenta quoque adhibebatur instrumentum argenteum, instar nummi seu Albi (Weiß-Pfennig oder Kayser-Groschen,) 7. 8. vel pluribus incisuris in peripheriæ parte aliqua incisum instar serræ, quo pustulæ istæ aperiebantur, partesque corrosæ & malignæ exscindebantur, ceu legere fuit in publicis literis, publicis valvis passim affixis.

§. 9. Alii hoc volunt discindere frenulum phlebotomo vulgari barbitonsorum, quod recte vero im-

improbat *Joh. Scultet.* l. a. p. m. 67. quia ineptum eſt, nec certo poſſumus illo ſecare; ſicuti ante triennium vidi in puella 6. annos nata nondum loquente propter ranam ſub lingua, quam Chirurgus quidam caſtrenſis phlebotomo vulgari adeo crudeliter incidebat, ut carnifex potius quam Chirurgus mihi haberetur.

§. 10. Alii hoc admniſtrant forfice; alii ſcapello, uti *Aquapendens*. Syringotomum vult. *Joh.* von *Horne* in Microtechn. ſect. 1. part. 1. §. 15. p. m. 70. Huc ἀγκυλοτόμον, aut ἀγκυλοτόμος (ceu Budæus ex *Æginet* l. 6. habet) q. d. Ancyles inciſorium: Inſtrumentum Chir. quo tollitur ἡ ἀγκύλωσις τῆς γλώττης *Henr. Steph.* Theſ. Græc. Tom. 1. f. m. 41. Exemplum allegat *Joh. Jeſſen.* Inſt. Chirurg. cap. 2. p. m. 38. b. & 39. a. his verbis: *Ante annos aliquot Pragæ, Cæſareæ Majeſtatis Secretario bellico, Hieronymo Arconato, linguæ vinculum, carnoſum prorſus & tumidum factum, in mea & aliorum præſentia,* forfice *diſſectum, opera magis felici, quam prudenti.* Modum hunc ſubdit & operandi rationem: *Aegro in ſedili collocato volſella linguæ extremum prehenditur, ſubque ea nerveum vinculum, transverſo vulnere, uno, ſi fieri poteſt, ictu, inciditur, ne tamen venæ proximæ lædantur, cautela adhibita. Deinceps os poſca aut aqua vino permiſta, eluitur, vulnusque, melle roſeo diligenter & crebro inungitur.*

§. 11. Suum modum *Hieron. Fabric. ab Aquapend.* de Operat Chir. part. 1. c. 36. p. m. 130. ita proponit: *Solemus primo præcipere, ut æger linguam*

extra dentes exſerat, deinde eam Celſus volſella, ſed nos forcipibus apprehendimus. Interdum neque his apprehendere poſſumus, ut in pueris, qui linguam exſerere aut neſciunt, aut certe nolunt: ſed apprehendimus, ſi primo faciamus, ut plorent; deinde poſito inter duos digitos, pollice & indice ſiniſtræ manus, linteo tenui aſpero, quo detineatur lingua, foras trahatur, & ſurſum revellatur ac recurvetur, quo vinculum appareat: tandem dextra manu vinculum incidimus, ſumtoque ſcalpello incidente modice ad cuſpidem recurvatum, ad modum exigui cultri unius tantum oblongioris aciei factum, vinculum transverſe ſecamus ſemel, bis, iterumque, donec univerſum ſit diſſectum, tum vero a lateribus poſitas vinculi partes, magna cura adhibita, ne ſubjecta vaſa violentur, quod ſub chirurgo Anatomes perito evenire non poteſt, qui vaſa ſub lingua novit. Poſtea vino nigro os abluatur, interdum diamorone admiſto, & ita ex ſe ſanatur locus. Et ex hoc repetit *Scultet.* in Armam. Chir. part. 1. Tab. 33. p. m. 67. ſeq.

§. 12. Curationem per ſectionem ſuadet *R. Columbus* Anat. l. 3. c. 3. p. m. 197. & l. 5. c. 13. p. m. 233. eamque hic eſſe facilem ſcribit *Barbett.* Chirug. part. 1. c. 13. p. m. 51. Si ſcil. modo transverſo vulnere vinculum hoc, ope forficis incidatur, hinc melle roſato ſæpius de die pars læſa inungatur. *Fabric Hildan.* Cent. 3. obſ. 28. p. m. 393. ita inquit: *Vacat omni periculo operatio hæc, dummodo recte adminiſtrata fuerit, præcipue autem perſpiciendum convenit, ne nimis profunde*

incida-

incidatur. Ego elevata lingua, apice forficum ligamentum ut plurimum in duobus, nonnunquam & in tribus locis (NB. non uno ictu, uti supra §. *10.* volebat *Jessenius*, sed semel, bis iterumque, uti *Aquapendens* §. præced. hinc *Blancard, Chir.* l. 1. c. 15. §. 2. ait: Die Heilung geschicht durch den Schnitt vermittelst einer Schere, und wird derselbe, da der erste nicht suffisant, wiederholet. Man muß bey dem Schnitt die Adern, Nerven und Speichel-Gefäße nicht berühren. Bey fürfallenden vielen Bluten nach dem Schnitt ist etwas Saltz oder Alaun im Munde zu halten, *incido: sic enim difficilius coalescit iterum, quam uno tantum modo in loco incisio facta esset. Incido autem tantum modo quidquid nerveum est, ita ut carnem vix adtingam, quod si prima vice non satis abscissum aut iterum, annexum fuerit, poterit postea eadem operatio administrari: inciso ligamento jubeo ut nutrix sæpissime digito melle rosaceo, aut communi madefacto, linguam blande elevet, sic enim agglutinatio atque consolidatio impeditur. Sennertus* de Infant. Curat. part. 2. c. 15. p. m. 57. post sectionem, si labra vulneris non statim coëant adhibet linimentum e farin. hord. melle despum. vitell. ov. thure mastiche, alum usto; cum melle rosaceo factum, conf. omnino *Forest*, l. 14. obs. 30. & in schol. *Sennert.* Inst. Med. l. 5. p. 1. s. 2. c. 7. p. m. 922.

§. 13. *Plerique igitur, ubi convaluerunt, expedite loquuntur; quod evenit, cum impedimentum a solo vinculo pendet. At si interius recondita abstrusaque causa concurrat, non sequitur effectus;* sunt verba *Aquapend.* l. a. p. m. 130. Germani

vocant:

vocant: die Zunge lösen. Hinc proverbium de πολυλόγοις seu loquaculis, Germ. Plauder-Mätze, Wäscher &c. in usu est: Die Zunge ist ihm wohl gelöst. Item die Hebamme hat das Trinckgeld wohl verdient.

§. 14. Caute tamen, si opus est incisu, est procedendum; sive id obstetrix, sive Chirurgus aut alius peritus homo faciat, ne venæ aut arteriæ vicinæ, ductus salivales sub lingua, partesque adsitæ aut nervuli (sexti paris ejusque rami secundum *Barbett.* l. a. p. m. 31.) lædantur, ceu recte monuit *Th. Bartholin.* A.R. l. 3. c. 13. p. m. 547. Siquidem perperam instituta non alias solum gravissima intulit symptomata; sed aliquando continuum ptyalismum induxit, dissectis extremitatibus ductuum salivalium; ut testatur *Riolan.* l. 4. Anthr. c. 10. ceu scribit I. v. *Horne* in Microtechn. p. m. 122. seq. qui ibidem quoque suadet, ut tirones memores sint consilii *Aquapendentis*, qui monet, ne temere ad hanc operationem nos accingamus. Et e nervorum illorum læsione repentina linguæ convulsio supervenire solet, teste *Diemerbrock* Anat. l. 3. c. 24. p. m. 456. sic *Heinrich* von *Bronhuysen* lib. 1. Obs. Chir. 11. p. m. 44. seq. infanti circa vesperam frenum linguæ incidebat, sed per noctem animadvertit nutrix, infantem se male habere, ad lumen ergo ubi considerat, invenit os grumis sanguinis plane refertum, ut fere infans suffocaretur propter arteriam sublingualem læsam, quam accersitus dictus Chirurgus magno opere tandem Cyprio obduravit. Adeoque monet caute proceden-

dum in hac operatione, nec circa vesperam, sed mane instituendam, allegatque sibi consentientem *Hildan.* C. 3. Obs 28.

§. 15. Nimirum imperite omnibus indifferenter infantibus pluribus in locis hoc vinculum intersecant, ceu post alios recte hoc improbat *Greg. Horstius* in Disp. de γλωσσογραφία τριμερῆ membr. 1. art. 8. sub Præsid. Clarissimi *I. M. Hofmanni* Profess. Celeb. Altdorf. A. C. 1677. Cum alioquin ex mille quibus remansit, vix unus balbutiat, teste *Th. Bartholin.* l. a. p. m. 547. & *Barbett.* l. a. p. m. 52, Imo *Aquapendens* l. c. p. m. 129. docet in centum millibus vix unum infantem nasci cum tali ligamento, quod Chirurgiam postulet. Si enim ultra dentes (addo, gingivas) & labia linguam potest exserere non teneri hoc malo signum est ait J. v. *Horne in Microtechn.* p. m. 123. Admodum quoque improbatur, si promiscue omnibus applicetur, apud *I. R. Camerar.* Syllog. Mem. Cent. 6. Part. 24. p. m. 39. quem vide omnino.

§. 16. Ego finio, & dissertationem obsigno hoc lemmate *D. Jacobi* in Epist. c. 2. v. 5. Ἡ γλῶσσα μικρὸν μέλος ἐστὶ, καὶ μεγαλαυχεῖ ἰδοὺ, ὀλίγον πῦρ ἡλίκην ὕλην ἀνάπτει. h. e. interprete *Theod. Beza. Lingua pusillum membrum est, & magna jactat. Ecce, exiguus ignis quantam materiam incendit*: quæ *Lutherus ita*: Die Zunge ist ein klein Glid, und richtet grosse Dinge an: Siehe, ein klein Feuer, welch ein Wald zündets an.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

MUlti, ſcio, cum *Plinio* l. 29. c. 1. ubi de Medicina, exclamant: *Mirum & indignum protinus ſubit nullam artium inconſtantiorem fuiſſe, & etiamnum ſæpius mutari!* Si Plinius hac noſtra ætate jam poſt aliquot centum annos ad noſtrum demum reſpiceret Æſculapium magis mirabundus, credo, diceret:

Heu mihi! qualis erat, quantum mutatus ab illo!

Dicent & hodie, qui inventis frugibus novæ experientiæ & rationis Medicæ, adhuc glandibus auctoritatis antiquorum veſcuntur. O quam multis adhuc nauſeoſa ſunt accuratisſima *ſanguinis circuitus*, *ſucci pancreatici*, *lymphæ &c.* inventa; forte quia *nova* ſunt. Iſti certe ita injurii ſunt in Medicinæ crura, *rationem* & *experientiam*, ceu alibi demonſtravi. Vincat Io Veritas! *Brutorum eſt, ſequi gregem: hominum, rationem rectam. Viri auctoritas in literis ne hilum valet, ſed ejus ratio, quæ auctoritatis mater eſt.* Procus ergo filiæ veneretur ſocrum. In hac mea diſſertatione, quam *juſſu Serenisſimi, omnium genuinarum ſcientiarum ac artium* Dei Tutelaris Opt. Max. conſcripſi, multa ſunt, quæ abſque affectu, non abſque ratione, utut alicui videatur, poſui. Fateor multum reſtare operæ, ſed docturis non obſtrepam. Hactenus hæc ſcio eſſe vera, veriora diſcam. Votum tandem Cl. *Th. Bartholini Cent. 3. Epiſt. 34.* facio meum; *Hæc a DEO ſemper ſum precatus, ut*

ut talem libertatem restitueret orbi literato, in qua cuivis erudito liceret, de quo vellet, impune dicere!

DISSERTATIO DE HÆMORRHOIDIBUS.

H*Æmorrhiodes*, 1. ita quoque post Græcos Latinis dictæ, Germanis, Göldne-Ader, Rück-Ader; si sunt apertæ & fluunt, der Blut-Fluß unter sich, wann die Göldne Ader angeht; definiuntur 2. *dejectio 3. sanguinis* per anum ex arteriis intestini recti. Dejectio illa notat 4. *Symptoma excretorum.* Quandoque tamen fluunt 5. *critice*, h. e. cum commodo corporis, ubi natura sua sponte expellit, quod corpori molestum esse poterat. Sæpius tamen Symptomatice, ubi sanguis 6. *per arterias* 7. (*de venis enim valde dubito*) 8. *intestini recti*, quod alias 9. *commune & quotidianum emunctorium*, effluit; sive 10. *ob copiam* bonam, uti fit in sanguineis; sive ob malam in cachexia & cacochymia, sive ob alias qualitates, præcipue tamen acres, salsas, mordaces, acidas & biliosas; hincque 11. *scorbuticos & hypochondriacos* (12. *quales sæpe sunt literati*, & propterea hæmorrhoidibus subjecti) sæpius comitatur. Certe 13. *cholericis sunt frequentissimæ, hincque* 14. *magis æstate* 15. *quam hyeme*, *magis* 16. *in regionibus calidioribus*, 17. *magis in viris* 18. *quam fœminis*, 19. *magis in ætate fervida*, 20. *quam puerili &* 21. *senili*,

ſenili, & ita porro, effunduntur. Nec raro prorumpunt *22. ob admiſtum ſanguini ſerum*, *23. ob ſuccum pancreaticum infectum, &c.* & ob illa quæ his pro cauſis eſſe poſſunt. Huc præcipue accedunt cibi ſalſi, acres, piſces exſiccati, vel, ſicut carnes ſalitæ ut pernæ, linguæ bubulæ &c. fumo indurati, pipere, cinnamomo, caryophyllis, galanga, vel aliis aromatibus nimium conditi: potus calefaciens, vina generoſa, tartarea, craſſa præcipue largi haufta; cereviſia probe nec cocta nec defecata. Huc etiam pertinet uſus medicamentorum acrium & nimis calidorum 24. purgantia valida & acria, acidulæ acriores, ſpiritus vini, ſorbitio frequentior *25. chocolatæ 26. fumus tabaci &c.* alvus durior, diarrhœa acrior, frictiones, vigiliæ, quæ nimium exſiccant, hincque ſanguinem inflammant; quæque cruditates varias generant, cholericoſque notant, huc etiam faciunt: motus nimius; ut curſus, equitatio, ſaltatio &c. totum corpus calefaciens ſymbolum ſuum addit calefaciens ſymbolum ſuum addit calefaciendo & inflammando; ubi ſanguis propter citam circulationem non modo impetuoſior, ſed etiam calidior ad partes fertur. Unde primo ſæpius tumor, qui facit ſtagnare prius ſanguinem, præſertim ſi venæ quoque ſint obſtructæ, per quas ſauguis in circulum redire nequit; aut ſi ipſe ſanguis ſit juſto craſſior, feculentior nigriorq; *27. qui propterea non ſtatim 28. melancholicus* dicendus; ſiquidem *29. melancholia Galeniſtarum* mihi & multis aliis ob certas rationes eſt non-ens; imo vulgo dicta illa melancholia

cholia nihil aliud eſt niſi gradus quidam & *30. ſpecies bilis aduſtæ 31. quæ non frigida eſt*, ſed certo reſpectu & ſolum remisſius calida ac reliqua calidior bilis. Quare vulgo reputati melancholici adhuc multos cholericorum habent characteres. Falſisſimum ergo eſt ſolum, vel ut plurimum melancholicos pati hæmorrhoides, quæ cholericis magis conveniunt.) nim. propter ſtagnationem & calorem quod crasſius eſt & gravius præcipitatur; ſubſidet; ſedimentumque craſſius præbet. *32. Hinc frequentius* in hac dejectione primo ille ſanguis niger, feculentus & craſſus prodit, ac deſtillando quaſi effluit, donec fiat clarior & fluidior 33. *ſiquidem tam vitioſus*; *quam bonus ac* laudabilis promiſcue aut ſeorſim ſanguis hic poteſt evacuari. Imo ſi quandoque colligitur in inteſtini recti cavitate *34. grumi cruoris* ejiciuntur. Raro tamen hæmorrhoides ſunt *35. hæreditariæ 36. rarius vero endemiæ.* Porro pro cauſarum & ſubjecti diverſitate; humorumque naturam magis vel minus ſtimulantium copia, certas vix unquam ſervat *37. periodos*, Signa vero, quibus cognoſcuntur ſunt vel *communia*, ut virium proſtratio, crurum languor; *38. color faciei* plerumque citrinus & ad viriditatem inclinans propter bilioſam exundantiam; quod tamen: ſecus in ſanguineis; vel *propria* ſunt, & aut *imminentis*, ex gr. æſtus circa ſpinam dorſi, dolor aut tenſio lumborum ſive abdominis; interdum pulſus & ructuum frequentia, ani dolor, inſomnia turbulenta &c. quæ pro diverſitate ſubjecti & cauſarum quoque variant; aut

præsentis, ut dolor (si sit ab acri causa, minus si a mitiore) *39. sanguis ante, cum, vel post* secum excretionem exiens, qui in chartaceo emunctorio deprehenditur, pulsus mutatio & gravitas coxarum. Internæ quidem tam commode non deprehenduntur; ac externæ, quæ visui patent & tactui, apparentque *40. specie varia* verrucarum, mororum vesicarum vel uvarum. Hæmorrhoides quoque *41. non semper notant pravam* corporum constitutionem; siquidem 42. sæpe a multis malis homines liberant, ubi natura duce vitiosi humores morborum patroni eliminantur. Nec vero hoc negandum, quod *43. multa quoque mala generent*, si vel excedunt, vel deficiunt. Ibi enim virium lapsus, profusio caloris nativi, imbecillitas partium, lipothymiæ, color vitiosus, concoctio læsa, cruditates, hydrops, cachexia, paralysis, apoplexia, mors &c. ubi ita sanguinem vitæ thesaurum exhauriunt, frigusque inducunt: hic vero hydrops, phthisis, tabes, cordis palpitatio, tumor pedum, mania, hæmoptysis, mictio & vomitio cruenta, lien scirrhosus & tumidus, arthritis, nephritis, Aranguria, fistulæ &c. quando nimirum materia vitiosa vel stagnat vel regurgitat, & in aliis locis nidum morborum exstruit. Quando ergo obstruuntur *Cœcæ* vocantur, oriuntur in ano tumores variarum figurarum *44. cum intensissimo dolore*, continguntque vel ob sanguinis feculentiam vel visciditatem, vel ubi venæ introitum aut arteriæ exitum negant, & ita porro. Dolor vero ille exacerbatur, quia est in parte valde sensili, item

item ab humoribus acribus, aut calore aucto &c. Causæ remotæ etiam multum contribuunt pro sua diversitate 45. *Si sunt* cœcæ per sanguinem adtenuantia, per emollientia, anastomotica, & secundum quosdam, purgantia, possunt aperiri; imo alii confugiunt 46. *ad V. S.* 47. *scalpella*, 48. *hirudines*, 49. *frictiones*, 50. *scarificationes*, *&c.*

Si vero sint apertæ & nimium fluant, pergit Medicus sanguinem minuendo in aliis locis per scarificationes a. V.S. si sit ab ejus copia; humores vitiosos expurgando, dein 51. *Adstringendo* variis medicamentis, quæ experientia & ratio probarunt. 52. *Dolori vero succurritur*, 53. *fomentis*, anodynis, narcoticis etiam interdum.

Sunt porro, qui in hæmorrhoidibus suadent 54, *amuleta*, de quibus imposterum, DEO volente, libro peculiari: alii 55. *Figuras Tilsemanicas*, alii 56. *Transplantationem*, quas etiam suo loco tangemus; alii quoque 57. *Ustionem* ferro candente.

Diæta facile potest componi ad oppositionem causarum supra dictarum, & ad præscriptum Medici prudentis.

NOTÆ.

Viri auctoritatem in litteris ne hilum valere in Præfatione statui: Suffragantur mihi testes omni exceptione majores. *Cicero* lib. 2 de Oratore: „*Diogenes* ait, An-„ tipater negat: Non enim tam auctoris in disputando, quam rationis momenta quærenda sunt. „& de Nat. De-„or. lib. I. cap. 5. „Non tam auctores in disputando, „quam rationis momenta quærenda sunt. Quin etiam „obest plerumque iis, qui discere volunt, auctoritas eo-

 rum,

„rum, qui ſe docere profitentur, deſinunt enim ſuum ju-
„dicium adhibere; id habent ratum, quod ab eo, quem
„probant, judicatum vident. Nec vero probare ſoleo
„id quod de Pythagoricis accepimus: quos ferunt, ſi quid
„affirmarent in diſputando, cum ex iis quæreretur, qua-
„re ita eſſet, reſpondere ſolitos, αὐτὸς ἔφα, ipſe dixit.
„Ipſe autem erat pythagoras: Tantum opinio præjudi-
„cata poterat, ut etiam ſine ratione valeret auctoritas!
Recte etiam CL. Vir *Iſaacus Voſſius* in Obſerv. ad Melæ
l. 1. c. 9. pag. 52. Nec multorum valet auctoritas, quan-
do deeſt experientia & averſatur ratio. Adprime & huc
faciunt *Gaſſendi* verba Exercit. Paradox. 2. adverſus Ari-
ſtoteleos §. 5. pag. 36. ſeq. qui apud ipſum legi meren-
tur. Sed inprimis in re Medica illud valere, paucis Me-
dicorum CLmorum ſuffragiis munire lubet *Jo. Bapt.
Capucius* in Præf. ad Lect. præmiſſa *Seb. Bartoli* Artis
Medicæ dogmatum communiter receptorum Examini
Venetiis ap. Steph. Taurinum 1666. 4. edito pag. b. 2.
ait: Tradebantur in medicina per manus errores, & gre-
garii illi laniones an Anatomici? qui poſt expurgatam
Barbaris Italiam ſcholas & theatra aperuerunt, ibant mo-
re pecudum, quo itum erat, non quo eundum. *Senner-
tus* de Conſ. & Diſſ. Chym. cap. 3. pag. 27. Non (in-
quit) ab hominis auctoritate & nomine, ſed rei eviden-
tia veritas pendet. Hinc *Scribon. Largus* in Epiſt. ad C.
Ju. Calliſtum pag. 3. Aſclepiadem refutans ait: Homo fu-
it, parum feliciter ſe in hoc negotio geſſit. Non deter-
reor perſona, cum rem tam manifeſte prodeſſe videam.
Conſ. ad h. l. Nott. CL. *Jo. Rhodii Archib. Ritcarn* in
Solut. Probl. de Inventoribus p. 92. ait: Auctoritati ap.
Medicos nullus debet eſſe locus. Eleganter inprimis diſ-
ſerit *Gomezius Pereira* in Antoniana Margarita fol. m. 4.
ſeqq. his verbis: Prius vos monens, me nullius quan-
tumvis gravis auctoris ſententiam recepturum, dum de
Religione non agitur, ſed tantum rationibus innixurum.
Miror equidem, nonnullos doctos ſcriptores, qui cum
aliquam quæſtionem ex his, quæ frequenter in phyſicis

oc

occurrunt, explicandam sumunt, quod alteram partium, quam veram esse credunt, abunde roborare existiment, dum *Aristotelem* sibi faventem duxerint; immemores, quam leviter adversi etiam in suas partes eundem trahere valeant; ipso adeo obscure ex professo scribente, ut ego existimo, ut duci in utramvis partem idem contextus facile possit; obliti etiam in rebus, quæ speculationi & non fidei attinent, auctoritatem quamlibet contemnendam. Certe satius hujusmodi scriptores lecturis consuluissent, si validis rationibus, quod verum esse credebant, probassent, quam futilibus auctoritatibus mentes docendorum irretirent. Rationes enim sunt, quibus intellectus potius in unam quam aliam partem labatur ducitur que.

1. HÆMORRHOIDES] De nomine vide *Sennert.* Prax. lib. 3. P. 2. S. 2. c. 13. & *Frommann.* Disp. de Hæmorrh. Coburgi 1669. Qu. 1. & fusius *Rollius* Disp. Inaug. de Hæmorrhoid. Jenæ 1662. cap. 1.

2. DEIECTIO SANGUINIS] Alii loco generis ponunt *profluvium sanguinis immodicum*; *alii nimiam sanguinis dejectionem*: Verum hæmorrhoides non semper, nec omnibus fluunt propter copiam sanguinis, sed sæpe stillant ob acrimoniam vel aliam qualitatem, ut ergo vox *immodicum* vel *nimia* generaliter non competat. Imo iidem dicunt, quod differant apertæ ratione magni vel parvi hiatus, & NB *multi* vel *pauci* sanguinis. Et *Frommann.* Qu. 25. ait: Quod in aliis sanguinis profluviis evenit, in hoc quoque contingit, ut sauguis jam in *majori* jam in *minori* quantitate excernatur. In quibusdam vix levior *tinctura* apparet, in nonnullis autem fluxus est uberior. Imo ibi allegat exempla majoris dejectionis ex aliis auctoribus, & quendam, cui quotidie libræ duæ & amplius sanguinis per 45. dies, & Hispanum, cui quotidie libra una sanguinis quatuor annis effluebat, qui tamen optima fruebatur valetudine, ut miratus fuerit auctor, unde tanta sanguinis ubertas, quia plus quam mille sanguinis libras profuderit, vid. *Panarolus* Pen-

 tec.

rec. 2. obs. 46. Conf. de nimio hæmorrhoidum fluxu in viro Illustri *Th. Bartholin.* Act. Hafn. Vol. 1. 51. pag. 103. & de hæmorrhagia per alvum, libras saltim quinque confestim effundente, clysteridio mox repressa *Smetius* Miscellan. pag. 527. Aliud exemplum recenset *Henr. ab Heer.* in Spadacrene cap. 9. pag. 75. his verbis: Ante aliquot annos (circiter 18.) F. Gabriel Capucinus post longam quartanam vomitumque & secessum *multarum sanguinis librarum* (me enim præsente simul ultra 8. *libras* emisit) in hydropem asciten, & ab aliis Medicis, & a me omnino incurabilem judicatum prolapsus, ad tempus tamen in Spadanis fontibus salutem invenit.

3. Sanguinis] Scil. generatim sumti, prout illi varii sunt admisti humores. Purissimus enim in nostro corpore, nec in sanissimo quidem dabitur. Notabilis tamen est fluxus hæmorrhoidum albus, ubi in viro 49. annorum, perpetuo valetudinario, post purgationem majalem exivit materia instar spermatis ranarum ad libras 10. inde sanus factus. *Greiselius* in Ephem. Cur. Germ. Ann. 1. obs. 75. Imo ipse *Fernelius* l. 6. Pathol. c. 10. fol. 313. quandoque hic deponi sordem subalbidam quandam ac mucosam, quæ neutiquam purulenta sit; cui adstipulatur *Sennertus* Prax. lib. 3. Qu. 1. pag. 425. qui addit, se aliquoties observasse. Rationes reddere *Frommann.* Qu. 16. conatur.

4. Symptoma Excretorum] Alii quidem etiam volunt referre ad *symptoma actionis læsæ*, hocque fit primario, secundario vero illud; sed quid multis opus? Ergo frustra erit symptomatum distinctio? Quorsum hæ tergiversationes? Mecum faciunt *Mœbius* Institt. pag 278. & *Frommann.* Qu. 4.

5. Critice] *Savanarol.* Tr. 6 Pract. Major. cap. 17. *Greg. Horst.* Epist. Med. Sect. 10. & *Sennert.* Prax. lib. 3. P. 2. sect. 2. cap. 13. semper hæmorrhoidum fluxum ad affectus præternaturales referunt. Quibus tamen contradicunt alii, ut *Petræus* Nosol. Harm. Diss. 32. §. 6. seq. distinguendo inter *hæmorrhoides salubres, & insalubres*;

alii

alii quoque ut *Mœbius* Institt. pag 153. volunt distingui inter opera naturæ suo robore bene operantis, & inter symptomata. Nimirum quemadmodum mensium moderatus fluxus non ad affectus præternaturales refertur. Conf. *Frommann*, Quæst. 5. & 28.

6. PER ARTERIAS] Ita mea sententia est, quæ nititur sanguinis palindromia Harvejana. His unice acceptum fero hoc sanguinis profluvium; siquidem per solas arterias pulsu sanguis ad partes pervenit promiscue abs ulla electione, qui, si detur exitus, profluit, ubicunque demum sit. Conf. *Slegel.* de Sang. Motu c. 14. pag. 107. Per arterias, non autem per venas illud fieri, fuse demonstrat quoque *Car. Lud. Funccius* Disp. Inaug de Hæmorrhoid, nimio conniventibus & cæcis, Altorff. 1677. § 9. seq potissimum §. 13. *Highmorus* de Affect. Hypoch. c. 7. pag. 224. seq. demonstrat, quomodo hæmorrhoidum apertio in illo affectu prosit, & inter alia ait: Hæmorrhoides immediate magis a visceribus ab-" dominis derivant, quia venæ hæmorrhoidales ab arte-" riis mesentericis suum recipiunt sanguinem, e quibus" effusus a cœliacæ & mesentericæ superioris surculis (he-" pati, ventriculo & lieni famulantibus) ob originis vi-" cinitatem immediate magis derivatur sanguis, unde" minor circa ventriculum hepar & lienem sanguinis re-" peritur quantitas & fervor, feliciterque magis succedit" concoctio." Rem illustrabo suppressione mensium, hi enim cum sueto loco excerni non poterant, qua data porta ruebant; legimus enim vicario effluxisse per *oculos* (vid. exemplum D. Belini Med. Vaslaniensis apud *Nic. de Blegny* in Zodiac. Med Gall. &. 1680. m. Febr. obs. 6. pag.) *aures*, *nares*, *os*, *dentis alveum*, *gingivas*, *maxillas*, *vomitum* (vid. *Th. Bartholin.* Act. Hafn. Vol. 1. n. 44. pag. 82. qui plura ex *Rulando* Cent. 3. Curat. 4. allegat:) *mammas* (fontis instar salientes *Amatus* Cent. 2. Cur. 21. *Schenck.* lib 4. fol. 700. & *Panarol.* Pent. 4. obs. 15 ae *Fontecham.* Med. Christ. Spec. p. 242.) *digitos* (*Salmuth.* Cent. 3. obs. 35. *Zacutus* de Princ. Med. Hist. L. 2.

obſ. 2.) *pedes, crura,* (*Rhodigin.* obſ. 50. Cent. 3.) *genas & manus* (*Barthol.* Cent. 1. Hiſt. 13.) *umbilicum, inguina, urinam, anum, ipſasque hæmorrhoides*; uti pluribus poſſem deducere, ſi vacaret, legantur interim *Sennert.* Prax. l. 4. p. 2. ſ. 2. c. 11. *Jonſton. Thaumatogr.* Claſſ 10. c. 5. Artic. 2. *Schneider.* de Catarrh. l. 3. c. 8 p. 278. *Bartholin.* Cent 1. Hiſt. 16. *Bauſch.* Tr. de Hæmatit. in Proœm. Traumatolog. p. 23. ſeq. *Joh. Schenck.* lib. 4. obſ. Med. 257. ſeqq. Nimirum ſanguinem in hæmorrhoidibus ſuppeditant arteriæ dictæ hæmorrhoidales, quæ (vid. *Velſing.* Syntagm. c. 3. *Deuſing.* Inſt. Anat. p. m. 71. *Bias* Anat. Contr. l. 2. P. 1. c 1. p. 206.) venis ſunt ſociæ; ab illis enim humores evacuandi deferuntur, *Bartholin.* Anat. Ref. libell. 1. c. 4. p. 425. iſtæque propagantur partim a meſenterica inferiore; Id ibid. l. 1. c. 11. p. 70. (Rollio l. c. cap. 3 interna dicitur) partim ab hypogaſtrica (Rollio externa,) Hæc vero ab Iliaca interna, *Bartholin.* l. c. libell. 1. c. 4. p. 444. inde etiam oriuntur hypogaſtricæ ad uterum porrectæ, unde dependere poſſunt in ſexu ſequiore hæmorrhoides uteri, de quibus *Schmitz* Med. Pract. p. m. 108. præcipue *Sennert.* Pract. l. 4. p. 1. ſ. 1. c. 7. *Hœfer.* H. M. l. 7. c. 1. p. 308. *Gr Horſt.* T. 2. ſ. 279. Egoque matronam honeſtam novi, quæ ideo conſilium meum requiſivit. Evolv. de arteriis hæmorrhoidalibus *Highmor.* Anacephalæos de Circul. Sangu. fol. 255. *Rolfinc.* Diſſ. Anat. l. 5. c. 16. 20. 27. 28. & l. 6. c. 25. 27. 28. p. 1156. ſeqq.

Sunt quidem & alii, qui partite hanc effuſionem ſanguinis tribuunt arteriis & venis; utut circulationi Harvejanæ manus dederint, ut *Rolfinc.* Epit. Cogn. & Cur. Partic. Corp. aff. l. 3. c. 21 p. 326. & *Rollius* c. 3. inquit: Inficias tamen (antea enim hoc tribuerat arteriis) ire nolumus, quin & per venas haſce proxime adjacentes aliquando in magnis naturæ luctibus, mutato aut ſaltem perturbato ſanguinis curſu, ſuperflui humores evacuentur, de quo fuſius conf. *Highmor.* Diſquiſ. Anat. l. 1. p. 2. c. 6. f. 35. *Rolf.* Diſſ. Anat. l. c. 29. p. 898. *Frommann.*

q 7. Verum tunc improprie dicetur ex venis effundi liquor deponendus; motus enim, quem ille in venis obtinet, eſt contrarius; obſtant quoque venarum valvulæ & forte alia. Nec adeo illud componit ſententia *Blaſii* in Nott. ad *Veſling.* p. m. 48. dicentis: A venis creditum diu, profundi eum ſanguinem, qui magno valetudinis commodo aliis, aliis incommodo per anum exit. Alii a cognominibus potius arteriis extrudi volunt. Sed ſane circulationi ſanguinis prior opinio minime contrariatur. Non enim ex venis his ſanguis effluit, ad eas a ſuperiorib9 partibus recta delatus, ſed per arterias ad anum deductus, ubi regredi per venas tenetur, ſtagnat in his maxime gravitate melancholica cumulatus, hinc tandem ruptura & excretio. Sed ego ſemper dixero, circulationi hanc eſſe opinionem adverſam. Nec me movere poſſunt, quas adducunt, rationes, ſcilicet arterias & venas eſſe ſubjectum fluxus hæmorrhoidalis, imo venas frequentius ob ſequentia; (1) *ob ſubſtantiæ ſingularitatem;* venarum enim ſubſtantia tenuis ſit, ſimplex & mollis; arteriarum autem denſa, dura & craſſa, adeoque non ita facile reſerentur ut venæ, quas proinde externæ cauſæ, ut equitatio longa, curſus, deambulatio frequens, egerendi conatus, facilius ſolicitent. Verum ad hoc reſpondeo, in minoribus & capillaribus arteriis illam ſubſtantiæ ſingularitatem vix attendi debere aut poſſe. Novi quidem, quod Galenus & Herophilus arterias venis ſextuplo craſſiores dixerit; teſtibus *M. Sebiz.* Faſc. 16. q. 9. *C. Hofmann.* Inſt. l. 2. c. 13. §. 2. & Nott. ad *Gal.* 16. de V. P. n. 116. *Bartholin.* A. R. p. 441. & ipſis ſenſibus, verum hæc non tam rigoroſe, nec de minoribus, ſed majoribus ſunt intelligenda. Hinc *Franc de le Boe* Sylv. Diſp. M. 3. §. 19. bene de Arteriis Capitis ait: In capite arteriæ meningem craſſam prætergreſſæ, alteram deponunt tunicam, & eædem capillares factæ ſimplici duntaxat in partibus cæteris donantur tunica. Imo; uti dein allegabo, hinc multorum eſt error, arterias minores pro venis reputantium. Quæ porro in argumento dicuntur, quod arteriæ non

adeo facile referentur ac venæ ; non satis intelligo, siquidem in statu naturali

Noctes atque dies patent

arteriæ ob sanguinem partibus communicandum; æque ac venæ ad revehendum. Si vero hic διαπήδησις vel διαίρεσις intelligatur ; ea ipsa ob paulo ante refutatam substantiæ singularitatem non habet prærogativam; quippe quæ utrobique æque facilis. (II) Ob *Venarum pluralitatem*, plures enim, ut in toto, ita & in hac parte sint venæ, quam arteriæ. Verum pluralitatem hanc neque αὐτοψία, neque accuratiores prosectores confirmant. Deinde in toto corpore non videntur plures esse venæ quam arteriæ; siquidem id frustra esset; alias enim & copiosior ingredi venas nequit sanguis, ac per arterias ad eas defertur; ut taceam multum spirituosi sanguinis absumi in partium robur, nutrimentum & augmentum aliasque actiones; quin minor copia adest in venas recipiendus. Quorsum ergo plures venæ? Imposuit forte assertoribus tunicarum simplicitas; ubi sæpe; ceu supra innui, arteriæ pro venis, sed male, habentur; quod præcipue in cerebro accidit, ceu *Joh. van Horne Microcosm.* §. 46. scribit: Hæ omnes (loquitur de arteriis) cum jam intra cranium sunt, & in loco securo delitescunt, adtenuantur admodum, ut tunicarum simplicitate venis assimilentur: quæ res non paucis imposuit, existimantibus, cerebrum habere copiosissimas venas, cum habeat paucissimas. Conf. *Franc. de le Boe Sylv. Disp. Med.* 4. §. 14. *&* 15. Nihil quidem dicam de his, qui quintuplo plures esse arterias in liene statuunt quam venas, teste *Highmoro Disquis. Anat. l.* 1. *p.* 3. *c.* 2. Adr. Spigel. l. VIII. J. H. C. F. c. 14. p. m. 310. Et l. 5. cap. 7. p. m. 203. ait: Cum autem in liene sextuplo plures arteriæ sint, quam venæ &c. Nec (III.) *Venarum ob situm decliviorem pronitas* hoc evincit; siquidem sanguis crassior ob gravitatem deorsum sua natura tendat

& exi-

& exitum quærat, quem si non inveniat, tumores sive cæcæ hæmorrhoides oriantur. Verum in arteriis venarum sociabus eadem pronitas, & si sanguis ob gravitatem ibi stagnaret, tunc satius esset si plane non ingrederetur in venas ob gravitatem deorsum vergens; Præterea hoc in apertis non valeret; nec cæcæ semper a crasso & graviore sanguine &c. Tantem (IV.) dicunt *sanguinis effluxionem hic non fieri per saltum*, quod tamen esset; si ex arteria proveniret. Sed ego distinguo (α) inter arteriam majorem, ubi pulsus major & sensibilior observatio, ac inter minores arterias, in quibus pulsus vix, ac sæpe, ne vix quidem observatur. Inde est, ait Schelhammer Disquis. de Pulsu p. m. 27. que ubicumque digitos applices, subsultantem arteriam pariter sit deprehendere, eodemque temporis puncto ubique per totum corpus pulsantem percipi contingat, modo non vel minor sit, quam ut carnis pulpam possit adtollere, vel altius abdita sensum eludat: nam & minores pulsare arterias cujus quam arbitrati sunt adhuc circulationis sanguinis assertores plerique, & cum his noster (Laurentius Bellini) mox fiet apertum. (β) Inter arteriam (præcipue majorem) vulneratam & per extremitatem seu osculum (aliasque intermedias partes) sanguinem stillantem. Imo in sanguineis ex vena secta sanguis sæpe saltu prosilit; quæ ob hoc neutiquam arteria vocabitur. Hæc vero amore veritatis, inque nullius detrimentum dicta sunto.

7. DE VENIS ENIM VALDE DUBITO] Rationes modo subministravi. De Hæmorrhensa in Evangelio Matth. 9. Marc. 5. Luc. 8. ita scribit Joh. Geiler vulgo D. Keisersberg dictus, Vir facundus pro ratione illorum temporum, & cordatissimus (qui A. C. 1510. mortuus est Argentorati) in Postill. ad d. Evangel. f. m. 106. a. Es sind fünff Adern die kommen zusammen in einem jeglichen Menschen an heimlichen Ort. Und wenn derselben Adern eine angehet, oder zwey, drey, viere, oder aber sey alle fünffe, so purgirent und sufferent

sy sich also, vnd in der gestalt, das ein solcher Mensch kein bessere purgantz haben möcht, und werdent dieselben Lüt vast alt, welle echter das nit zu viel hant: Denn wenn es sein zu viel würd, so stirbt ein Mensch, und die Kranckheit ist es gesin, die da hat Frau gehabt.

Venas etiam credit Nathan. Nyhmor. Exerc. de Affect. Hyppochondr. cap. 1. p. m. 117. aitque in hypochontriacis naturam instituere materiæ vitiosæ evacuationem præcipue per hæmorrhoites, & maximam afferre utilitatem: An vero ab internis vel externis, non multum intersit: Natura externas etiam commote reserit, per easque sanguinem serosum & salsum sponte evacuit facile intelligamus, plurimumque prosit. Nititur vero affirmantium ratio sanguificatione hepatis primaria; venarumque ex eodem origine; sed sententia hæc dudum conculcata a veritate Harveiana. Interim, ut antea posui, etiam ab asseclis circulationis (circulatores enim paullo magis quam inepte quibusdam, uti Riverius 1649. in Julio de circulatione sanguinis disputans Ludovico de Soligniac. Prof. Regio Monspelli vocabatur, qui propterea bile suffusus abitum e cathedra meditabatur, ceu refert *P. J. Sachs.* Ocean. Macro-micro (cosm. §. 4. quos ob veterum dogmata, si vellemus; possemus veterinarios vocare, vocitantur) venis aliquid conceditur in hac dejectione; ut a *Rolf. J. T. Schenck Mœbio; Jonstono &c.* Tota vero dejectio iisdem adscribitur a veteribus. Depingemus vero paullum istas venas penicillo Veterum & Recentiorum. Venæ hæ hæmorrhoidales sunt duum generum (secus ac veteres & recentiorum plurimi; [quos inter & *Riolanus* teste *Rolfinc. Epitom. l. 3. c. 31.*] putarunt, *Bartholin. A. R. libell.* 1. *c.* 4.) Interna sc. una a vena portæ, modo hoc, modo illo loco, *Blas. A. C. p.* 205. hæc secundum coli finem sub recto intestino descendit, cujus terminum s. anum aliquot propaginibus exiguis orbiculatim amplectitur. Nimirum exortus ejus variat,

riat, frequentior eſt a ramo meſenterico portæ ſiniſtro, nonnunquam & dextro, *Vesling Syntagm. c.* 3. *Deuſing. Inſtit. Anat. p.* 71. Interdum (*Jonſt. prax. p.* 542. hoc abſolute aſſerit) a ramo portæ ſplenico (quod vidit *Bartolettus & Vesling.* teſte *Blaſio ad Vesling. Syntagm. p.* 49.) unde vas breve, eoque nunc extra lienem adhuc procedente, nunc intra lienem recepto (Conſule hic Notas *Blaſii ad Vesling l.* 1.) Rarius vero ab ipſo liene, *Vesling. & Deuſing. ll. aa.* quod ſemel obſervavit *Caſerius*; bis aut ter *Vesling.* teſte *Bartholin. A. R. l. d.* Externæ *ſunt tres. Id. ib.* Duas vero facit *Jonſt. Prax, l.* 10. *t.*4. *c.*2. aitque habere arteriam ſociam ab hypogaſtrica. Hæ oriuntur a venæ cavæ ramo hypogaſtrico, & inſeruntur in muſculoſam ani ſubſtantiam; *Bartholin. & Deuſing. l. d.* Internas ſolas noviſſe veteres referunt *Aquapend. Operat. Chirurg. f. m.* 107. *Riolan. Anthropogr. l.* 2. *c.* 17. *f.* 104. *Rolfinc. Epit.* & *Bartholin. A. R. l. a.* Illos tamen redarguit *Sennert. Prax.* l. 3. *p.* 5. *ſ.* 1. *c.* 6. *p.* 530. & quidem feliciter ceu judicat *Fromman. quæſt.* 6. Sed quicquid ſit harum officium naturale, eſt, ſanguinem ab arteriis advectum & ſuperfluum revehere.

8. INTESTINI RECTI] nimirum hoc inteſtinorum in genere omnium, ac in ſpecie, craſſorum, eſt ultimum & in anum deſinit ſc. ſecundum aliquos terminus a quo, ſeu pars mandans eſt univerſum corpus; per quem, ſeu ſubjectum transmittens, ſunt arteriæ; ad quem, ſeu ſubjectum recipiens, eſt anus: ſecundum alios ſubjectum adæquatum, eſt anus; inadæquatum, ſeu principale vaſa ipſius; utriſque libertatem ſentiendi dimittit *Rollius* c. 3.

9. COMMUNE ET QUOTIDIANUM EMUNCTORIUM] per hoc enim tam in naturali quam p. n. ſtatu poſſunt excerni feces, flatus; vermes, calculi, humores varii, &c. vide *Gal.* Com. S. 5. Aph. 33.

10. OB COPIAM SANGUINIS.] Ego aliquot (raros tamen eſſe ſtatuit *Fromman. qv.* 13. nec immerito) novi

novi ſanguineos quibus hæ fluunt, ſed abſque detrimento; imo cum detrimento retinentur. Hinc videmus quod non ſolis melancholicis fluunt. Hic enim, ubi ſanguis, ut in plethoricis; abundat; quærit, ubiubi poteſt, exitum; hinc in illis; utut abs magna læſione, interdum variæ dejectiones cruentæ e. g. hæmorrhagiæ narium; vomitus ſanguineus, ſputum ſimile, mictio cruenta &c. ſanguiniſque copiam accuſare videtur *Galen.* 6. Epidem. Comm. 5. t. 25. & Comm. 4. in Hipp. l. de art. §. 40. *Solenander* S. 4. conſ. 20. *Laurent.* Anat. l. 6. q. 25. *H. Reisner* de Scorbut. Exerc. 4. p. 186. *Sennert.* prax. &c. His quoq; eo citius tales hæmorrhagiæ accidunt: quo frequentiores ſunt cauſæ προκαταρκτικαί: Obiter vero hic notem vulgi errorem, opinantis; Magere Leut haben mehr Blut, als fette und feiſte; quia crebrioribus narium hæmorrhagiis vexentur. Ita Charleton Oecon. animal Exerc. 3. de Galaxia §. 6. p. m. 28. ait: Certiſſimum autem eſt, corpora macilenta amplioribus arteriis venisque, & per conſequens, majori quoque ſanguinis copia, perdita eſſe. Item ait *Lucas Tozzi* Medicinæ Parte priore Tit. de Phlebotomia p. m. 259. his verbis: In obeſis minus ſanguinis & venæ tenuiores obſervantur, quam in gracilibus. Franciſcus Courcellius l. de Vera mittendi Sanguinis Ratione ſect. 4. p. m. 121. ait: Nam ſi, ut ait Galenus l. 2. de Temperamentis, qui anguſtas poſſident venas, exigui ſunt ſanguinis; & contra, quibus latæ ſunt, iis copia ſanguinis ineſt: Certum eſt, licere plus detrahere ſanguinis ab eo, cui magna ſuppetit copia, quam ab altero, cui ea deficit. *C. Gesnerus* in Scholiis & Annott. ad Artes l. de Somno & Vigil. f. m. 157. ait: Inter homines obeſi fere exiguas venas habent, macilenti & ſicciores magnas. *Joſephus Geophilus* in l. cit. de cauſis pulſuum & præſagiis cap. 3. p. m. 72. inquit. It. v. quod Geoph. aſſerit in 1. Prognoſtic. gracilitatem corporis pro cauſa (Col. magni pulſus) ratione excludimus. Qui corpore gracili ſunt, naturaliter re-

tinent

tinent motum arteriarum velociorem; quia ,cum in illis præpolleat ficcitas, & in ſanguine reperiatur radix totius humidi primogeniti, ſeminalis balſami, qui vitam ſuſtinet,ut inquit Severinus Danus cum Paracelſo; conſequenter, uatura, ut continuo irrorando, partes ſolitas vivificet & conſervet, in circulatione, majori vomitu (ita expulſionem ſanguinis e corde vocat) ut ab uno tranſeat ventriculo in alium, & in arterias, neceſſe eſt, ſanguinem totum corpus permeare, ex quo conſequatur pulſus magnituto, & ideo, qui gracile habent corpus, venas ampliores & majores retinent.

Joh. Bapt. Donatius comm. 24. in Hipp. l. d. Morrb. Virgin. p. m. 243. ait: Valeant illi Medici, qui ſanguinis detractionem in virginibus, quæ graeiliores videntur, tantopere perhorreſcunt. Qui profecto recte minime judicant: Graciliora enim corpora referta magis ſnnt ſanguine, quam obeſa, quod & animadvertit *Galenus* lib. de Via ac Ratione curandi. Verum ſciendum, iſtos ut plurimum eſſe cholericos, dein plerumque ſcorbuticos vel hypochondriacos; ut cauſa potius ſit quærenda in calore; acredine, ſalſedine &c. ſanguinis, quam ejus copia.

11. SCORBUTICOS & HIPOCHONDRIACOS] Cauſæ ſunt manifeſtæ. Interea conſule *Fromman*. qu. 16. in fine qq. 30, 31. & 37. ſcil. ob ſanguinis particulas ſalinas & tartareas ex viscerum coctioni dicatorum erroribus & ejus obſtructionibus, hinc *Willis* de Scorbut. c. 3. p. 260. reddit rationem, cur ſcorbuto inveterato ſæpe hæmorrhoides ſuccedant, aitque: Cauſa eſt, quod ſanguis ſalſior factus, propterea que effervescere aptus, vaſorum oſculis facile erumpit &c. Id. ib. exempla repetit ex *Montano* Conſil. 246. *Claudino* Conſ. 89. & *Franc. Hildesheim* ſpicileg. 2. de cap. morb. p. 242. ſtatuit quoque *Sennert*. Prax. l. 3. p. 2. ſ. 2. v. 13. q. 1.

12. QUALES SÆPE SUNT LITERATI] ſc. ob vitam ſedentariam; multorum morborum matrem; ibi enim vaſa comprimuntur; unde infinita mala;

ἀδηλη©

ἄδηλος διαπνοὴ impeditur; cruditates remanent &c. Vide *Fromman.* q. 31.

13. CHOLERICIS SUNT FREQUENTISSIMÆ] Cholericorum temperamentum fere nobilissimum ex simplicioribus; vocaturque a bilis prædominio. Illud paulo fusius consideravi in peculiari tractatu de temperamentis, & inde cognoscendis moribus, actionibus atque inclinationibus propediem edendo; Medicis & præcipue Politicis utili. Nimirum quia bilis natura est calida, acris, amara, salsa ac sulphurea, sanguinem exitui potest præparare. Et ex iis, quos novi, hæmorrhoidibus subjectos; plurimi fuere biliosi vel in intensiore gradu; vel in remissiore; male pro melancholicis habiti. *Sennert.* Prax. lib 3 p. 428 dicit: Et omnino ii magis hæmorrhoidibus sunt obnoxii, qui sanguinem adustum habent, & qui in juventute fuere sanguinei, quibusque in adulta ætate sanguis aduritur, quique affectioni hypochondriacæ sunt obnoxii. Et paulo post: Hoc iis fere accidit, qui simul sanguinem calidiorem habent. Bilem pro causa confirmant *Hipp.* l. de hæmorrhoid. in princip. *Aquapend.* l a. *Fonsec.* Tom. 1. Consult. 27. *Fromman.* q. 15. Huc potest etiam trahi sententia *Helmontii*, qui tr. Pylorus Rector n. 18. p. 229. scribit: Quorum amborum (loquitur de felle, & pyloro) si non plenus sit consensus, oriuntur diarrhϾ, tormina, dysenteriæ, hæmorrhoides, atque variæ abdominis clades. Cui adstipulatur *Fr. Osw. Grembsius* in Arbore integra & ruinosa hominis l. 2. c. 1. §. 5 cujus tamen sententiam examinat *Fromm.* q. 20 & *Kozack* tr. de Sale c 6. s. 15. & c. 9. s. 17. ut omnium hæmorrhagiarum, ita & harum; ad Salia & Salina principia refert causas.

14. MAGIS ÆSTATE] scilicet ob calorem solis; cui omnis calor noster terrestris acceptus ferendus; qui sanguinem magis calefacit; item ob alia ex. gr. comestionem fructuum horæorum facile putrescentium,

& in

& in bilem convertibilium &c. De æstate confirmant *Rollius* Disp. de Hæmorrh. c. 4. & alii.

15. QUAM HYEME] non equidem nego hyeme oriri posse, sed non tam facile. Interim aër frigidus illud quam maxime m. potest; teste *Rollio* l. c. imo infandos creat dolores; si præcipue partes excretionis nimium denudentur, ita ut anus & intestinum rectum frigore actuali corripiantur; quando justo diutius hyeme in latrinis sedemus. Quem quoque fugit noxa a clysteribus minus calidis & frigidis introducta?

16. IN REGIONIBUS CALIDIORIBUS] Caussas, præcipue in Italia & vicinis locis reddit *Aquapendens & Fonseca l. c. Sennert.* l. c. p. m. 418. a. dicit: quia harum incolæ, præ septemtrionalibus habeant sanguinem calidiorem & magis adustum. Conf. *Fromman.* q. 27. *Ibn-Tsina* l 3. can. fen. 17. tr. 1. c. 2. In Germania nostra nec infrequentes sunt, præcipue tamen in locis; ubi ordinarie vinum bibitur; quod Argentorati non semel observati in praxi. Nec regionis frigidiores sunt immunes; ob sanguinem tamen crassiorem, magis cæcis possunt torqueri; *Fromman.* l. a.

17. MAGIS IN VIRIS] Sunt qui absolute statuunt natura Viros esse calidiores feminis, quod tamen fallit; nimirum plerumque sunt calidiores, non quidem natura, sed potius vitæ genere, exercitiis, consuetudine &c. hincque isti malo magis obnoxii.

18. QUAM FEMINIS] nec hic omnino exclusas volo feminas; utpote in hujus mali participes teste *Simon. Schulz.* Ephem. Germ. Cur. Ann. 8. Obs 22. vel ob copiam sanguinis (qua abundare maxime statuit *Aristoteles* 3. H. A. 19. probatque lunare tributum) vel ob sanguinis vitiosas aliasque qualitates. Exempla vero mulierum hæmorrhoides patientium aliquot adducam. Et quidem primo apertarum *Scholiographus* ad Holler. l. 1. de morb. intern. c. 55. meminit duas gravidas jam per 4. menses, quibus utiliter fluxerunt hæmorrhoides ap. *J. Schenk.* l. 3. obs. 163.

Alias novit qui mensium vice eas patiebantur *Heurn.* Com. in s. 6. Aph. Hipp. 11. *Sennertus* Prax. l. 3. p. 2. c. 13. ait: Et novi ipse nobilem feminam, corporis constitutione sanguineam, affectioni tamen hypochondriacæ obnoxiam, quæ singulis mensibus ordinarie & quidem die post menstruum fluxum decimo quarto hæmorrhoides patiebatur. *Forest.* 3. obs. 4. scribit quibusdam viduis loco mensium has commode fluxisse. Torgæ femina quædam a novilunio ad plenilunium habuit quotide fluxum menstruorum; a plenilunio ad novilunium quotidie copiose fluebant hæmorrhoides, ex literis *D. Kenntmanni* ad Gesn. *D. D. Wolph ap. J. Schenck.* l. 4. obs. 273. Ita Experientissimus *D. D. G. W. Wedelius* Medicus Ducalis Saxo-Gothanus; Amicus intimus nuper ad me scribsit observationem de femina; quæ constante nihilominus lunari tributo, hæmorrhoides patiatur; quam m. communicaverit pro *Anno 3. Ephemerid. curios. Germ.* Dein Cæcarum. Ita *D. D. Frommann.* Coburgi matronæ cuidam gravi hæmorrhoidum dolore decumbenti medicam porrexit manum, ceu testatur q. 28. & *Forest.* l. 3. obseq. 5. meminit nobilem matronam fere semper in puerperio hæmorrhoidum doloribus laborasse. In Leonora, regina menses & hæmorrhoides subprimebantur quæ olim fluxerant, *Fernel.* consil. 39. fol. 48. Imo in quibusdam defectu lochiorum vel menstruorum tument ac aperiuntur, ait *Swalve* Disq. Therapeut p. 117. De hæmorrhoidibus uteri legatar Altius Cetrab. 4. Serm. 4. c. 97.

19. MAGIS IN ÆTATE FERVIDA] Quia hæc plerumque cholerica; vel reliquis calidior, tum ob exercitia, opificia: robur virium &c. Consistentem seu virilem ætatem quod adoriantur hæmorrhoides adstipulantur *Hipp.* 3. Aphor. 30. *Cels.* l. 2. c. 1. *Galen.* l. d. humor. comm. 3. t. 27. *Fromm.* q. 26. & 29. *Senn.* prax. l. c.

20. QUAM PUERILI] quamvis forte nec huic ætati plane videantur denegandæ observationes tamen sunt

rariores

rariores, duo allegat exempla *Simon. Schulz* in Ephem. Germ. Cur. Ann. 8. obs 22. in puero 8. annor. & alio minore natu conf. Rof. Lentilii Obs. 124. An. 9. dec. 2 pag. 216. ut & Luc. *Schrœckii* Scholium p. 217.

21. Senili] ob calorem in senectute defervescentem & sanguinem sensim sensimque defecturum. Tamen sæpe ultra adultam ætatem terminos suos promovere hæmorrhoides asseverat *Fromman.* q. 29. & Ant. *Zimara* Comm. ad cap. 10. Aristotelis l. de somno scribit: Novi quendam, qui singulis mensibus sanguinem hæmorrhoidalem patiebatur, & erat jam octogenarius. *Theod. Hegbugs* apud *Joh. Bapt. Lamzweeide* in append. observat. n. 94. habet exemplum Hæmorrhoid. cœcar. in sene 70.nario.

Par ratio est mensium in vetulis fluentium *Fabric. Hildan.* Cent. 2. obs. 61. observavit in matrona Coloniense 78. annorum. Ego quoque in agnata 89. annorum.

22. Ob admistum sanguini serum] sive illud mere aquosum fuerit; ut ita fluidior sit sanguis; sive acrius pro majori stimulo de seri speciebus vide *J. T. Schenk.* de sero sanguinis c. 2. p. m. 13. Testantur *Higmor.* de aff. hypoch. p. 67. *Fromman.* quæst. 17. Imo serum plane idem esse cum phlegmate fere credo; & entia mihi videntur multiplicari præter necessitatem; quando alium credimus humorem frigidum & humidum esse pituitam a sero; hoc enim pro majori minorive incrassatione modo spissius modo dilutius est. Experimentum habet *Hieron. Barbatus* de sangnine & ejus sero p. m. 14. & ex aliis *Fromm.* q. 16.

23. Ob succum pancreaticum infectum] probat *Fromm.* q. 19. Vide Regn. de *Graff* de succo pancreat.

24. Purgantia valida et acria] Vide *Zacut* Lusit. histor. Med. princ. 2. p. 259. maxime aloëtica, *Fromm.* p. 22.

25. Chocolatæ] Varie vocatur, ceu in peregri-

nis vocabulis accidere consuevit, Chuculate, *Linschott.* Ind. occid. part. 9. l. 4. cap 22. Chocolate *Eid.* ib. *Vesling.* Epist. 42 & C. *Bauhin* in Pinac. Chocalate L. *Strauss.* de potu Coffi §. 2. Chocolade vel Chocollada, *Sim. Paulli* Quadrip. Bot. p.370.446 454. Succolata *Schröd.* & *Macasio*; Estque massa in placendas sat crassas formata, rubra saturato, friabilis, sine odore, non absimilis sanguini draconis, præterquam sit coloris lucidioris; ajente *Schröder.* Pharmacop. l.4. class.2. p.216. Hæc massa fit ex fructu arboreo siliquis incluso, qui amygdalarum speciem refert, sive figuram speciei sive temperamenti habeas rationem, quo gustui vix observabilem primarum qualitatum excessum exhibet; colore est fuscus; ceu hæc collegi ex *H. Benzo.* l.2. Hist. nov. orb. c.16. p 229. *Joh. Vesling.* Epist. 42. p 154. *Schröd.* l. c. *Sim. Paulli* de abusu Tabaci p.58. &. *C. Bauhin.* Pinac. l. 11. f. 6. 442. iconem vero ejus graphice proponit *Tabernæm.* l 3. c. 16. p.1338 ed. ult. Anno 1664. vocaturque Cacao *Clus. Tabern. Vesling. Strauss.* Jacao. *Bertio & Merc.* in Hispaniola; Arbor vero ejus vocatur Cacavate, quæ adeo horret solem, ut sub umbra semper sit servanda, & altioris arboris tegenda umbraculo locis silvosis & irriguis, sole admoto tabescit, ex Libav. de orig. rer. *Jonston.* Thaumatogr. class v. cap. 10. pag 191. Confirm. *Benzo.* l. a. p. 228. Ex India Occidentali affertur; *S. Paulli* l. c. p. 24. Mimirum hujus fructus integræ naves plenæ afferuntur ex Guatimala; *Bauhin. Benxo, Scroder.* loc. citt. Crescit quoque in Fondurensis provinciæ & Mexici finibus, totoque novæ Hispaniæ tractu; præcipue tamen in Nicaraguæ regione ferventissima, *Benzo* l. d. Primus vero honor debetur illi massæ, quæ in America paratur, posterior quæ in Hispania ex granis advectis conficitur; vetustate paullatim vilescit, *Schrod.* l. a. Fructus hujus per universam Americam multi & varii usus, adhibetur loco monetæ, cum qua mercatores negotiantur; imo pauperibus etiam eleemosyna datur; *Benzo, Bauhin. Scrod.* Indi inde

parant

parant potum; de quo lege *Benzon.* l. d C. *Clus.* l. 2. Exotic. cap. 29. p. 56. *Anonym.* Auctar. in Dodon. *Bauhin.* *Schrod.* quam improbant *Benzo* & *Sim. Paulli* de abusu Tabaci p. 37. Dosis massa est a ℥ij. ad ℥ß. & ultra mane calide in vino vel cerevisia dilutæ *Scrod.* Dicitur conferre ventriculo frigido, pectori adeoque tussi; purulentoque inprimis screatui. Commendatur summe ad roborandum vitæ balsamum; *Schrod.* & ad venerem proritandam *Id.* & *Macas.* promt. mat. Med. p. 161. Verum cum hæc massa valde sit calida, paratur enim ex granis contusis & aromatibus mixtis, & quidem non uno modo; hinc illa, quam *Vesling.* l. a. in officinis explorare potuit, linguam ejus tam evidenti caloris ἐξοχῇ afficiebat, ut tertium calidorum ordinem accedere videretur, indeque valde siccet genitalem humorem, ejus calor magis destruere quam juvare creditur *Sim. Paulli* Quadrip. Bot. class. 3. p. 370. 396. 440. & 464. Nimirum fere omnia illa venerem stimulantia sunt calida & acrimonia ac caliditate quidem irritant; sed semini generando vix sufficiunt. Improbatur vero plane Chocolata a *Sim. Paulli* passim in locis citatis; & *Vesling.* scribit l. d. Hanc, ut inter panaceas deponamus non tibi CL. Sachsi, non mihi ullæ mulierum næniæ persuaserint. Scil. propter nimiam caliditatem; ut reliqua calidiora; hic sanguinem effervescere & erumpere faciet; ac pro causa hæmorrhoidum apertarum haberi, si nimia usurpetur. De hac potest legi *Antonii Colmerii de Ledesma* opusculum ex Hispanico in Latinum translatum interprete M.A. Severino; edente Cel. Volcariero.

26. FUMUS TABACI] Vid. integrum tractatum *Sim. Paulli* de abusu tabaci & herbæ theæ 4. Argent. 1665.

27. QUI PROPTEREA NON STATIM] huc quadrant commode verba *Fremmanni* q. 14. dicentis: Sanguinem a. crassum si rejici videmus, non statim pro melancholico venditandus est ille. Prout enim laudabilis sanguis extravasatus coagulatione sua & partium

ab invicem discessu lactis gelati varias substantias imitatur, ita nonnumquam in venis & arteriis conclusus instar ejusdem coagulo perfusi a causis morbificis parem omnino mutationem subit, ob quam in circuitu præpeditus aut alicubi coagulatus juxtaque portiones defixus prures affectus prodit ut docte Doctissimus *Willis* de Febr. p. 14. differit. Nimirum nimium ne crede colori.

28 MELANCHOLICUS] ab humore melancholico nisi semper, tamen ut plurimum oriri hæmorrhoides veteres & recentiorum plurimi statuerunt. Ex veteribus *Hippocr.* l. de hæmorrhoid. & 6. Epid 24. & 6. aph. 11. atque alibi; *Galen.* comm. in d. l. Hipp. & l. 2. de cur. rat. ad Glauc. c. 10. & l. de atra bil. cap. 4. *Actuar. Oribas Paullus. Ætius, Trallianus, Ibn-Tsiua* & alii teste *M. Sebiz.* disp de hæmorrh. §. 40. Et recentioribus *Rolfinc. Jonston. Blas. Conring. Scheuk.*

29 MELANCHOLIA GALENISTARUM] juxta hos enim est humor frigidus & siccus crassus acidus atque nigricans, in liene generatus; & vel excrementitius, ex liene eructetur in ventriculum, ubi faciat, ut is cibos melius retineat & tamdiu quidem, donec sint concocti; augeat famem & appetitum naturalem; corroboret os ventriculi; & alia plura. Verum si quis accuratius pensitet: ubi quæso talis in humano corpore humor naturaliter, quique differat a reliquis specifice? Quomodo frigidus erit & siccus? Quomodo ad ventriculum eructabitur? forte per vas breve? sed dudum hoc est refutatum a *Fr.* de le boë *Sylvio* disp. Med. V. §. 15. & *J. T. Schenk.* schol part. p. m. 102. & *Rich. Lower.* de Corde. c. 5. pag. m. 206. Imo in liene generari melancholiam contra experientiam Anatomicam & rationem est: negantque *Gliffon.* in Anat. Hep. cap ult. sect. 45. p. 534. *I. D. Major.* Anat. 1. kilon. c. 2. §. 21. præcipue *Fr.* de le böe *Sylv.* l. c. §. 20. qui quoque ibid. §. 7. scribit se in plus quam centum cadaveribus observasse nullum viscus, si cor excipias musculosum

losum minus offendi labefactum ipso liene, etiam in affectibus melancholicis perperam lieni male habenti vulgo adscriptis. Conf. *Ol. Borrich.* ap. *Th. Bartholin.* Cent 3. Epist. 97. p. m. 419. Et ante hos *Helmont.* tr. calor efficienter non digerit, sed tantum excitative. num. 31. p. m. 205. & alibi. Humorem melancholicum, cujus receptaculum lienem esse docuerunt, non existere in nostro corpore satis superque probavit *Higmorus* de affect. hypochondr. pag 15. conf. omnino *Joh. Rhodii* notas ad *scrib. Larg.* Comp. 136. pag. 209. & *G. C. Schelhammer.* Exerc. Med. 10. §. 26.

30. SPECIES BILIS ADUSTÆ] Sententiam meam illustrat Cl. *Willis* de urinis. cap. 4. pag. m. 254. dicens: si bilis flava cysti-fellea exemta ac curcubitæ indita, leni balnei calori exponatur eadem brevi viridescet, ac postea instar atramenti nigerrima apparebit: quare in ictero nigro, quæ tantum est flavus diuturna mora in deterius evectus, nihil usitatius est, quam urinas atras reddi. Et probe hic consideranda verba *Frommanni* q. 15. ubi hæc: Quid? quod atra bilis sit flava bilis in atram & atramenti instar nigerrimam degenerans, quæ icteritiæ nigræ mater audit; Medicis est notissimum. Hinc *Willis* de Febb. cap. 1. p. 100. ait: Bilis constat ex sale & sulfure c. admixtione spiritus & aquæ, & melancholiæ ex iisdem c. adjectione terræ.

31. NON FRIGIDA EST:] Et tamen vulgo circumfertur melancholiam esse frigidam & siccam. Verum hoc in passu res iterum per ipsos patronos cadit: *Sennert.* enim praxi p. 418. ubi rationem reddit, cur meridionales præ septemtrionalibus affligant: ait: Quia meridionalium regionum incolæ sanguinem NB. Calidiorem & magis adustum, septemtrionalium v. frigidiorem habent. Imo rem refutat quoque diæta refrigerans in hoc affectu a *Rolfinc* Epit. l. 3. c. 21. commendata; ipsaque experientia: modo non admodum cœco amore feramur in religionem antiquitatis.

32. HINC FREQUENTIUS] hæc sunt Cl. *Jonston.* Idea Med. Pr. l. 10, t. 4. c. 2.

33. SIQUIDEM &c.] nimirum in arteriam magnam promiscue sanguis, variis quidem particulis constans, propellitur, & absque electione ad partes non trahentes (ut aliqui tn. voluere) adpellitur; & ita modo bonus modo vitiosus effundi potest.

34. GRUMI CRUORIS] Hoc testantur *Corbei. Pathol.* l. 2. s. 4. cap. 12. *Salmuth.* Cent. 1. observ. 73. *Fernel.* l. 6. *Pathol.* c. 10 & *Fromman.* q. 14.

35. HÆREDITARIÆ: aliquando tamen has dari asserunt *Rolsing.* l. a & alii sic *J. Schenk.* l. 3. obs. 156. certæ familiæ Comites refert, qui ex ordine hæmorrhoidibus laborarint; ibidemque ex *Scholing.* ab Holler. l. 1. c. 55. quibusdam familiis consuetas esse hæmorrhoides. Conf. *Solenander.* l. 4 cons. 20. non tamen hæc hæreditaria propagatio est continua; *Fromm.* q. 36.

36. RARIUS ENDEMIÆ] endemii morbi sunt, qui frequenter locum ejusque incolas occupant propter communem causam e. g. aquas, aerem, victum &c. *Fonsec.* tom. 1 cons. 27. pag. 183. ait has Venetiis, Patavii & in illis regionibus esse adeo frequentes ob frequentissimum usum pilularum aloës: & ob alias causas: quas tamen non sufficere, nisi in latiori significatione autumat *From.* q. 35. Aliqui Judæis eas esse familiares clamitant, sed absque fundamento.

37. PERIODOS] Videlicet nonnullis vix semel atque iterum prodit: quibusdam aliquot diebus: aliis singulis mensibus, nonnullis singulis annis & ita porro: ob rationes in textu allegatas. *Senn.* prax. l. 3. p. 418. De menstruo hæmorrhoidarum fluxu eoq; nimio videatur *Caspar Reelicken* in Act. Hafn. Vol. 1. n. 81. p. 165.

38. COLOR FACIEI] hoc dicit *Abvalii Bn-sina.* l. 3. fen. 17. c. 2. & *Forest.* l. 23. obs. 5. in schol. deducit *Fromm.* q. 33.

39. SANGUIS ANTE, CUM VEL POST] Testatur hoc experientia: & ratio suadet: vix ergo locum inveniet

veniet sententia *Guil. Roman.* conterranei mei ap. *Gr. Horst.* t. 2. f. 393. utut eam approbet *Hofer.* Herc. Med. l. 3. c. 5. p. 195.

40. SPECIE VARIA] testantur *Rolfinc.* Epit. l. d. & multi alii.

41. NON SEMPER NOTANT PRAVAM &c.] Nimirum sunt interdum a sanguinis boni copia: ut supra dictum. Interim melius quidem esset, si natura iis carere posset. Si vero ejus instinctu superveniant: bonæ & salutares pronunciantur. Similis jocus est de gravedine: Es ist schade wann den Schnuppen die Armen sollen haben, er gehöre vor die Reichen, tanquam singulare beneficium: quod per sui effluxum multorum malorum causam præripiat. Melior tamen fuisset ejus absentia.]

42. SÆPE A MULTIS MALIS] Fuse demonstrat *Hipp.* 6 Epid. s. 3. *Barth.* A. R. libell 1. c. 4. scil. a pleuritide peripneumonia: Melancholicis & spleneticis affectibus, nephritide, mania: & quid multis! ubi sanguis peccat: & ita per naturæ jussum evacuatur: nonne hoc conducet?

43. MULTA QUOQUE MALA GENERENT] docent hoc *Ætius* tetrab. 4 serm. 2. c 3. *Galen.* 3. Nat. fac. 8. 9. M. M. 10. l. ad Glauc. 14. 2. de præsag. ex puls. 4. *From.* q. 44.

44. INTENSISSIMO DOLORE] adstipulatur *Dodon.* obs. Med. c. 50. explicat *From.* q. 22.

45. SI SUNT] Nota in genere hæmorrhoidum curatione pleni sunt omnes fere practicorum libri. Verum cum ista, ut reliquorum affectuum, sint valde generalia; prudentia Medici opus est, qui illa pro individui ratione applicabit, De novo hæmorrhoidum cæcarum remedio, muribus scil. marinis vid. Christiani Maximiliani Speneri Med. D. Epistolam ad Dn. D. Mich. Bernh. Valentinum, Amstelodami, typis hæredum Hermanni Aaltiz A. 1700. in 4to qui ibid. p. m. 4. ait: Ab inerudita

etiam plebecula conqueri, murium illorum probatissimum in curandis hæmorrhoidibus cœcis usum esse.

Id. ib. p. m. 10. pergit: Usum quod attinet, unanimi plebejorum loca hæc maritima, præsertim Selandiam incolentium testimonio tanquam certissimum & infallibile remedium ad curandas hæmorrhoides cœcas adhibentur, idque in forma suffumigii, quod plurimis in casibus sibi prospere successisse, doctus quidam Medicus mihi retulit. Nec ratio hic deest, quæ idem suadere possit, siquidem per Sal comm. alkalinum supra allegatum sulphure quoque narcotico mures hosce impraegnatos esse, vel exinde probabile videtur, quod rajæ, quarum secundinæ quasi sunt, insignem affinitatem habeant cum torpedine naturali, ut Aetius loquitur, facultate stuporem inducente, & dolores ex capite tollente, cumprimis in partibus inflammatis. Unde & Hipp. noster lib. de affectibus in quodam morbo hepatico pleuritidi non absimili torpedinem, pastinacam & rajas simul præscribit, tanquam iisdem vel similibus viribus prædita virtualia. Quas quoque Rondeletius in pruritu hepatis commendat. Id ib. p. m. 11. alia specifica addit, qui videatur.

46 Ad V. S.] Si nimirum sit a sanguinis copia, ne major dein fiat affluxus, alias parum proderit; revulsio enim plane cadit propter circulationem.

47. Scalpella] Scalpello cœcas attingere vetamus, ait *Rolfinc.* Epit. l 3. c. 21. Sectionem quoque periculosam esse, in inveteratis præsertim ac diuturnis scribit *Jonston.* Prax. p. 542. quod funesto suo exemplo testatus est Joh. Austriacus Caroli V. Imp. filius, qui scalpello apertis, largo secuto sanguinis profluxu intra 4. horas occubuit, ceu ex *Dionysio Daca* Hispano lib. 3. de Apostem. c. 188. *Zacut. Lusit.* lib. 1 de Medic. Princ. Hist. 39. & 40. p. 78. & lib. 3. Prax. Adm. obs. 6. refert. Hinc Bononiensium medicorum quorundam stupiditatem & ignorantiam admiratur *Amat. Lus.* in Schol. ad Cent. 5. c. 3. qui indiscrete venas hæmorrhoidales phlebotomo aperiendas jubent, & addit; Vos vero cavete, inde enim mul-

multa ſequi mala, certum eſt. Conſentit *Fromm.* q 25. *Sennert.* de Febb. lib. 2. c. 5. p. m. 197. Affirmat vero uſum apertionis *Pareus.* l. 12. c. 24. *Swalv.* Diſquiſ. Therap. ſ. 6. p. 115. & *M. A.* Severin. l. de efficaci Med. p. 2. c. 17. qui poſterior alium modum proponit vid. *Rollii* Diſp. c. 9. In affectione hypochondriaca hæmorrhoidum ſectionem ſuadet *Rompf.* ad *Schmitz.* Comp. Pract. p. m. 6. Theodorus Heghugs Chirurg. expert. apud Joh. Bapt. a Lamzwerde in Append. obſſ. n. 94. hanc proponit de hæmorrhoide pollicis longitudine & craſſitie in ſeptuagenario ſene ferro ignito ablata; his verbis: Ruſticus Slotenſis annorum 70. poſt intolerabiles hæmorrhoidum dolores & quævis fruſtra tentata remedia perſuaſione magiſtri mei operationem chirurgicam admittit, quæ adjuvante Magiſtro Theodoro Vennekool Anno 1654. feliciter per ſcalpra obtuſa & ignita ſerratim perficitur; appoſito vulneri actuali cauterio, ne nimia hæmorrhagia ſubſequeretur, qui ulcus aliorum inſtar brevi curabatur.

48. HIRUDINES] Has improbant *Mercurial.* lib. 1. Conſil. Med. 6. p. 38. *Joh. Thom. Minadous & Victor. Trincavel.* de Rat. Cur. Part. Hum. Corp. aff. l. 9. c. 14. ap. *Schenck.* l. 3. obſ. 164. ubi ait, quoque eſſe novum juniorum medicorum inventum, nec meminit ejus eſſe mentionem factam ab aliquo Græcorum aut Arabum Medicorum. Verum *Galenus* ipſe librum peculiarem ſcripſit περὶ βδέλλων ἀντισπάσεως, σικύας, καὶ ἐγχαράξεως ἢ καταχασμοῦ, de hirudinibus, revulſione, cucurbitula & conciſione cutis ſeu ſcarificatione, in ejus Operibus Tom. 4. Edit. Baſil. Imo quod apud veteres in tali caſu quoque in uſu frequenti fuerint, refert *Zacut. Luſ.* l. 1. Princ Hiſtor. Quæſt. 4. Hinc eas in hæmorrhoidibus aperiendis laudant *Bartholin.* A. R. p. 426. *Borell.* Cent. 1. obſ. 63. *Jonſton.* Prax. p. 543. *Rolfinc.* Epit. l. 3. c. 21. *Fonſec.* Tom. 1. Conſ. 27. p. 181. *Minrer.* de Med. Milit. p. 263. *Sebitz.* Diſp. de Hæmorrhoid. Th. 110. & *Sennert.* de Febb. l. 2. c. 5. p. 197. *Pareus* l. c. & præcipue, ceu ſpecificum & determinatum earum remedium

Pe-

Petræus Nosol. Harm. Diss. 32. Sic quatuor hirudines viro alicui feliciter applicuit, ut extraherent ℥vj. sanguinis. *Amat. Lus.* Cent. 6. Cur. 3. qui ib. in Schol. modum applicandi tradit. Fusius vero locum, tempus & modum applicandi docet *Aquapend.* de Operat. Chirurg, c. de Hæmorrhoid. & ex eo *Sennert.* Prax. l. 3. p. 429. qui ib. p. 421 jubet, eas affigi post evacuationem, ne major humorum affluxus concitetur.

49. FRICTIONES] Hæ possunt fieri vel panno aspero, *Jonst.* l. a. vel folio ficus, parietar. borrag. bugl. mercurial. &c. *Rolfinc.* l. c. *Amat. Lus. Sebitz.* l. c. Professor quidam Jenensis cœcas suas feliciter aperiebat folio Serratulæ. Interdum quoque aperientur illitione Succi betæ-cyclam. cent. min. & similibus *Sennert.* Prax. l. 3. pag. 421. Aperit eas quoque lac ficulneum, si contricentur folia ad invicem & apponantur. *Fonsec.* t. 1. Consf. 27. p. 185. Conf. *Hartm* Prax. p. 205.

50. SCARIFICATIONES] has proponit *Rolf.* l. 3. Epit. cap. 21. cucurbitulas hypochondriis ad revellendum, coxis vero ad derivandum admovet *River.* Prax. l. 10. c. 10 p. 741.

51. ADSTRINGENDO] hic laudatur mixtura *Fr. de le Boe* Sylv. l. 1. c. 13. Prax. §. 46. quam vero descripserat c. 9. §. 20. & hæc est:

R. aq. plantag. ℥ij
cinnam. ʒvj.
acet. dest. ℥ß.
corali. rubr. ppt. ʒß.
sang. drac. ℈ß.
laud. op. gr. ij.
sirub. myrtin. ℥j. cochleatim sæpius assumatur. Hic quoque laudatur cingulum ex foliis helleb. nigr. conquassatis recentibus, quod describit *Hartm.* prax. p 204. & ex hoc *Jonst.* p. 541. qui etiam plura addit.

52. DOLORI SUCCURRITUR] Egregium est, quo uti-

utitur CL. D. *Geidelin*. Practicus Argent. feliciſſimus Competitor olim meus, & Amicus optimus, quod mecum communicavit: illo enim ad miraculum fere tolluntur dolores. Nec hoc fruſtra adhibetur,

R. rad.alth. Lil. alb.lapath. unct.a a ℥ß. fl. linar. verbaſc. chamæm. R. Lil. alb. aa mß. ſem. lin. fœnigr. pſyl. aa ʒiij. conc. cont. coq. in lacte caprillo, calide ſæpius adhibe. *Fonſec*. l. c. p. 184. laudat opium: ol. ſem. lin. medullam crurum vituli; ol. armelin. c. aſellis, & præ reliquis tanquam ſecretum, balſamum ſulf. it. ol. buxi. *Hartm*. Prax. p. 203. ol. ſcarab. cineres ſuberis exuſti c. axungia eapil. oleo myrtino cocti, unguent. ex linar. quod poſterius mavult ex fl. componi *Hœfer* H. M. p. 195 qui mire illud deprædicat, una cum aliis probatis.

53. FOMENTIS] ſcilicet quæ ex thapſo barbato, croco, linaria, chelid. min. melilot. &c. fiunt, magis proſunt, quam unguenta; quia hæc tubercula non ſemper patiuntur pinguia, teſte Amiciſſimo mihi D. D. *Wedelio* Ann. 2. Ephem. Cur. Germ. obſ. 195.

54. AMULETA] Hic egregio encomio in Medicinam nuper introduxit amuletum ſuum Experientiſſ. *D. D. Wedel*. Medicus Ducalis Saxo-Gothanus ſuaviſſimus Amicorum; Anno II. Ephem. l. c. quod hoc eſt: Appenditur radix Telephii ſeu fabariæ recens (vel aliquot ſaltim nodi, prout nodi ipſi plures vel pauciores in ano protuberant) cum filo in dorſo inter ſcapulas. Simul cum marceſcente radice, tabeſcit & evaneſcit omne tuberculum. Idem laudavi ex hoc in Lexico meo Vegetab. uſual. p. 39. *Helmont*. quoque hic commendat amuleta; forſitan (ait *Hofer*. *Herc*. Med. l. 3. c. 5. p. m. 194.) Scrophulariæ radicem: & fructus cardui hæmorrhoidalis. Scrophulariæ vim mirificam interne deprædicat *Heinr. ab Heer*. obſ. 20. p. m. 244. de Magnetica hujus vi vide *Minder*. Med. milit. p. 262. Cardui vero pomum ſaltim in pera geſtatum hæmor-

rhoi-

rhoides pellere scribit *G. Horn.* Arca Mosis p. 150. & *Bernh. Swalve* disquisit. therap. sect. 1. p. m. 21. Huc pertinet annulus, quem *Helmontius*, ceu scribit de Feb. c. 2. num. 39. facit ex metallo, quod componit, qui si gestetur, ipso spatio orationis dominicæ tollitur hæmorrhoidum dolor, & 24. horis evanescunt hæmorrhoides tam internæ quam externæ, utut maxime protuberent. Fides sit penes auctorem. Hunc annulum confici ex dente equi marini putat D. Joh. Michael in Colleg. MSS. Practic. in Jonst. Helmontius vero ait, fieri ex metallo, ejusque descriptionem ait l. c. se dedisse in Tr. in herbis verbis & lapidibus &c. ubi tamen ego invenire nondum potui.

55. FIGURAS TILSEMANICAS] Aliis, sed minus recte, dicuntur *Talismanicæ*. Arabica vox est, & ibi dicitur *Tilseman* vel *Tilsemon*. De nomine æque ac re ipsa lege *Greg. Michaelis* Notas in *Gaffarellæ* Curiositates inauditas n. 59. pag. 257. seq. *Car. Patini* in Hist. Numismat. cap. 14. pag. 99. seq. *Jo. Henr. Ursini* Exercit. de Hermete Trismeg. pag. 128. seq. *Selden.* de Dîs Syris Syntagm. 1. cap. 2. pag. 116. seq. *Frommann.* de Fascino pag 278. seq. *P. Ammanni* Parænes. pag. 4. Hujusmodi figuris creduntur suasu Magorum suorum usi Philistæi, ubi Hæmorrhoidibus cæcis laborabant 1. Sam. v. 6. (hisce enim eos laborasse, probant *Interpres Arabs*, *Versio Latina Junii*, & *Tremellii*, item *Aglicana*, & *Belgican.* & in Not. *Drusius*, *Grocius* &c. imo cum Ebræis plerisque, inprimis *Rambam*, qui in *More Nevochim.* Part. 1. cap. 1. pag. 2. ait: Ita dico de illo *Tzalme imagines anorum suorum*, quod hæc vox (*Tzelem*) ipsis attribuatur non propter formam externam, sed propter virtutem & influentiam illarum spiritualem, qua damnum seu morbus mariscarum in anis seu posterioribus (Philistæorum) auferebatur. Novi interpretes fere quotquot sunt, quando imagines aureas ceu nates ipsorum erant: & mures aureos (quorum vero in textu originali nulla, sed saltim Græca LXX. Virorum Versione

ne mentio) faciebant, uti est nuperrima observatio *Joh. Gregorii*, Angli, Not. & Observatt. in aliquot loca Scripturæ, cap. 8. Hæc Lector accepta feras CLmo Dn. D. *Joh. Fried. Miegio*, Prof. Theol. P. Celeberr. Amico & Collegæ honoratissimo, Linguarum Orientalium Scientissimo, qui & in litteris ad me d. 21. Aug. 1672. datis, hæc verba perscribit: Et percussit eos Deus בַּעְפֹלִים: Qualis morbus fuerit, cum hoc saltim loco, & altero Deut. 28. v. 27. vox occurrat, parum constat: In *Natibus* collocandum plus quam probabile (1) quia עפל *Ophel*, quod in textu proprie *partem prominentem* (corporis) טחור *Tachor* autem, quod pro illo altero vocabulo Masorethæ in margine substituerunt, *anum* significat. (2) In hoc Interpretes plerique omnes consentiunt, (3) idem suadet, quod natium imagines infra leguntur Philistæi, ut ab hoc malo liberarentur, Deo consecrasse. Non ita compertum ipsum morbi genus: Procidentiam anus vel sphincteris aliqui; alii dysenteriam, ut Josephus sibi imaginantur. Rectissime, meo judicio, qui Apholim עפולים *tumorem* interpretantur, & morbum adeo significari putant *mariscarum* s. *hæmorrhoidum*, (ita *Junius, Tremellius, Diodati, Genevenses, Belgæ, Angli* in Versionibus) ac in specie quidem illarum, quæ intus latent (cœcæ, ni fallor, Medicis dictæ,) ac gravius ideo dolent, & difficilius curantur. Nam dicitur expresse v. 9. *& latebant ipsis Apholim*, seu ulcera ista. Nec mirum a tumore, mariscis apud Ebræos impositum est nomen; Aphal enim hodieque Arabibus tumorem significat. Dixit similiter Juvenalis Sat. 2.

Cæduntur *tumidæ*, Medico ridente, mariscæ.

Deut. 28. v. 27. in comminationibus legalibus idem morbus *Apholim* cum ulceribus, scabie & prurigine conjungitur, unde utcunque de ejus natura judicare datur. Hactenus CL. Miegius. In *Scaligeranis* pag. 38. ad h. l. Sam. hæc legunrur: *des broches secretes* sont hæmorrhoides ou fistules encore plus dangereuses que les hæmorrhoides.

56.

56. TRANSPLANTATIONEM] *P. Castellus* CL. Messanæ Medicus expertus est hæmorrhoides, si tangantur tuberosa radice Chondrillæ siccari, si chondrilla siccetur, corrumpi vero, si corrumpatur, quare sub camino exsiccandam suadet, teste *Bartholin.* Cent. 3. *Hist.* 66. p. 129. Ita *Durantes* in Hortulo Sanitatis, & *Ulysses Aldrovandus* magni fecerunt hæmorrhoidalem herbam, quæ est species polygoni, Italiæ non ignota. Ea tactæ hæmorrhoides dolentes melius habent, si per diem circa femur gestetur, & mox in fumante camino suspendatur. Ut herba ita & hæmorrhoides corrugantur, omnisque evanescit dolor, scribit *Rolfinc.* Epit. p. 328.

57. USTIONEM] hæc periculosa *Jonston.* Prax. p. 542. & dictu facilis, difficilis factu; *Rolf.* Epit. l. 3. cap. 21. Vide de ea *Aquapend.* l. 2.

DISSERTATIO MEDICA DE MUSICA.

§. I.

HOnos, (ait Princeps Romani *Tullius* eloquii, Quæst. Tusculan. Lib. 1.) alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria: jacentque ea semper, quæ apud quosque improbantur. Summam eruditionem Græci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus, igitur & Epaminondas, Princeps, meo judicio, Græciæ, fidibus præclare cecinisse dicitur: Themistoclesque aliquot ante annis, cum in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior. Ergo in Græcia floruerunt *Musici*, discebantque id omnes, nec, qui nesciebat, satis excultus doctrina putabatur, & Lib. 4. sub Init. idem: Cum carminibus soliti Pythagorei esse dicantur & præcepta quædam occultius tradere, & men-

teis

teis suas a cogitationum intentione & cantu fidibusque ad tranquillitatem traducere, gravissimus Auctor in Originibus dixit Cato, morem apud majores hunc epularum fuisse, ut deinceps qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes. Assentior enim (pergit idem Cicero lib. 2. de Legibus) Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos, quorum dici vix potest, quanta sit vis in utramque partem: Namque & incitat languenteis, & languefacit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit.

§. 2. Quin & rectissime Plutarchus de Musica: Σεμνὴ ὖν κατὰ πάντα ἡ μεσικὴ, Θεῶν ἕυρημα ὖσα. i. e. Modis omnibus veneranda est Musica, cum sit Deorum inventum. Nescio (inquit *El. Schedius* de Dîs Germ. Syngram. 2. cap. 33. pag. 402.) quid divinum imprimit in animis nostris vis Musica. Certe spiritus propheticos excitandi pollere facultate, discimus exemplo Elisæi 2. Reg. 3. v. 15. Quin ipsum jam Adamum in statu innocentiæ eandem exercuisse, Deum canendo & laudando, asserere non veretur *ὁ πάνυ Dannhauerus* in Lacte Catechetico Conc. 36. pag. 523. qui ibid. non modo Jubalem primum instrumentorum Musicorum inventorem laudat ex Gen. 4. v. 21. sed & antiquissimis Ebræorum diversos jam olim Musicæ modos *al alamoth, al hasminith* dictos in usu fuisse, ex Theodoreto lib. 2. cap. 24. Socrate lib. 6. cap. 8. & Suida in voce *χόρος* probat. Succinit ei CL. Georg. Paschius de Inventis Nov-Antiquis cap. 1. §. 3. pag. 5. his verbis: Jabali germanus Jubal Psalterii & Citharæ auctor est, id quod de instrumentis quibusdam intelligendum saltem, nonnulli volunt, qui ipsius Musices in-

ventorem Adamum faciunt, quo de argumento videatur *Matth. Herbenus* in Tract. de Natura Cantus & Miraculis Vocis. Conf. plura apud Samuel. Schelgvigium Disp. de Musica Thorunii habita 1671. in 4to.

§. 3. Ab omni etiam ævo apud omnes fere non cultas tantum moratasque, sed & barbaras gentes Musicam fuisse in pretio ac honore, affatim omnium seculorum testantur historiæ; nil enim moramur Scythas, Ægyptiosque, de quibus *Diodor. Siculus* testatur, eos Musicam non inutilem modo sed & noxiam esse, ut quæ virorum animos effeminet, persuasum habere, Biblioth. lib. 1. f. m. 73. Alia longe mens Chaldæis, Persis, Græcis, Romanis, olim, & hodie cultioribus omnibus Asiæ, Europæque, imo incultis Africæ, Americæque incolis esse oculari perhibetur experientia. Taceo principes sagi togæque artibus inclytos Musicæ addictissimos, Alexandrum M. Cæsarem, Augustum, Neronem & sexcentos alios, Musicæ artis & aliarum æque scientiarum insigniter peritum Alfredum Magnum, Anglorum Regem, perhibet Baleus Cent. 2. Scriptt. Britann. pag. 225. ex eoque CL. *Val. Ernst. Læscher.* Disp. de Script. Princip. §. 3. Sic nostra ætas admirata est trigam Augustissimorum Impp. Leopoldi patris, Josephique & Caroli VI. fratrum Musicæ artis instructissimam.

§. 4. Claudimus hæcce de Musicæ præstantia verbis B. Megalandri *Lutheri*, qui (teste *M. Joh. Lippio* Disp. 1. de Musica Vitembergæ 1609. habita in Præf. pag. A. 2. a.) ad Senflium, insignem ævi sui Musicum ita scripsit: Multa virtutum semina iis inesse arbitror, qui delectantur arte Musica; truncis autem & lapidibus similes esse, qui ea non afficiuntur. Scimus enim Musicam etiam Dæmonibus invisam

visam & intolerabilem esse. Et plane judico, nec pudet asserere, post Theologiam esse nullam artem, quæ possit Musicæ æquari. Nam ipsa sola post Theologiam id præstat, quod alioqui sola Theologia præstat, scilicet quietum & lætum animum. Nequeo, quin in laudem Collegæ & Amici quondam conjunctissimi, Joh. Lud. Fabritii, præclari Theologi Heidelbergensis subnectam sequentia ex CL. Jo. Henr. Heideggeri Historia vitæ & obitus ejusdem pag. 136. desumta verba: Supra modum hymnis delectabatur sacris, quorum plurium magna cum emphasi doctis & indoctis consulentium auctorem Lutherum summopere laudabat. Tandem paulo ante obitum in lectulo emortuali ajebat: Deum in hac vita nobiscum juxta corporis & animæ nostræ conditionem agere, in altera vero vita fore, ut beati *Musica excellentissima*, sed mere intelligibili, sese oblectent. Addamus & verba *Wolfg. Schulleri* Med. Doct. & Prof. Vitemberg. in Progr. Fun. Seb. Matthesii, LL. Cult. 1620. Musicam artem, qui liberali homine indignam censent, næ illi parum liberalis, & quos melius cucurbitas pingere: Eam enim veteres sapientiæ antistites non solum exercuisse constat, sed indoctiorem existimasse, quo quis illarum imperitior esset.

§. 5. In genere, quæ ad movendos hominum animos affectusque Musicæ sit efficaciæ, satis superque docent Philosophi cum *Aristotele* Polit. Lib. 8. cap. 5. 6. 7. & lib. 1. cap. 3. ex eoque *Jo. Calvinus* in Decade selecta Quæst. politicar. Heidelb. 1600. edita §. 10. *Gumpelzhaimer* de Exercit. Academ. pag. 150. Plurima etiam in gloriam Musices enarrat CL. *Bæclerus* in progr. Acad. 22. pag. 3. seq. & *Q. Mar. Conadus* Lib. 4. Epist.

 114.

114. p. 119. seq. ubi nomine Ant. *Vulpii* Musici præstantissimi opera sua Carolo Caraffæ dedicantis thema hocce egregie diducit. Erudite, ut solet, ea de re differit *Renatus Cartesius* in Compend. Musices p.9. his verbis: „Cum hoc in confesso sit & ut diximus initio cujusque mensuræ „fortius & distinctius sonus emittatur, dicendum „est etiam illum fortius spiritus nostros concutere, „a quibus ad motum excitamur, unde sequitur „etiam feras posse saltare ad numerum, si doceantur & assuescant, quia ad id naturali tantum impetu „opus est„ (Exempla canum, ursorum, simiarum &c. quotidie prostant, & celebre inprimis est Viennæ in primis Leopoldi Cæsaris nuptiis celebratum Choreæ Equestris spectaculum, vulgo Roß-Ballet dictum) „Quod autem attinet ad varios affectus, quos varia mensura Musica potest excitare, generaliter dico, tardiorem lentiores etiam „in nobis motus excitare, quales sunt languor, tristitia, metus, superbia &c. celeriorem vero etiam „celeriores affectus, qualis est lætitia &c. Eodem „etiam pacto dicendum de duplici genere ballatæ, „nempe quod ratam, s. quæ in æqualia perpetuo resolvitur, tardiorem esse, quam tertiata, sive quæ „tribus constat partibus æqualibus; cujus ratio est, „quia hæc magis occupat sensum, cum in ea plura „sint advertenda, nempe tria membra, ubi in alia „tantum duo. Sed hujus rei magis exacta disquisitio pendet ab exquisita cognitione motuum animi.

§. 6. Nec minus erudite CL. *Is. Vossius* lib. de poëmat. cantu & viribus rythmi pag. 12. seq. ex

edit.

edit. Oxon. e Theatro Sheldoniano in 4) inquit: Quanta ſit numerorum potentia in movendis ſe-" dandiſque animi affectibus, ſciunt, qui aliquem ha-" bent rerum uſum, & qui veteribus hiſtoriis non" omnino ſunt hoſpites, ut opus non ſit vel exem-" plis vel rationibus id ipſum confirmare. Hoc" ſolum dixiſſe ſufficiat, ſi numeri æquales & con-" cordes tranquillos & motibus ſuis convenientes" gignant motus, fieri aliter non poſſe, quin diſ-" ſoni & ſibi invicem contrarii numeri non orga-" na tantum ſenſuum, ſed & ipſos quoque ſenſus" graviter offendant & lædant, inducendo motus na-" turæ contrarios, quique ob hoc ipſum, quod" mollibus & harmonicis numeris permixti clam &" furtim ſubrepant, vulnera infligant graviora. Va-" ſta illa æramenta, quæ Campanas vulgo appellant," findi & aliquando diſſilire affirmat, ſi inæquali-" ter pulſentur, & miramur, animos noſtris tur-" bari, ſi a diſcrepantibus numeris perturbentur ea" inſtrumenta, a quibus noſtri regentur affectus?" ſed ut inſtitutum perſequar, illud inprimis tenen-" dum, Dithyrambica carmina habere quidem præ-" cipuam vim in ciendis affectibus, & recte illos" ſentire, qui ſummam Muſicæ potentiam in his ſi-" tam eſſe affirmat: Verum non exinde ſequitur" id, quod vehementiſſime movet, id ipſum quoque" eſſe præſtantisſimum, niſi quis noxia ſalutaribus" præferenda eſſe exiſtimet. Si Platonicos ſequa-" mur, ne dubitandum quidem fuerit, quin Muſi-" cæ dignitas & præſtantia in ordinatis potius &" legitimis collocanda ſit numeris, qui vitam & mo-"

„res ad honeſtatem diſponunt, quam in iis moti-„bus, qui affectus induunt damnoſos.„ Illuſtre ejus rei habemus exemplum in magno illo Græciæ imo Aſiæ domitore Alexandro, quem quoties tuba clangeret Andigenides, ſono excitum ab epulis ad arma proſiluiſſe, ſuavi vero citharæ harmonia placatum ad epulas rediiſſe ſcripſit *Plutarchus* Lib. 2. de fortuna Alexandri, ex eoque *H. Salmuth* ad panciroll. tit. de Muſica. Sic quoties ira ſe inflammari ſenſit Clinias pythagoricus, toties ad lyram, tanquam certisſimam mali medicinam ſe convertit, teſte Friſchlino de Encomio Muſice Oratt. p. 204. Plura inf. dabimus exempla.

§. 7. Alia admirandorum Muſicæ in hominibus æque ac animalibus interque eos noxiorum quandoque effectuum exempla pasſim proſtant apud Auctores æque Hiſtoricos ac Medicos. Evolvi quædam merentur in *Riedlini* Patris obſervationibus. Ridiculum eſt, quod ex *ſcaligero* de Equite quodam narrat *Mart. Weinrichius* de Monſtris cap. 15. p. 139. b. cui, quoties ſonum citharæ pulſatæ audiret, urina effluxit, ut meiere inter aſſidentium pedes nolens fuerit coactus. Ipſe memini, me olim canem venaticum minorem domi meæ aluiſſe, qui ſonos fiſtulæ (dulcis etiam Gallis fleute douce dictæ) minime ferre poterat, præcipue acutiores, quin ſtatim ululare cœperit, ad alia vero inſtrumenta, clavicymbalum, teſtudinem, &c. immotus & placidus quaſi cum delectatione quadam ſemper aſſidebat. Similiter CL. *Georg. Baglivus* diſſ. pecul. de Tarantula cap. 13.

p. 59.

p. 59. aſſerit, ſe canem vidiſſe Raguſii pulcherrimæ & nobilisſimæ Dalmatiæ urbe, quæque olim antiquorum Epidaurus fuit & Æſculapii templo claruit, cui adeo exoſus erat citharæ vel alterius inſtrumenti Muſici ſonus, ut eo audito in magnos ululatus ac ferme in luctum conjiceretur: Idem ibid. ſic ratiocinatur: "Quod præfate aëris undu-" lationes agant in ſolidas fluidasque corporis noſtri" partes, ex variis brutorum exemplis, nec non ex" dentium ſtupore deducimus: multi a motu limæ" aut ſerræ ob ingratam illam aëris undulationem" in ſtuporem dentium aut moleſtam ſenſationem" incurrunt, eo quod improportionatæ ſint moti aë-" ris particulæ poris nervorum radicibus dentium" inſertorum eosdem detorquent, dimovent, atque" adeo vel ſtupefaciunt vel dolore afficiunt. Porro" contingit, ut quiſque noſtrum, dum inſolitam" quandam muſices harmoniam ſentit, quasdam" veluti oberrationes horroris ſeu rigoris per cutim" imo & aliqualem capillorum erectionem inter ini-" tia experiatur. Quod animalia pariter a muſices" ſono afficiantur, plurimi teſtantur auctores. *Stra-*" *bo* iratos Elephantes muſices ſono placari affir-" mat; apes ſonitu metallico delectari cygnos ci-" thara & cantu, Delphinos Muſica, ut refert Epi-" phanius."

§. 8. Quantum ad oris facundiam vitæque honeſtatem Muſica conferat, prælaudatus *Iſaac Voſſius* loc. cit. pag. 47. egregie deducit hiſce verbis: Id ſaltem fateamur neceſſe eſt, Muſicos & Poë-" tas fuiſſe, qui artem bene loquendi Græcos do-"

„cuerint; quamvis vel ipſa hujus linguæ natura „ſatis id oſtendere videatur, clarius tamen ipſum „hoc evincunt mores & priſca hujus gentis inſti- „tuta, quibus propemodum ſanctum erat, pleros- „que vitæ humanæ actus ad ſonos revocare Mu- „ſicos: Urbes condere, mœnia moliri, conciones „advocare & dimittere, Deorum & virorum for- „tium laudes celebrare, claſſes & exercitus regere, „pacis bellique munia obire; omnia denique con- „centu temperabantur Muſico, adeoque ipſæ quo- „que plagæ ad numeros harmonicos ſontibus „ingerebantur. Denique ut paucis abſol- vam, Lyra eſt, quæ veterem rexerit Græciam, plu-" resque in ea formarit Reſpublicas, quam nunc to-" to reperiantur terrarum orbe. Hæc eſt, quæ do-" cuerit populos absque ſummo Magiſtratu aut" Principe vivere, mutuam obſervare concordiam," tyrannos expellere, leges figere & cuſtodire, ut non" immerito Plato dixerit, ſalvas perſtare reſpublicas" quamdiu eadem perſtet Muſicæ ratio, illa vero mu- tata mutari quoque ſtatum reipublicæ. Sed ad rem!

§. 9. Muſicæ notitiam Medico aut neceſſariam aut maxime ſaltem proficuam eſſe, decorique haud exiguo, vel ipſi Medicinæ Proceres *Apollo* atque *Chiron* Centaurus ſuo nos exemplo docere voluerunt, dum ille Citharam inveniſſe; Hic mirifice in ea pulſanda excelluiſſe dicuntur a *Tiraquello* de Nobilit. cap. 31. n. v. 6. 8. 14. & 309. *Marſilio Ficino* in lib. de vit. Epiſt. dedicat. & *Minderero* Threnod. Med. c. 1. pag. 7.

§. 10. Illa mirifice afficit ſenſum. Senſus porro cum in eo ſint toti, ut quod exterius acceperunt, ad Phantaſiæ deferant tribunal; non poteſt non fieri, ut notabilis in noſtro corpore oboriatur alteratio,

cum

cum imaginatio præpotens in animi pathemata exerceat dominium, hæc vero quantum valeant in alterandis nostri corporis humoribus, & vel ad sanitatem vel ad morbum disponendis, quotidiana ubertim nos edocet experientia.

§. 11. In disponenda vero Phantasia multum præstare Musicam sequentibus probabo. Cum enim variæ hic dentur proportiones, consonantiæ, dissonantiæ, toni, varii hinc in Phantasia effectus. Sic veteres Græci fecere *Dorium melos* prudentiæ largitorem & castitatis effectorem ad vitia sc. depellenda & virtutem instillandam; hinc Agamemnon ad Trojanum proficiscens bellum, Musicum Doricum domi reliquit, sc. ut gravi sua ac severa musica uxorem Clytemnestram in pudicitia conservaret. *Phrygium* pugnas excitantem & furoris votum inflammantem; *Aeoliumque* animi tempestates placantem, teste *Minderer*. l. a. cap. 20. pag. 459. adde *Jo. de Mey* Comm. Phys. in pentateuch. pag. 94. qui tamen erudito hoc sæculo, ut pleraque alia in quavis arte, non tantum insigne tam numero quam gratissima varietate sumserunt incrementum, sed & aliis, Gallicis ac Italicis ut plurimum insigniuntur nominibus: Omnes tamen illi pro sua diversitate animum nostrum tam multifariam flectere docta nunc viam excitant, nunc misericordiam, nunc gaudium, mox tristitiam &c. per quos deinde affectus id obtinet divina Musica, ut vel humores, sanguis præsertim & spiritus congelascentes & fixiores antea fundantur, expandantur, & quod inutile erat excutiant, vel nimis expansi & fusi figantur, contrahantur, & ad tranquillitatem reducantur; quo tanquam causa obtento, ipso mox etiam potitur fine optato, sanitate, quod applicare in sequentibus cuivis pronum erit.

§. 12. Medicam ergo Musicæ vim, ut rationibus, sic & auctoritate testimoniisque eruditissimorum virorum, exemplisque & historicis assertum ibimus. Consuli meretur doctissimi viri *Joh. Casp. Scaligeri* Exercit. 302 ad Cardanum art. 2. quem allegat Joh. de Mey Comm. Physf. in S. Script. pag. 95. seq. ubi ita: Creditur Musicam sanitati multum conducere & ad conservationem ejus plurimum facere. Movent enim soni spiritum mediante äere, motus autem propria spiritus actio est, qua conservatur in sua subtilitate. Soni nimis acuti, quoniam spiritum dividunt, nimis quoque graves & magni displicent quia spiritum obtundunt impelluntque in cavitates corporis, verberantque. Placent autem „mediocres, non omnes tamen sed sibi consonan-„tes, id est, ad mensuram sui editi, omnes enim in „natura consoni sunt, sed non nobis. Soni suaves & „modesti mulcent ad contemplationes, unde iis in „sacris utuntur ad devotionem excitandam. Aspe-„ri soni ad iram excitant, ideoque in bello usur-„pantur; titillantes luxuriam provocant. Campa-„nella. Sunt qui tantam adscribunt efficaciam nu-„meris, vocibus, modisque musicis, ut animum no-„strum quovis motu atque affectu ciere possint; do-„lorem lenire, revocare a curis, mores effingere, „mentem turbare, sedare, tristitiam, gaudium &c. „excitare. Ideoque Platonem prudenter jussisse a-„junt, pueros in sincera quadam harmonia ex gra-„vibus ac severis numeris vocibusque constante eru-„diri, quæ & apte mores effingeret, & affectus atque „cupiditates temperaret; Haut injuria igitur *Henr. Bebelius* Justingensis, in Epist. ad Jac. Oester. de in-„stit. pueror. pag. m. Aa. 1. b. ait: Nec item suo-„tempore abstinendum a cantu, musicisque orga-„nis, adsit aut cithara testudinea, aut lyra, fistula, vel simile

ſimile, quod ſua ſuavitate hominis animum com-" ponat, graveſque meditationes & curas mitiget, ut" eo validius ingenium poſſit redire ad labores."

§. 13. *Georgius* item *Baglivus* Prax. Med. Lib. 1." cap. 13. Muſica, ait, eſt de genere eorum, quæ aë-" rem acute feriunt, & in vividas quaſdam undula-" tiones diſponunt; motus hi ſeu veloces undula-" tiones ſanguini & ſpiritibus per contactum com-" municatæ in iis diverſas excitant affectiones, nunc" eos ad motum vehementer concitando, nunc ad" quietem componendo & ex varietate ſonorum va-" riæ in mente noſtra rerum ideæ excitantur; hinc" alii concentus ad audaciam, alii ad hilaritatem, alii" demum ad pietatem nos movent, prout ſcilicet" ſpiritus & humores hoc & non alio modo affici-" untur. Tympana & fiſtulæ dum ſonant, quam" vehementes excitent motus in ſpiritibus militum," arguere licet ex audacia alacritate & promtitudine" ad pericula, nec non ex immani furore in ipſo ca-" lore conflictus, vel in apparatu ad conflictum ani-" mis militum obverſantibus, ut taceam exempla" ſtrenui & generoſi Ducis ambitionem gloriæ &" ſtimulos prædæ, quæ pariter ad furorem militum" conducunt &c. Mœſti, irati, vel aliis animi paſ-" ſionibus affecti leni & placido muſices concentu in" alacritatem & gaudia excitantur, & per illius con-" tinuationem in ſomnum ducuntur &c." Lege o-mnino plura apud ipſum auctorem pag. 58. ſeq.

§. 14. Idem CL. Auctor cap. 14. §. 9. inter alia ſic ait: "Inter ſolatia ægrorum animo laborantium" magnam vim obtinet Muſica, ut omnibus conſtat." Hinc notandum eſt, quod affert *Alexan. ab Ale-*" *xandro* dier. genial. Lib. 6. cap. 5. dicens: Aſcle-" piadem nulla re magis quam ſymphonia & vo-" cum concentu phreneticos mente imminuta &"

valedu-

valetudine animi affectos restituisse ad pristinam" sanitatem. Testatur idem *Pindarus* Ode 3. nempe" Aesculapium μαλακαῖς ἐπαοιδαῖς id est mollibus cantionibus medicinam adhibendo multos curavisse, apud Tiraquell. l. c. cap. 31. no. 302. De Pythagora *Jamblichus* in ejus vita lib. 1. cap. 29. ait: ὑπελάμβανε δὲ καὶ τὴν μουσικὴν μεγάλα συμβάλλεσθαι πρὸς ὑγείαν ἄν τις αὐτῇ χρῆται κατὰ τοὺς προσήκοντας τρόπους i. e. ipse (Pythagoras) Musicen magnopere conducere judicabat parandæ sanitati si quis ea justis & consentaneis modis uteretur. Sic & Porphyrius in ejusd. Pythagoræ vita refert, ipsum amicos ægrotantes curare, animo autem ægros consolari solitum, adhibuisse etiam musicam, apud *Barthol. de Moor* in Cogitatt. de instaurat. Medic. lib. 3. pag. 380. ubi in notis addit: Vide *Kuhnium* ad Aeliani Var. Hist. lib. 9. cap. 22. vide quoque *Jamblich.* in vita Pythag. cap. 25. ἐνίδει γὰρ οὐ παρέργως τῇ τοιαύτῃ χρῆσθαι καθάρσει. τοῦτο γὰρ τι καὶ προσηγόρευε τὴν διὰ τῆς Μουσικῆς ἰατρείαν &c.

§. 15. *Macrobius* etiam lib. 2. in somn. Scip. cap. 3. ait: Musica quoque corporum morbis medetur, nam hinc est, quod ægris remedia præstantes, præcinere dicuntur. Allegat eundem *Tyraquellus* l. c. no. 303. Conf. omnino *H. Corn. Agrippa* lib. 2. de Occult. Philos. cap. 24. seq. *Jo. Lonicer.* in enarratt. ad Pindari Pythia pag. 272. qui plura huc facientia habet. *Martianus Capella* lib. 9. Musicen sic loquentem inducit: Quid? afflictationibus corporeis nonne assidua meditatione succurri? *Febrem* cu-" rabant *vulneraque* veteres cantione. *Asclepiades*" item tuba *surdissimis* medebatur. *Ischiadas* quis nesciat

nesciat expelli aulica(αὐλητῇ sive tibiali) suavitate? *Xenocrates* organicis modulis *lymphaticos* liberabat: *Thaletem Cretensem* citharæ suavitate compertum est morbos ac *pestilentiam* fugavisse; *Herophilus* ægrorum venas rythmorum collatione pensabat. Hujusmodi a *Galeno* etiam lib. 1. de Sanit. tuend. cap. 11. & medicorum aliis prodita, quos longum sit apponere. *Cœlius* id vocat *loca dolentia decantare*; quod a fistulare quodam factum Philistionis frater prodidit, ut idem ait. Vide & *Gyraldum* Dial. 1. Hist. Poëtar. pag. 17. edit. Basil. 1580. ait *G. Jo. Vossius* de Musica cap. 4. §. 13. pag. 43. *Isaac* lib. de Floribus tradit, cantus sonosque instrumentorum musicalium ad sanitatem admodum conferre apud *Tiraquell.* l. a. n. 303. additque: Quod voluit *Tacuinus*, ejusque auctoritate *Nicol. Nicolus* in lib. sermonum Medicinæ Serm. 1. Tract. 2. cap. 36. Cantus & Musica, (ait Clmus *Melch. Sebizius* in Disp. 11. de Purgatione parergo 1.) aliquid ad curationem morborum faciunt.

§. 16. Quomodo Musica in morbis curandis prosit, exponit, qui videatur, *Tob. Andreæ* Exerc. 3. de Cura Corporis per mentem §. 13. Conf. *Scherbium* Comm. in Polit. Aristot. pag. 370. seq. de Musicæ Differentia & Effectu vario; & præcipue *Phil. Caroli* ad Agell. N. A. lib. 4. cap. 13. pag. 269. seq. *Rolfinc.* de Capitis Dolore lib. 2. sect. 2. art. 1. Part. 3. cap. 44. pag. 190. seq. *Muretus* lib. 14. Var. Lect. cap. 6. pag. 119. seq. *Johan Brodæus* lib. 4. Miscellan. cap. 31. *Magius* Variar. Lection. lib. 4. cap. 13. *Pechlinus* lib. 3. Obs. Med. 29. *Jac. Faber* Stapulensis in Elementis Musicis pag. 2. a. ubi plura. *Casp. Bartholin.* Thomæ fil. de Tibiis vett. lib. 2. cap. 1. & 2. pag. 139. seq. *Caldera de Heredia* in Tribunali Medico pag. 352. 353. 384. 385. *Rob.*

Eludd.

Fludd. in Harm. Microcosm. *Kircher.* de Magnet. lib. 3. & in Musicagia.

§. 17. Creditur in genere *Chiron Centaurus*, *Staphyli* lib. 3. Rerum Thessalicar. testimonio cithara morbos quosdam depulisse. Idem de *Hilmenia* docet *Boëtius*, quod Musica adeo præclarus fuerit, ut multis ægrotantibus omnes animi molestias absterserit. *Minderer.* Threnod. Med. cap. 20. pag. 458. qui ibid. pag. 460. de *Democrito* dicit, quod plurimos morbos cantu pelli scripserit; e Severino vero refert idem, quod *Terpander* & *Arion Methymneus* apud Iones & Lesbios gravissimos morbos fugarint. Eadem asserunt *Tiraquellus* de Nobilit. cap. 31. pag. 303. & *Joh. de Mey* Comm. Phys. in Pentateuch. pag. 95. *Nicod. Frischlinus.* in Orat. pro Musica 1574. habita Orat. pag. 204. ait: „Quid „de Clinia Pythagorico, qui quoties ira se inflam„mari sensit, toties ad lyram, tanquam mali certissi„mam medicinam, se convertit? Quid de ipso Py„thagora: qui adolescentis cujusdam insanum a„morem mutatis tibiæ modis immutasse; & alium „quendam, gladio necem sibi intendentem, eadem „via inhibuisse scribitur. Sed & morbis quibus„dam auxilium & levamentum a Musica afferri, li„terarum monumentis est proditum. Res non tam „facilis creditu, quam dictu. Nam Ischiadici cum „maxime dolent, si modulis levibus tibicen inci„nant, minui dolores ajunt. Et Theophrastus au„ctor est, viperarum morsibus tibicinem mederi. „Quin & Boëtius in Musica testatur, Lesbios & Io„nes a plerisque morbis cantus dulcedine & Terpandri præsidio fuisse liberatos. Sic *Tiraquello* de Nobilit. cap. 31. n. 303. teste, *Thaletas* Vates Gnosius, aut, ut aliis placet, Colophonius, aut etiam, ut aliis, *Thales Cretensis* cantu citharæ morbos & pe-

stilen-

ſtilentias fugabat, ut tradit *Pauſanias* lib. 1. quo de Atticis ſcribit, & *Pratinas*, ejusque auctoritate *Plutarchus* in ſua Muſica, & Martianus Capella lib. 9. (vid. ſup. §. 15.) *Homerus* lib. 1. Iliad cecinit, Græcos cantu & Muſica fuiſſe vi peſtilentiæ levatos:

Οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο &c.

quæ verſibus reddidit *Caròl. Valgulius*:

Phœbæas iras placabant carmine Achivi
Per luces totas pulcrum pæana canentes,
Pugnantemque ex alto. Aſt pectora Arcitenentes
Mulcebant cantus & gaudia pertentabant.

Quem locum in id, quod diximus, annotat Plutarchus lib. de Muſica; ſcribit Tiraquellus l. c. n. 299. Imo adeo receptus fuerat olim hic per Muſicam curandi modus, ut ægris remedia præſtantes *præcinere* dicerentur, teſte Macrobio loc. ſup. §. 15. cit.

§. 18. Ad ſpecies affectuum ſi deſcendamus, ſtatim *Melancholia* ſeſe offert, cui egregiam affert medelam Muſica, quod ſuo exemplo docet Saulus Rex 1. Sam. 16. 23. Dæmoniacum enim eum fuiſſe, & Muſica ſublevatum, teſtantur Tiraquell. loc. cit. n. 302. *Dannhauer*. Lac. Catech. Conc. 36. pag. 521. Conf. *Gisb. Voëtius* Part. 3. Diſpp. Select. pag. 151. ſeq. & Diſp. de Dæmonibus. *Joh. de Mey* Comm. Phyſ. in Pentateuch. pag. 95. qui addit: *Melancholia, inſania*, aliisque morbi beneficio Muſicæ ſanari poſſunt. Idem Saulis exemplum allegat quoque *Hæfer*. Herc. Med. Lib. 1. cap. 7. *Melancholiæ* addimus *iram*. Recte *Barthol. de Moor* in Cogitatt. de inſtaurat. Medicinæ Lib. 3. pag. 381. Clinias & Achilles Muſicæ iram reprimere ſolebant *Æliano* teſte Lib. 14. Var. Hiſt. cap. 23. verum cantilenæ profana & quidquid Ethniciſms

ſubpe-

ſubpeditat ad morbos animi expugnandos non ſufficiunt. Agimus nos cum Chriſtianis, quibus meliora præſidia ſubpeditat ſacra pagina. Adnectimus quoque *metum*; & contra hunc Muſicam prodeſſe ex *Theophraſti* lib. de divinis furoribus *Apollo Caryſtius* edocuit in Hiſtoriis mirabilibus cap. 48. apud *Ger. Jo. Voſſium* de Muſice cap. 4. §. 13. p. 42.

§. 19. Laſciviam, immodicæque veneris ſtimulos etiam reprimere Muſicam ſunt qui teſtentur: Sic Æſculapius, uti ex *Galeno* Lib. περὶ ὑγείας refert *Tiraquellus* de nobilit. cap. 31. n. 302. multas cantilenas ſcribi mimoſque rerum ridicularum fieri & melodias quasdam inſtituit iis, quibus vehementiores animoſæ partis motus corporis temperamentum juſto calidius efficerent. *Hadr. Beverland.* in admonit. de cavende fornicatione p. 24. ait: *Cum maxima ſit menti cum corpore affinitas, ideo ad diſcutiendas laſcivas cogitationes prodeſt quoque Muſica. Pythagoras, ut phantaſma hilare imprimeret phantaſiæ, ſolebat cubitum petiturus lyram pulſare, & cogitationes ſpicare chordis: Matutinus πολύχορδον ſumſit in manus, perturbationeſque ex ſomniis collectas ejus modulatione expiavit, eoque in divini amoris adſcendit deſiderium.* Pythagoras, (inquit *Joh. de Mey* Comm. Phyſ. in pentat. p. 95) ſpondeos ad phrygium modum occinens amore lymphatum adoleſcentem ad gravitatem immutavit: ſimile quid narratur de Empedocle, qui certis modis muſicis adoleſcentem jam ira percitum & in ea-

dem

dem ruentem ad ſanitatem revocavit. Quin & mutuam Muſicæ operam præſtare caſtitatem, veneriſque abſtinentiam edocemur quotidiana in Caſtratis ad Muſicam omnium aptiſſimis experientia.

§. 20. Imo pluribus damnoſis animi affectibus una eandem mederi opera teſtes advoco bigam virorum omni elogio majorum. *Hug. Grotius* in Dedicat. Mart. Capellæ pag. m. 18. ait: „Accedit Muſica cæteris non inferior, quæ brutas beſtias cicurat, ***memoriam firmat***, dura lenit, animos excitat, ***iram*** ſedat, ſeditiones ſopit, ***triſtitiamque*** pellit: unde non immerito mihi videtur mundi totius formam Samius ſenex in harmonia quadam collocaſſe.„ *Joh. Henr. Bæclerus* in Progr. Acad. de Muſica pag. 114. „Illa utique animorum medicinæ deſtinata κάθαρσις„ (pergamus enim uti Pythagorea ex Jamblicho voce) „adeo non eſt inficianda, ut vel ſola muſicæ harmoniæ recordatio graviores mentium perturbationes, quales ***ira***, ***triſtitia***, ***ſollicitudo***, ***metus*** affert, diſpuliſſe non raro comperta ſit, dum manifeſto naturalis congruentiæ argumento in ſuarum formarum habitus rapit animos & quaſi transformat.„ Nec ſolum animis, ſed & corpori languenti medetur Muſica; Sic in Gallia nobilis matrona zelotypia *in furorem* acta, e Capucini cujusdam conſilio per Muſicam chelyn amœnisſime plectentem 3. menſium ſpatio ad ſanitatem redacta fuit. Alia illuſtris femina Rhotomagi *du Parreau* nomine in variis morbis imo & in partu non aliam Medicinam adhibuit, quam Muſicam. Et

cum ingravescente ætate arthritidis doloribus in genu acutissimis maxime cruciaretur, Musico semper pro Medico usa fuit, & hoc modo vitam suam ad annum 106. usque protraxit.

§. 21. *Furorem & insaniam* Musicæ beneficium curasse quis neget? Tot ejus rei sunt testimonia, tot exempla, ut dinumerari vix queant. *Cœl. Caliagninus* in Dialogo Equitatio fol. 572. ait: Interdum & vigilantes per tibiam ac tripudium accedente deorum patrocinio, quibus supplices litabant, a furioso affectu ad sanæ mentis habitum revocantur. *Asclepiadis* exemplum phreneticum quendam per symphoniam pristinæ sanitati restituentis allegant, *Joh. de Mey* & *Bœclerus* locis jam, citt. ut & *Tiraquellus*, qui cap. 31. de Nobilit. n. 302. ait: "*Pytagoras* quoque perturbationes „animi lyra componebat, ut scribit *Seneca* de ira „Lib. 3. Nam & *Xenocrates* organicis modulis lym„phaticos liberavit. Et *Asclepiates* phreneticorum „mentes morbo turbatas, sæpe per symphoniam „sanitati restituit, ut prodit *Censorinus* de die „natali & *Martian. Capella* Lib. 9. & *Cœl. Aurelia*„*nus* Lib. 1. Chronicon cap. 5. & alii, ut paulo „ante dixerat, utuntur decantationibus tibiarum varia modulatione: Quarum alterum phrygiam vocant, quæ sit jucunda atque excitabilis eorum, qui „ex mœstitudine in furore noscuntur. Aliam di„ram, quæ occupata mente pudorem suadeat in„jecto rigore, ut in bello, quam Dorion appellant &c. Sic Hypatia, Theonis filia, juvenem insano amore ipsius correptum Musices beneficio curavit, &

Franc.

Franc. Baconus in Hist. sua natur. Lib. 2. cap. 1. (apud *Joh. de Mey* Comm. physſ. in ſ. ſcript. pag. 96) refert ex Danorum hiſtoria exemplum memorabile Muſici cujusdam, qui harmoniis ſuis quosvis vel ad furorem & árma, vel ad riſum & pacem commovere poterat, quod ipſum Daniæ Regem expertum fuiſſe annales teſtantur.

§. 22. Verum utriusque iſtius hiſtoriæ fidem tali CLmus *Iſaac Vosſius* Lib. de poëmat. Cantu & virib. rythmi pag. 21. & 58. labefactat epicriſi: „Non male judicat *Suidas*, ubi de Hypatia Theonis filia agit, non eſſe veriſimile inquiens," id quod vulgo dicitur, illam juvenem ſui amore" correptum Muſicæ curaſſe beneficio, cum Muſicæ poteſtas jam diu ante Hypatiæ ætatem penitus exoleverit; & de altera inquit pag. 58. l. c." Scio quidem ea, quæ *Saxo Grammaticus* de quodam Daniæ prodidit rege, quomodo ſcil. ille citharæti cantu ad furorem & inſaniam uſque redactus fuerit, eſt profecto mera hæc fabella. Iſte" Grammaticus ut multa alia aliunde petita ad ſuos" tranſtulit uſus, ſic quoque Hiſtoriolam, quæ de" Alexandro & Timotheo narratur Muſico, alicui" gentis ſuæ Principi adſcribere non dubitavit." Tantum abeſt, ut barbaro iſto ſeculo uſquam" terrarum, ne dum in Dania, reperiri potuerit" Muſicus aliquis, qui ſolo Citharæ tactu vehementes adeo concitarit affectus, ut ne nunc quidem" longe florentiore Muſica ullus in tota reperiatur" Europa, qui tale quid vel posſit vel audeat. Jam" a mille & pluribus annis ceſſat inter Muſicos ma-"

„gna illa ciendorum affectuum potentia, ex quo „nempe desiit usus & scientia rythmi, qui solus „poterat præstare id, quod nullus hoc tempore „possit præstare Musicus.„ Theophrastus Lib.de divin. furorib. apud *Apollon. Caristium* dicit, musicam curare τὰς ἐπὶ μακρὸν γυγνομένας τῆς διανοίας ἐκςάσεις diuturnas mentis alienationes apud *G. J. Voss.* de Musice c. 4. §. 13. p. 42.

§. 23. Et in ipsa Mania sedanda haud exiguam Musica præstat operam: qua de causa eam hic etiam commendat *Rolfincius* Medic. Consultatt. Lib. 2. Consf. 8. pag. 144. quam eandem mox alii quoque ex amore insano Maniaco suadet l. c. Consf. 9. pag. 153. Consentiunt & alii experientia inducti, *Deusingius* de superstit. morbor. orig. §. 26. & seq. *Jo. de Mey* Comm. phys. in pentateuch. loco 3. Exodi pag. 95. ita *Timoth. Brightus* de sanit. tuend. Part. 1. pag. 61. vult, ut præter modum tristes Musicæ aliquo genere demulceantur *Minderer.* Threnod, Med. pag. 449. conveniens vocat & congruum instrumentum Musicam, quo plurima mala morbosque pellat Medicina, præsertim vero melancholiam, quæ corpus absumat, spiritu tristi (ut sapiens ait) corpus exsiccante. Ephemerides Eruditorum Parisienses Journal des Scavans Tomo 45. pag. m. 101. ex Historia Regiæ Academiæ scientiar. Paris. Anni 1708. exhibent observationem quandam rariorem Domini Godofredi, qui quendam saltatorem Magistrum (maitre a danser) Alesiæ Languedociæ oriundum delirio maniacæ & muto marmoniæ fidium beneficio, quæ post

horæ

horæ quadrantem profundum ei induxit ſomnum, cum inſequente criſi, feliciter liberavit, aliam ejusdem generis hiſtoriam evolve, ſi placet, in Academiæ ejusdem relatione annua 1707.

§.24. Quantum in ἀγρυπνίᾳ valeat, vel ipſi ἄλαλοι infantes docent, quibus ſopiendis ad cunas canitur. Hinc *Rolfincius* l. cit. lib. 2. Conſ. 3. pag. 74. in ἀγρυπνίᾳ eandem vult adhiberi. Somnum conciliat Muſica, quia objecta ſenſuum mentis tollit, teſte Plempio de valet. togat. tuend. cap. 6. n. 4. p. 268. conf. Camerarii Cent. 2. ſyllog. memorabil. 69. & 70. *Pythagoræ* moris fuit, priusquam ſe ſomno daret, & cum eſſet expergefactus cithara cantare, ut animum ſua ſemper imbueret divinitate, ſicut *Cenſorinus* refert, ſive ut agendum erectior mane fieret animus, ad quieſcendum autem veſperi ſedatior, & ab affectibus purgatior, quod de Pythagoreis *Fabius* tradit, teſte *Bæclero* in progr. cit. p. 114. *Seneca* de provid. cap. 3. p. m. 383. ait: Feliciorem ergo tu Mæcenatem putas, cui amoribus anxio & moroſæ uxoris quotidiana repudia deflenti ſomnus per ſymphoniarum cantum ex longinquo lene reſonantium quæritur. Mæcenas enim tribus annis integris in ſomnis permanſit, leni harmoniam tandem liberatus, ut ex dicto *Senecæ* loco aliisque aſſerunt *Meibomius* de Mæcenate cap. 29. n. 8. *Jonſtonus* in Thaumatograph. claſſ. 10. c. 7. art. 7. pag. 492. *Quercetanus* Diæt. & polyhiſt. ſect. 2. cap. 9. p. 242. *Luc. Tozzus* ad Hippocart. lib. 2. aphor. 3. conf. *Ægineta* lib. 1. c. 98. *Meibom.* l. c. n. 10. ſeq. qui

plura hanc in rem, item *Kipping.* Institt. phys. lib. 8. cap. 14. §. 7. *Ger. Jo. Vossius* lib. 3. de Idololatr. Gent. c. 34. p. 892. *Jo. Bapt. du Hamel* lib. 3. de Corpore animato cap. 6. §. 4. *Jo. Meldorus* Disp. inaug. de hypercatharsi th. 122. Basil. 1622. in 4to.

§ 25. Rationes hujus rei, præsertim quod infantes attinet, plures reddere conantur. Argute inprimis *Cæl. Caliagninus* Dial. cit. Equitatio fol. 571. seq. „Nihil, inquit, puto posthac tibi fore super „ambigui, quin Idæorum Dactylorum vim & no„mina ad prodendos terrores arbitreris, & in no„stram sententiam concedas. Quod si mihi for„tasse parum credis, parumque te jam dictæ ratio„nes movent, quæ te profecto movere debent: at „Platoni tuo jam non credere incipe, qui motum „agitationemque infantibus salubrem esse tam nu„tricibus exploratum dicit quam iis quæ reme„diis Corybantumvacant. Quum enim pueros ad „somnum tardiores illiciunt, non quiete hoc ne„que silentio sed contrariis faciunt: ulnis enim fe„runt & cantu quasi tibicinio quodam mulcent, „& sicut in bacchantium furentiumque remediis „fit, hujusmodi agitationis chorea musaque utun„tur. Causa hujus rei est, quod uterque affectus „ex his timore constat. Expavescunt enim infan„tes & tenicula mentis quibusdam propter sini„strum quendam animi habitum permoventur. „Quum vero ad hunc affectum quispiam agita„tionem affert, vincit exterior ille hunc interio„rem terribilem alioqui & furiosum: quumque vicerit,

vicerit tranquillam animo præſtat quietem, ſub-" ſultu cordis ſedato, atque ita ſomnum concili-" ant" &c. *Ren. Carteſius* in Muſicæ Compend. p. 5. ait: id tantum videtur vocem humanam nobis gratisſimam reddere, quia omnium maxime conformis eſt noſtris ſpiritibus. Ita forte etiam amiciſſimi gratior eſt quam inimici ex ſympathia & dyſpathia affectuum, eadem ratione, qua ajunt, ovis pellem tenſam in tympano obmuteſcere, ſi feriatur, lupina in alio tympono reſonante.

§. 26. Bina adhuc circa *ἀγρυπνίαν* Muſica ſublevatam in medium proferre liceat exempla illuſtria: prius eſt Ethodii I. antiqui & ſerie 25ti Scotorum Regis, qui 33. annis ab A. C. 157. uſque 190. regno præfuit, & a Muſico Cameræ quavis veſpera ſomnum ei leni modulatione harmonica conciliante percuſſus dicitur in Annalibus Scotor. Narrat eandem rem *Jo. Hiebnerus* in kurtzen Fragen aus der Politiſchen Hiſtorie Tom. 2. Lib. 3. p. 1023. his verbis: Ethodius I. in der Ordnung der 25te König in Schottland ꝛc. Damahls ſchlieffen die Könige und andere Groſſen niemahls ein, wann nicht ein Muſicante vor dem Bette ſaß. Ein ſolcher Cammer-Muſicus ermordete dieſen König. Alterum exemplum ſubpeditat nobis tragicus vitæ exitus Caroli IX. Galliar. Regis, de quo *Jo. Merekerus* in Apodemicis pag. m. 6. 1. a. ſcribit: Non procul Pariſiis eſt Bois de Vincennes: Vicus ſaint Maur cum arce regia in propinquo, in qua obiit Rex Carolus IX. ſtatim poſt lanienam Pariſ. ob noctes inſomnes, quas du-

cebat. E Germania evocavit Orlandum Musicum nobilissimum, ut ex ipsius Musica Coronam sibi conciliaret; Item *Christ. Matthiæ* in Theatr. Hist. sub Rudolpho.II.p.1123.b.Orlandus de Lasso, Bergæ Hannoniæ urbe natus Musicus fuit excellentissimus, & per totum terrarum orbem inprimis Christianum celeberrimus, eumque Musices studio Carolus IX. Rex Galliæ paulo ante mortem è Norico evocavit, cum post infelicissimam lanienam Parisiensem ex horroribus nocturnis damna somni sentiret terribilia, quem interruptum symphoniaci pueri expergefacto reparabant, teste Thuano Hist. Lib. 57. Rege anno 1574. extincto Orlandus rursus in Germaniam se recepit, & tandem anno ætatis 73. Monaci in Bavaria vitam finivit.

§. 27. Pariter *doloribus* subvenit. Ita Nobilis *Cephalalgia* laborans audito testudinis sono melius habebat: Eodem affectu detentus rusticus audito utriculi sono liber evadebat, teste *Christ. Sörgel* Disp. Inaug. de dolore Capitis cap.18.pag.22. In dolore dentium etiam conducere musicam exempla docent. *Balth. Krysing.* Disp. Inaug. de Odontalgia tactu sedanda cap. 8.p.45. Kilon. 1701. ait: Sunt etiam remedia, quæ spirituum turbatos motus blande permulcent, nervo dolenti consentientem alium titillando. Quo referenda est illa historia, quam *Paullini* in lib. Erbauliche Lust, Part. I. n. 79. his verbis recenset: D. Weisbrot erzehlte mir zu Utrecht, wie eine Frau in seiner Heimath nicht besser die offtmahlige Zahn-Schmertzen besänfftiget hätte, als durchs Geigen, darum,

wenn

wenn die Quaal angieng, ließ sie die Musicanten (so immer bey der Hand seyn musten) eiligst hohlen: je stärcker und anmuthiger diese geigten, je weniger sie das Zahnweh fühlte. Simile exemplum habet *Sinapius* tract. de remed. dolor. p. 55.

§. 28. Imo & contra *icterum* commendatur Musica; ita enim Com. Celsus alicubi: Debet omnibus curis esse vacuus ac solutus ictericorum animus: Tum & splendido conclavi, lasciviis, *cantu*, jucundis quoque sermonibus laxandus est. Contra *Epilepsian* eandem valere, & fistulæ cantum inprimis epilepsian sanare ex *Theophrasto* Lib. de divinis furoribus apud *Apollon. Caristium* in historiis mirabil. cap. 48. probat *Ger. Jo. Vossius* de Musice c. 4. §. 13. p. 42. qui ex eod. addit, illam etiam contra *Lipothymiam* auxiliari. Sic *Ebn-Sina*, vulgo *Avicenna* Lib. 1. fen. 4. c. 30. Omnes morborum dolores cantibus sedari autumat apud Tiraquell. de nobilit. c. 31. n. 303. & ex ejusd. Lib. 3. Fen. 3. Can. probat *Georg. Graman* in der Chymischen Hauß-und Reise-Apothecke, Part. 7. cap. 15. pag. 151. Daß in *Colica* & *Calculi passione* man die Patienten mit weichen Betten und Tüchern versehen, in grosse Wiegen legen, mit **lieblichen Gesängen und Melodeyen** einsausen, mit Jucken und Krauen an Händen und Füssen zum Schlaff und Ruhe bringen solle; & addit: Ingenii acuti levamentum!

§. 29. Febrem veteres cantione curasse supra jam ex *Martiano Capella* lib. 5. §. 15. didicimus. Sic *Arnold. Villanovanus* in eo libello, quem de regi-

mine Quartanæ nuncupatim inscripsit, *Febri Quartanæ* musicales melodias admodum conferre scribit; quod & nos (ait *Tiraquellus* de Nobilit. cap. 31. n. 303.) aliquando dum eo morbo misere conflictaremur, experti sumus. Ex utroque repetit Bernh. Jobin. in der Vorrede des Podagramischen Trost-Büchleins p. m. 11. Ad *Carbunculi* speciem admirandam, quæ frequens est in urbe Rupecurvensi prope Castra, *Malvat* dictam, adhibetur pro curatione cum aliis quoque Musica, teste *Borello* Cent. 2. obs. 12. Ad Phormingis sonum olim urina reddita, *Scaliger* Exerc. 344. sect. 6. forsan idem adhiberi quibusdam posset in *Ischuria* vel *Dysuria*; nisi illud acciderit peculiari antipathia. Huc refer omnino, quæ de hoc loco & alio *Hippocr*. 5. Epid 30. 19. habet *Mart. Weinrichius* de Monstris cap. 8. pag. 65. a. *Vulnera* etiam veteres cantione curarunt Mart. Capella d. l. Imo & *Peste* laborantibus levamen præstat. Exemplum ex *Homero* adduximus sup. §. 17. *Mercurialis* lib. de Peste cap. 22. pag. 107. ait: Memini me legisse apud *Plutarchum* in lib. de Musica, *Thaletem* quendam Cretensem a Lacedæmoniis pestem fugasse sola Musicâ; cujus Thaletæ mentio etiam fit apud *Pausaniam* in lib. 1. Ego nihil aliud fuisse existimo musicam illam Thaletæ, & eorum militum, qui apud *Homer*. cantu pestem fugabant, nisi spem, gaudium & lætitiam, quibus fit, ut & animi & corpora valentius pugnent adversus morbum pestiferum.

§. 30. Expressius contra Pestem subvenientem commendat Musicam *M. Joh. Hebenstreit* Med. Licent. im Regiment Pestilentzischer gifftiger Fieber Augsp. 1563. in 4. p. 1. 1. a. his verbis: Ich liesse mir solche Zeit (bey grassirender Pest nach Tische)

mehr

mehr gefallen, daß man nach Ergötzung in der Biblia, Musicam mit Lauten, Geigen, Harffen, Singen, oder dergleichen Seitenspielen exercirre, denn solches erquicket die lebendigen Geister, so man spiritus nennet, stärckt das Hertz, und macht den Menschen freudig, welches sonderlich in solcher Zeit nützlich, , denn es der bösen Feuchtigkeit wiederstehet, darumb spricht auch *Aristoteles* lib. 8. de Nat. Animal. cap. 24. daß die kollerichte Pferde, so bald sie concentum tubarum hören, gestillt, oder ja geheuriger werden. Es zeiget auch Theophrastus an, Ischiaticorum dolores lenibus tibiarum phrygiæ modulis sedatos, tibicinemque scite & modulate canentem viperarum morsibus mederi, wie dieses *Gellius* lib. 4. cap. 13. *Athenæus* lib. 14. auch melden. So saget *Ovidius:*

Enervant animos cytharæ, cantusque, lyræque,
Et vox & membris brachia mota suis.

§. 31. Quid? quod & ad præcavendos *fœtus monstrosos* conducere Musicam credatur! Ita enim *Ludov. Mercatus* Medicus Celeberr. de Mulier. Affection. lib. 3. cap. 7. fol. 677. Secundum vero, quod circa facultates moliri oportet, est imaginativam potentiam perpetuo a brutorum turpiumque animalium consideratione distrahere, eamque pulcerrimarum rerum imaginibus insignire, non solum coitus tempore, sed tota graviditatis duratione. Quamobrem distrahere oportet *Musicis instrumentis*, gratis loquelis, pulcrarum imaginum inspectionibus, & ipsa quoque fœmina perpetuo conetur, quæ pulcra & grata sunt, considerare, mœstitiam fugere, timore omni carere, & hilari constantique animo esse, ne ex bruti alicujus, ut muris,

fer-

ſerpentis vel alterius inſpectione terreatur & expaveſcat.

§. 32. Inprimis autem contra *affectionem hypochondriacam* haut levis uſus eſſe Muſicam, & ſana ratio dictat, & auctoritas Medicorum ſuadet. Unicum proferam teſtem, *Jac. Kornmeſſer*, qui in Diſp. Inaug. de Affectione hypochondr. Roſtochii, Præſide D. Joh. Caſp. Marchio 1665. habita Th. 27. ita ſcribit: Exercitiis levioribus adnumerari poteſt Muſica, ipſa etiam non leve affectus hypochondriaci remedium, quippe cujus vis in ſpiritus & nervos ſane admirabilis, ſed hactenus non ſatis explicata, quamvis ingentem impenderit operam inſignis *Kircherus* in magna ſua Muſurgia. Nec mirum, quia nervorum viæ & uſus in occulto huc uſque latuere, quibus nuperrime tamen exquiſitiſſimis obſervationibus facem propius alluxit CL. *Willis*. Credibile eſt, illam cum titillatione quadam mediante aëre nervos contingere, & ſpiritus demulcendo exhilarare, lenireque ſic paſſiones animorum, in ſpirituum torpore & alia prava qualitate ſitas, cumprimis triſtitias, adeoque huic affectui valde ſubvenire promte inſtitutam. Conf. quæ de uſu Muſices habet *Caldera de Heredia* in Tribunali Medico pag. 352. 353. 384. 385. Fludd. in Harm. Microcoſm. *Kircherus* de Magnete lib. 3. & alii.

§. 33. Eadem ratio in *dolore iſchiadico*, quem cantu & tibicinum modulis mitigaſſe veteres, tradit *Theophraſtus* apud *Athenæum* lib. 14. Dipnoſoph. cap. 5. (& ex hoc *Beverovicius* Ideæ Medic. Veter. Part. 2. cap. 15. pag. 377. quem omnino conſule, ut & *G. Joh. Voſſium* de Muſica cap. 4. §. 13. pag. 42.) *Plinius* Hiſt. Nat. lib. 28. cap. 2. (e quo *Valleſius* Philoſ. Sacr. cap. 3. pag. 55.) & *A. Gellius* Noct. Attic. lib. 4. cap. 13. (ex quo allegat *Georg. Merula* in Galeot-

leottum pag. 316. (*Joh. Conr. Dietericus*, qui in Jatreio Hippocrat. n. 409. pag. 564. ita: Dolorem i-„ſchiadicum curari Muſica, ſcripſit *Gellius*, & probavit *Cardanus*, quem ridet Scaliger Exerc. 348. pag. 1084. Harmoniam autem phrygiam ἰχιακὸς ἰᾶσθαι Theophraſtus ſcripſit apud *Athenæum*, &" meminit *Plinius* lib. 14. cap. 28. pag. 398. carmine" ad modulos adhibito infuiſſe eam vim curandi," cum ſcribit: Dixit *Homerus*, profluvium ſangui-" nis vulnerato femine Ulyſſem inhibuiſſe carmine," *Theophraſtus* Iſchiadicos ſanari; *Cato* prodidit lu-" xatis membris carnem auxiliari, *M. Varro* poda-" gris, & *Martianus Capella* Philologiæ pag. 209." Ad affectiones animi tibias *Theophraſtus* adhibe-" bat. Iſchiadas quis neſciat expelli aulica ſuavita-" te? Conſule de his nugis *Muretum* Var. Lect. lib." 13. cap. 6. pag. 365. & *Voſſium* de Muſica pag. 42." *Georg. Baglivus* Diſſert. pecul. de Tarantula cap. 13. pag. 59. ait: Fertur etiam Iſmeniam Thebanum plures Bœoticorum Iſchiadicos intentione tibiæ vel cytharæ ſanitati reſtituiſſe; vide plura apud *Aldrovandum* lib. 5. de Inſectis fol. 621.

34. Sed addamus ipſa ſæpius citati doctiſſimi Viri *Ger. Jo. Voſſii* verba, Muſices cap. 4. §. 13. pag. 43. Illud poſtremo addamus, erraſſe *A. Gellium*, quan-" do, ut ſupra vidimus, Noct. Atticar. lib. 4. cap. 13" ait,: Theophraſto ſcriptum, Iſchiacos minus do-" lere, ſi modulis lenibus tibicen incinat; nam quod" a *Mureto* etiam in Variis Lect. lib. 13. cap. 6. ob-" ſervatum fuit, & ex Theophraſti verbis adductis" ab Athenæo videre eſt, ſanabantur τῇ φρυγιςὴ ἁρ-" μονίᾳ *concentu phrygio*; At modi phrygii non lenes fuere, ſed graves ac vehementes. Unde eorum uſus erat in ſacris matris phrygiæ ad furorem conci-

tan-

tandum. Eoque ſpectat hoc Catulli carmen de Berecynthia:

Tibicen ubi canit Phryx, curvo grave calamo.

Der Auctor des Podagramiſchen Troſt-Büchleins, Huldrich Ellepoſelsros (Johannes Fiſchartus) hat ohne Zweiffel im Plinio geleſen gehabt, daß dem Podagra möge durch Geſang, luſtige Geſpräch, anmuthige Sprüche Reden und Carmina geholffen werden, ait *Bernh. Jobin.* in Præf. ad illum librum pag. A. 6. a. *Chriſtophorus Baliſta* Pariſinus in Concertatione in Podagram v. 317. ita canit:

Aures te fidibus juvet oblectare canoris,
Mulcidaque artifici tangere fila manu.
Cantus enim ex animis curarum diſcutit æſtus
Et validum corpus mens hilarata facit.

§. 35. Imo *Joh. Udalric. Rumlerus* Obſervatt. Medicar. obſ. 98 apud *Georg. Hier. Welſchium* ait, *Geſnerum* in litteris ad Achillem Gaſſerum ſcire quendam, qui per annum laboraverit Iſchiade, remediis fruſtra adhibitis, ſaltationibus muſicis per dies aliquot (octo circiter) quotidie ad ſudorem usque peractis optime curatum. Quod idem in genere de *arthritide* teſtatur *Epiphanius Ferdinandus* Hiſtor. Medic. 8. eam nimirum harmonia ſanari, teſte laudato modo Velſchio loc. cit. Quamvis & facilem a nobis impetret aſſenſum Nobiliſſ. *Schneiderus* lib. de Iſchiagra pag. 925. Symphoniam non omnibus iis, qui Iſchiade laborant, eſſe jucundam, ſed ſæpe, ut experimentis cognovit, faſtidioſam. Hinc recte quoque idem *Velſchius* in Nott. ad *Joh. Ulr. Rumlerum* pag. 59. ait: Non tam Muſices ipſius hoc opus eſt, quam motus atque exercitationis corporis, quod tamen in multis, quibus hæreditarius

rius is morbus, non successisse novimus; idem ibidem plura addit, quæ legi & huc conferri merentur.

§. 36. Porro *Asclepiades* dicitur tuba *surdis* mederi solitus a *Minderero* Threnod. Med. cap. 1. pag. 7. Idem & *Martianus Capella* refert loc. sup. cit. Conf. *Tiraquellus* de Nobilit. cap. 31. n. 303. Quomodo vero tuba surdities & obauditio curari possit, disquirit in utramque partem *Vincent. Alsar. Crucius* in Consultatione pro Nobili Adolescentulo in obauditione &c. pag. 55. seqq. comprobatque ex *Actuario* lib. 6. M. M. cap. 3. qui expresse hoc suadet.

§. *Agellius* quoque loc. cit. ex *Theophrasto* refert, *viperarum morsibus* tibicinem scite modulateque adhibitum mederi. Idem ex *Æliani* Hist. Animal. lib. 9. refert Tiraquellus loco sæpius cit. qui ibid. addit, *Alexandrum Trallianum* tradere auctoritate Galeni lib. 9. cap. 4. ad fin. *Scorpionis morsibus* etiam Musicam mederi, & ut subdit *Gellius* Noct. Attic. lib. 4. cap. 13. *Democritus* in lib. *περὶ λοιμῶν ἢ λοιμικῶν κακῶν*, de pestibus aut pestilentibus malis, incantationes tibiarum plurimis *hominum morsibus* medicinam fuisse edocet. Eadem plane repetit *Ger. Jo. Vossius* de Musica cap. 4. pag. 42. qui §. 13. pag. 43. hæc adjicit: „*Maretus* lib. 13. Var. Lectt. cap. 6. metuit, ne ab *A. Gellio* sit aberratum, " quando ait, Musicen mederi a vipera morsis. Exi-" stimat enim hoc non de vipera, sed phalangio scri-" psisse aranei genere a Taranto urbe,] quæ nunc" Taranto, Tarantola vocato. Ab hoc morsi infe-" cto tibicinum cantu quasi e gravi somno excitan-" tur, atque inde parum compotes mentis subsiliunt" ac tripudiant, donec lassati sudore diffluant ac" concidant tandem. Paulo tamen aliter hanc rem"

me-"

„memorant. Sed si Tarantulam intellexit Theophrastus, non ita multum hoc argumentum facit „ad quæstionem illam, utrum cantus ad tibiam sanet morbos? Nam tibia quidem ab illo aranei genere morsis animum ad tripudiandum accendit; „sed vehemens ac diutina saltatio præstat, ut venenum a corde propellatur, atque una cum sudore „expellatur foras. Hæc igitur Musices vis non tam „ad corpus pertinet quam animum.„ *Georg. Baglivus* Diss. pecul. de Tarantula cap. 13. pag. 59. ait: Curiosum magis est, quod affert *Alexander ab Alexandro* Genial. Dier. lib. 6. cap. 5. dicens: Theophrastus quibusdam viperarum morsibus cantus fidicinum aut tibiarum aut alia artis musicæ organa modulate adhibita, apertissime mederi affirmabat. Conf. eundem Alexandr. lib. 2. cap. 17. Sic a Scorpio ictum Persæ credunt sanari, si post inflictum vulnus asinum rudentem audiat, teste Oleario in der Persianischen Reisebeschreibung fol. 372.

§. 38. Maxime autem addenda miranda & tantum non appropriata *Tarantulæ* morsibus per Musicam medendi via. Testantur fide digni & oculati, quod si quispiam ejus morsu læsus jam moribundus & fere omnibus sensibus privatus sit, quam primum cytharæ, lyræ, fidium, tympani parvi, cymbali, tibiarum sonum audiat, statim quasi reviviscat, oculos aperiat, aures arrigat, in pedes sese attollat, primum digitos pedum & manuum secundum musicam melodiam movere incipiat, hinc manibus, pedibus, capite gestire, saltare & tripudiare. Unde in tota Apulia tempore æstatis tibicines vagantur, ut Tarantulis præsto sint, teste *Sennerto* Med. Pract. lib. 1. Part. 2. cap. 17. pag. 449. Conf. *Matthiolum* ad *Dioscorid.* lib. 2. cap. 57. ex eoque *Camerarium* Syllog. Memorab. Cent. 4. Part. 4. pag.

pag. 213. ac *Joh. de Mey* Comm. Phyf. in Pentat. pag. 95. *Delrio* lib. 1. Difquifitt. Magicar. cap. 4. n. 2. *Jonftonum* Thaumatograph. lib. 8. cap. 23. *Campanellam* lib. 4. de Senfu Rer. cap. 17. apud *Gisb. Voëtium* Differtt. Selectar. Part. 3. pag. 152. maxime vero *Herm. Grube* de ictu Tarantular. art. 5. fect. 2. pag. 68. feq.

§. 39. Celeberrimus Medicus *Georgius Baglivus* in Lyceo Romano Profeffor Excellentiff. peculiarem differtationem de Tarantulæ Anatome ejusque cura confcripfit, in qua plura de Mufica cap. 9. & fepq. proponit, atque inter alia hiftoriam cap. 11. nobilis cujusdam mulieris Lycienfis, anno 1689. nefciæ an a tarantula effet demorfa, fymptomatis vero ejusmodi mire multatæ, cum vocati Cytharœdi primo diverfa fonorum inftituerent genera, a quibus nihil prorfus afficiebatur patiens, audito tamen quarto a reliquis diverfo ftatim fufpirare cepit atque fe temperare nefciens a vehementiffimis infultibus, quos Mufica intus excitabat, folutis omnibus verecundiæ limitibus fere nuda prodiit e lecto, vehementiffimeque faltare cœpit, & ita per triduum confueto more continuando ab omnibus fymptomatis libera evafit. Plura fimilia exhibet idem CL. Auctor exempla, & tandem cap. ult. 13. pag. 59. fic concludit: "Cum igitur ex antecedentibus Mufica fanos homines & alia cogitantes in actiones modu-" laminis auditi æmulas rapiat, quid de Mufices effe-" ctibus in curatione Tarantalorum fentiendum fit," exinde clare elucefcit. Probabile eft, motum" velociffimum ab inftrumentis Muficis aëri impres-" fum (id genus velociffimi foni Tarantalis familia-" ris ab Italis vocatur Tarantella) & ab aëre cuti, mox" fpiritibus & fanguini communicatum, incipien-" tem eorundem coagulationem paulisper diffol-"

„vere, disgregare excitire & quod dissolutionis „effectus crescant sono ipso crescente, donec tandem per repetitetas has successioniones ac veluti „vibrationes pristinam fluiditatem humores acquisiverint, quo facto æger sensum reviviscit, membra „movet, in pedes elevatur, suspirat, & vehementissimas inchoat saltationes, donec evocatis sudoribus seminia veneni foras eliminata fuerint. "Plures. „alias idem ibid eventus hujus subnectit rationes.

§. 40. Ubi tamen & hoc non negligendum, quod Jo. Nardius Noct. Genial. lib. 4. pag. 303. suggerit: Varia esse Tarantularum genera, quæ proinde etiam variis gaudeant modulationibus, quos accurate Chirurgus quidam, *Epiphanio* teste, longo usu edoctus calluerit, digitoque præmonstraverit, hanc Tarantulam hac specie Musicæ delectari, illam alia, & ita, ait, res erat; nam hoc modo sonans illa tripudiabat, alio vero modo nequaquam. Modos aliquot annotavit *Kircherus* in Lib. de Magnete.

§. 41. Huic consimilem prorsus ob consimilem forsan Tarantulæ veneno malignum humorem medelam requirit affectus ille, ab invocatione Sancti Viti, a quo se liberari putant superstitiosi, *Morea S. Viti*, dictus, uti denominationem hanc deducit *Casp. Bartholinus* Exert. 1. Probl. Philos. & Med. 4.

§. 42. Nisi pagellæ obstaret angustia, dicenda quoque aliqua forent de illo Musicæ in Medicina usu, quem magni fecit olim *Herophilus*, dum ægrorum arterias in pulsu musicis pensitabat modalis. vid, *Martian.* Capella loc. sup. §. 15. allegato, ex eoque *Tyraquell.* de nobilit. cap. 31. num. 303. item *Ger. Jo. Vossius* de Musice cap. 4. §. 13. pag. 43. Secutus autem eum est præter *Joëlem* lib. 4. sect. 2. & *Fluddum* in suo Monochordo Symbolico-Biomantico *Samuel Hafenrefferus*; cujus tamen libri Ma-

gno

gno *Conringio* Introduct. in univerſ. art. Medic. pag. 129. ne quidem titulus ineptiis, ut ait, plenus dignus viſus eſt, qui adſcriberetur. Receptui ergo & nos hac vice noſtræ canamus Muſicæ.

DISPUTATIO MEDICA DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM.

§. 1.

MEdicæ conſiderationis *Reſtitutio* eſt *in integrum*, quia omnis morborum curatio eſt *Reſtitutio in integrum*. Sic *Henricus Wavenius* in Noſologia Hermetica & Galenica Diſp. 21. th. 32. pag. 224. Lipſ. edit. 1605. in 8vo. ait: Ad hoc ſi ſudor de facili provocetur, magnam ſalutis & *Reſtitutionis in integrum* nobis id ipſum ſpem excitare. Imo ultio quoque apud JCtos interdum *reſtituere* eſt in eum caſum rem conſtituere, in quem fuiſſet, ſi nihil adverſus quod facienda eſſet reſtitutio eveniſſet, Alciatus ad Tit. π. de V. S. & *Brechæus* ad L. plus eſt 22. π. d. tit. apud *Schard.* Lex. Jur. fol. 817. a. Quomodo natura defectus corporis compenſet, vide *Camerar.* Hor. ſubciſ. Cent. 1. cap. 37. pag. 170. ſeq. & Cent. 3. cap. 80. *Richter.* Axiom. Oeconom. no. 18. pag. 98. ſeq.

§. 2. Nobilis illa eadem eſt, quæ aliis *Chirurgia κολοβωμάτων ſeu Curtorum*; hoc eſt, reſtitutio partium amiſſarum, teſte *Sennerto* Inſtitutt. lib. 5. part. 1. ſect. 2. cap. 14. ut *Oculorum* horumque multiplicis *humoris, naſorum, aurium, labrorum, dentium, linguæ, palati, pilorum, brachiorum, manuum, pedum, præputii, penis* &c. eaque fieri poteſt vel *ve-*

ra vel interdum *palliativa*: Illa in corpore ſenili aut quod mali habitus eſt, aut in quo vulnera difficulter coaleſcunt, non facile tentetur. Videndum quoque, an pars mutila citra alterius partis inſigne damnum reſarciri poſſit. Modus autem operationis in genere hic eſt: Cutis adverſa partium, quas conjungere volumus, incurvo ſcalpello vel acutiſſima forticula ſecatur, mox vulnerum oræ odducuntur, & conveniente deligatione continentur, admoto medicamento cruentis vulneribus & parti conveniente. Qua de re *Celſus* lib. 7. cap. 9. apud *Sennert.* d. l. conf. *Bauſchius* in procem. de Hæmatite. p. 88. & præcipue *Ambroſ. Pareus* Chirurg. lib. 22. per tot.

§. 3. *Oculi* deficientes compenſantur oculis vitreis aureiſve expolitis & pictis, ut tam forma quam luciditate genuinorum formam exprimat, teſte *Sennerto* Prax. lib. 1. part. 3. ſect. 2. cap. 43. horum figuram & apponendi modum affabre, depingit Pareus Chirurg. lib. 22. cap. 1, fuſius vero *Jeſſen.* Inſtitutt. Chirurg. pag. 10. & *J. B. Lamtzwcerde* in append. Inſtrum. Chirurgicor. Tab. IX. pag. 23. De oculo artificiali vitreo lege *Ol. Wormii* Viri CL. Muſeum lib. 4. cap. 7. fol. 362.

§. 4. *Oculorum humor* triplex eſt, aqueus, vitreus & cryſtallinus: quilibet vel punctura vel alia effundi poteſt injuria. An reſtitui autem poſſit, dubitatur. De *aqueo* ſola natura reſtituto confirmat *Ant. Molinettus*, teſte *Jo. Dan. Majore* Anat. 1. Kilon. cap. 2. §. 37. Medicamentis idem ibid. ait D. *Reiberum* hoc teſtari de *Burrho*. Imo olim jam dum meminere *Galenus* Lib. 1. de ſymptom. cauſ. cap. 2. *Coiter.* in Obſervatt. Anatom. Chirur. Deſcripſit *Benivenius* cap. 74. conf. *Schenkium* obſ. 280. Lib. 1. & *Columb.* Lib. 10. de re anatom. De *Vitreo*

albumine

albumine ovorum ſupplendo decrevit *Duncan. Liddelius*; Succo ulmariæ autem Majo collecto *Henr. ab Heer* Obſerv. Spad. 4. teſte *Th. Bartholin.* Epiſt. ad Bunhum p. 22. edit. Hafn. 1669. De *Cryſtallino* res difficilior & hactenus fere impoſſibilis. Idem ibid. p. 23. Modum tamen habet & docet *Burrhus* Epiſt. de ocul. ad *Bartholin.* p. 42. ſeq. ex Chelidonio ſcilicet, præcipue ex phlegmate dulciſſimo vitrioli martis; & pag. 50. addit, nulla ligatura aut alio inſtrumento quam cultro opus eſſe ad hujus reſtitutionem. Conf. omnino *Frid. Hofmann.* in Clave *Schrœder.* p. 208.

§. 5. *Naſum* abſciſſum vere ex carne reſtitui poſſe negat *Jat. Crucius* Chirurgus Lib. 2. cap. 3. & dubitare videtur *Hornius* l. d. Quin & *Nic. de Blegni* in Zodiac. Med. Gall. An. 1680. m. Mart. obſ. 5. pag. 75. dubitat de veritate hiſtoriæ naſi refecti, ipſe autem aliud verum exemplum ſuggerit, qui videatur. Pro affirmantibus tamen pugnant (1) *experientiæ* Fieni opuſ. Chirurg. Lib. 12. cap. 1. qui fabre fieri & frabrefactos vidit. Item *Fabr. Hildani* Cent. 3. obſ. 31. qui ſe haut raro vidiſſe & obſervaſſe aſſerit, additque ſucceſſum in puella a *Griffonio* ita curata. His adde conſentientes *Gourmelinum* Chirurg. Lib. 1. *Veſalium* Lib. 3. c. 19. *Fallop.* lib. de decoratione cap. 11. *Calentin.* in Epiſt. ad Orpian. *Alex. Benedict.* lib. 5. cap. 19. *Mercurial.* lib. de decoratione *Paræum* lib. 21. cap. 1. *Borell.* Cent. 1. obſ. 10. Imo ipſum *inventorem*, vel potius (nam *Brancam* Siculum alii memorant, ut *Jesſenius*, *Sennertus*, *Gilb.*

 Cognatus

Cognatus) perfectiorem *Casp. Tagliacotium* Bononiensem præcipue Lib. 1. cap. 16. ubi veteres & recentiores habet, qui de hoc scripsere. Cujus scripta laudant *Casp. Hofmann.* Instit. Lib. 4. c. 129. *Sennertus* Instit. p. 970. & 1087. *Bartholin.* Anat. Reform. p. 360. *Jessenius* &c. Bruxellensis illius meminit *Helmontius* & *Bachius* in Exam. phys. p. 319. *Bausch* de Hæmatit. p. 78. *Fortun.* Licetus de monstris lib. 2. c. 20. p. 108. ait: Vidimus sæpe, dum Bononiæ studiis operam navaremus, eximium præceptorem *Taliacotium* nares hominum præcisas refecturum prius excoriare cicatrices nasi, deinde brachii partem decorticatam naso ad unionem coaptare, ac suere ad plusculos dies; & in margine ibid. addit: Labia curta eodem modo refecta; & cap. 29. pag. 126. pergit: In mentem subit solertissimum præceptorem *Taliacotium* per insitionem consuevisse curtas aures & nares, curtaque labia curare, brachio primum partibus illis excoriatis conjuncto, quod poterat nullo negotio inducta cicatrice iis partibus conjunctum relinquere in monstrosam effigiem, ut apparet ex ejus disertissimo libello. *Petr. Servius* de unguento armario p. 93. seq. ait: „ *Hæc cum ita sese habeant, non est, cur aniles superstitiones aut commenta esse existimemus, quæ a gravissimis viris de naso arte restituto, deque Apuli aranei veneno commemorantur. Et quidem satis inter omnes constat, Petrum Bojanum, Taliacotium ceterosque nobiles Chirurgos amputatum nasum tum ex propria ægri carne, tum ex aliena non sine*

magna

magna hominum admiratione refecisse. Cæterum in hac vere miranda Chirurgia illud accidit præter expectationem & opinionem omnium, ut nasus ex propria ægri carne restitutus nunquam contabuerit: qui vero ex aliena tamdiu incolumis fuerit, quamdiu alter homo, e cujus carne refectus fuit nasus, vixerit. Nam eo mortuo sensim contabuit nasus adnatus, ac tabe & putredine confectus decidit. Unde obsecro portentum hoc & miraculum, nisi ex vere mirabili & prodigioso spirituum e vivente homine ad nasum effluvio? Nonne hic homo, cum viveret, quamvis longissime disjunctus, quandam vim salutarem vitalemque emittebat in nasum restitutum? Quid vero sit hæc vis, quomodo e longinquo feratur in nasum, fateor, me plane ignorare, puto in naturæ penetrali intime & obscure delitescere, & nobis datum esse admirari potius quam novisse. Neque vero fide dignis auctoribus abroganda fides est aut temere renuenda, quæ docti ingenuique viri testantur. Ego sane non tantum apud probatos auctores expertosque ea legi, sed etiam a nobili eruditoque viro & ab omni fuco alienissimo accepi, Panormitanum Equitem multos annos habuisse nasum e famuli carne restitutum, hoc vero mortuo eundem amisisse. Auctor etiam der curieusen Medicin im Anhange p. 177. ait. Man hat Exempel, daß manchem die halb-abgehauene Nase durch wieder andrücken, wenn es bald geschehen, erhalten worden. Nares coalitas a variolis reseravit Chirurgus apud *Jo. Henr. Brechtfeld* in actis Hafn. vol. I

n. 109. p. 199. Affirmat etiam veram illam nasi restitutionem Schwenterus in Steganologia & Steganographia aucta, geheime Magische natürliche Red- und Schreib-Kunst apud *Wagenseil.* Exerc. Miscell. 2. p. 62. qui & ipse rei possibilitatem concedit p. 65. illustratque simili desumto ex insitione rami alicujus in alteram arborem; ac paulo post pergit: Primus, ni fallor, hunc medendi modum induxit *Casp. Tagliacotius* Medicus Bononiensis circa finem prioris seculi, cujus non tantum amplum librum *de nova curtorum Chirurgia per insitionem* æneis figuris omnem operandi modum repræsentantem, sed & statuam dextra nasum tenentem in Theatro Anatomico Bononiensi vidisse me memini, atque hanc statuam ob nasos restitutos ei positam esse narrabant qui me introduxere. 2) *Ratio*, quam eandem vult esse Borellus l. d. ac ubi calcaria gallorum in eorum capitibus incisis posita crescunt & magna evadunt: Item aliæ insitiones in vegetabilibus. Imo in utero sæpe per errorem gemelli concrescunt varie &c. Modus compendiose a Jessenio l. a. & Sennerto Instit. p. 970. proponitur ex Taliacotio hisce: Traducem in manibus & labiis ex humero, in aurium vero mutilatione e regione post aurem sumit. Nimirum in illis partibus convenientem sectionem instituit, & mutilatis partibus prius excoriatis cutaneam propaginem cum curta parte committit & conjungit. Ut vero ad coalitum usque conjunctim serventur, fasciis continet, & quidem nasi ac labri ea parte qua mutila sunt, in vulnus humero

inflictum

inflictum demergit, capite ad brachium tanquam ad palum deligato, ut plane immobile & fixum nulla parte moveri possit; atque hoc modo, ubi eo usque cohæserit, donec caro utriusque partis unita sit & coaluerit, surculum sive traducem jam naso vel labro unitum resecat: Hinc rudem illam molem a brachio resectam in formam nasi vel labii convenienter efformat. Quæ eadem habet *Mœbius* Instit. p. 594. & *Harsdörfer* im grossen Schau-Platz num. 113. Difficultates vero, quas alii opponunt, diluit *Fienus* l. d. Quando autem ex peregrini carne nasus factitius, moriente hoc, ex quo, in possessore computrescit; Rationem ex Mumiæ magnetismo deducit Helmont. de Magnet. vulner. curat. n. 22. seq. Consentire videtur *Papini.* de Cur. Magnet. sed *Conringius* (referente *Straussio* de pulv. sympathet.) id casu factum putat, cum aliis in hoc passu neutiquam hoc acciderit, nec arbori per similitudinem in insitione. Deusinus. de pulv. sympathet p. 244. *Palliativa* vero nasi restitutio fit ex argento, duplicata papyro aut linteis in nasi formam figuratis coloreque nasi genuino tinctis. Sennert. Instit. p. 970. vid. omnino *Jo. Bapt. Lamzweerde* append. Instrum. Chirurg. Tab. 9. p. 23. *Garmann.* de Miracul. mort. Lib. 1. tit. 2. §. 1. seq. pag. 17. Exemplum palliativi talis nasi illustre exhibuit incomparabile Daniæ decus Tycho Brahe, qui nasum casu sibi amputatum argenteo tali factitio restituit.

§. 6. De *aurium* restitutione nonnulla jam tetigimus §. præced. 5. Palliata seu factitia vel pro-

missa coma tegitur, vel ex conglutinata papyro aut corio picto emendatur. *Sennertus* l. cit. conf. *Paræus*, *Jessen.* Horn. ll. cc. Casp. Hofmann. Institt. Med. L. 2. cap. 84. §. 3. p. 171. *Usus* (inquit) *auricularum non potest esse magni momenti, si quidem verum est, uti est, non omnia animalia auriculas habere. Arist. 2. Part. 15. l. Hist. 11. Quare dicendum est, non facere ad auditum simpliciter, sed ad auditum perfectiorem. Galen. 2. Us. Part. 12. perfectio consistit in eo, quod Arantius Obs. 10. scribit, narrasse sibi eos, quibus casu abscissa fuerat una, se audire quidem, sed non satis distincte, quin semper videri sibi audire strepitum aquæ fluentis aut etiam cicadam. Causa est, quam Galenus tradit l. c. Non fit satis fortis allisio aëris percussi, Hinc surdastri cavam manum adponunt auriculæ. Hoc Adrianum Imp. fecisse ait Galen. l. c. Hoc fecisse memini præceptorem & postea Collegam amantissimum M. Georg. Queccium &c.*

§. 7. De *labiorum* restitutione vera itidem §. 5. monuimus. De Leporinorum cura, conjunctione, & in integrum restitutione tradit modos *Pareus* lib. 22. c. 25. *Sennertus* prax. Lib. 2. p. 1. c. 4. *Schmitz* Comp. pract. p. 149. Alium ex pectore tenerrimi pulli illico occisi & sanguinolenti *Olaus M.* Lib. 18. cap. 8. per secundinam mox a partu illitam & applicatam *Moccius* apud *Jo. Schenk.* Lib. 1. Obs. fol. 225.

§. 8. Reponuntur etiam palliative *dentes* eburnei aureo vel argenteo filo alligandi, ut olim jam *Hippocr.* notavit teste *Jessen.* p. 103. Cavendum vero

vero ut ex compressis gingivis nervi lædantur, *Sennert.* prax. Lib. 2. p. 1. cap. 10. *Paræus, Hornius.* Dentes veros autem restitui posse testatur Borell. Cent. 1. obs. 10. quod casu detectum fuit; cum enim quidam dentes duos amisisset, idque ægre valde ferret ob deformitatem, eos subito reposuit joci gratia, & tamen radices egerunt, & firmitatem pristinam sibi compararunt. Sic de extracto dente, qui redditus alveo firmiter coaluit, lege *Petri Guenellon.* dexterrimi Chirurgi Obs. communic. apud. *Jo. Bapt. Lamzweerde* Append. Observat. n. 64. *Jac. Bontius* de Medicina Indorum ad Gassiam ab Horto cap. 18. p. 24. refert, Javanos ac Indos ceteros rariores ostendere dentium ordines ob longum ac continuum usum Betele & Areciæ cum calce masticatæ, quæ non solum dentes ob admixtum calcem erodunt sed etiam excidere faciunt, ut interdum juvenes omnibus dentibus careant: In horum ergo vacuos loculos ditiores *aureos* reponunt dentes.

§. 9. *Linguæ* defectus apud Paræum Lib. 22. cap. 5. per ligneum instrumentum compensatur, ubi formam ejus quoque habet. Repetit *Horn.* Quomodo hoc fuerit inventum ridicula fere historia refertur apud *Jessen.* p. 103. conf. omnino *Jo. Bapt. Lamzweerde* Append. Instrum. Chirurg. Tab. 9. p. 23.

§. 10. *Palatum* palliative argentea vel alia lamina restituitur; Figuram & requisita docent *Pareus* c. 4. *Horn.* & *Jessen* ll. cc. & præcipue *Hildan.* Cent. 2. obs. 22. conf. *Lamzweerde* l. c. pag. 25.

Quo-

Quomodo clavo aureo vel argenteo in palato exulcerato loquela posſit reſtitui ex *Amato Luſit.* & *Foreſto* docet *Bruno* Lex. Med. p. 219. qui videatur. Novi egomet Hafniæ virum tali lamina argentea in faucibus a lue venerea exeſis commode utentem, & alium ex oxœna ſcorbutica Vitembergæ qui ſpongia illud foramen obturabat, ut poſſet promte loqui.

§. 11. *De brachiis*; *manibus* & *pedibus* arte factis lege omnino *Jo. Bapt. a Lamzweerde* Append. Inſtrum. Chirurg. Tab. 7. p. 17. ſeq. Tab. 8. p. 20. ſeq. *Jo. Tritbemius* in Chron. Hirſang. ad A. C. 935. fol. 73. ait: Hominis cujusdam in Saxonia ſiniſtra manus ferro cum brachii parte penitus amputata & in cœmeterio ſepulta poſt annum ei dormienti ad integrum reſtituta fuit: cui pro ſigno miraculi quaſi linea una parvula ſanguinei coloris in modum ſerici fili ſubtilis in locum amputationis & conjunctionis relicta, quoad vixit, indelebilis apparuit.

§. 12. *Pili* vel vere reſtituuntur per varia medicamenta, quæ habent *Melch. Sebizius* diſp. poſt. de pilis & alii. Palliative per comam fictitiam vulgo *perruque*, de qua Rango diſſ. pecul. Uſus ejus olim jam apud Japygum poſteros, Athenæus Lib. 12. Deipnoſoph. c. 7. fol. 723. De *Barba* arte reſtituenda vid. *Lamzvveerde* Append. Inſtr. Chir. Tab. 9. p. 23.

§. 13. Rarisſimam obſervationem, qua magna *hypochondrii carnis* portio tormento bellico abſumta

ſumta & carne vervecina reſtaurata fuit, videri poteſt apud *Bartholin.* Cent. 6. hiſt. 59.

§. 14. Adjiciemus quoque *Epiſpaſmum* Judaicum, qui *Loſſio* diſp. pecul. Jenæ 1664. §. 4. definitur, quod ſit artificium, quo Judæi circumciſi præputium iterum ſuper glandem attrahebant, cum a religione deficerent; quæ operatio vel ſolis manibus identidem attrahendo, vel inſtrumento quodam ferreo fiebat, ut præputium glandem obtegeret. conf. *Jeſſen.* p. 104. & ea quæ Satyra Med. noſtra I. jam diximus.

§. 15. De *penis* tandem amputati reſtitutione palliativa per fiſtulam ex argento vel alia re, vid. *Jeſſen.* l. d. &. *Paræum* ac *Hildanum.* De penibus arte factis lege omnino *Jo. Bapt. a Lamzvveerde* Append. Inſtrum. Chirurg. Tab. 8. p. 22. conf. noſtr. ſat. Med. VII. not. 5. Nec verba faciemus de *pedibus* ligneis ſuppoſititiis vel brachiis ferreis aliisve factitiis, De *Cruribus* factitiis legatur *Paræus* Lib. 22. Chirurg. c. 13. & *Jo. Bap. a Lamzvveerde* in Append. Inſtr. Chirurg. Tab. 7. p. 20.

§. 16. Claudemus hancce diſſertationem verbis *Tob. Vogelii* im Curieuſen Haut Diener Lib. 2. cap. 1. art. 4. punct. 3, ubi agit de cauſis pulchritudinis non naturalibus & pag. 229. ita ait: Hierunter laufft auch mit die Kunſt, welche in Schönmachung der Natur nachahmet; Und obgleich ſie die Schönheit eben nicht zu wege bringen kan, ſo vermag ſie doch die Laſter der Leiber und Heßlichkeiten entweder durch Anſtreichung einer Farbe zu bemänteln, welches ſonſt insgemein

mein Schmüncken genannt wird; oder mangelhafftige, verlezte und verstümmelte Glieder wider zu ersetzen; als wenn man ein verdorben Auge mit einem Gläsern; Ein verdorbenes Bein mit einem Höltzernen, ausgefallene Zähne mit andern ersetzet; Jngleichen wann jemanden der keine Arschbacken oder Waden hat, sich von Holtz oder Leder dergleichen machen läst. So haben auch etliche, fürnehmlich unter dem Frauenzimmer im Brauch, wenn sie einen Buckel haben, die andere Seite am Wammes ausstopffen zu lassen, daß sie dem Buckel gleich werde. Solche ausgestopfte Mittel haben die Alten *Analectides* geheissen, wie aus dem Ovid. Lib. 3. de art. amand. erhellet, wo er spricht:

Conveniunt tenues scapulis analectides altis.

Deßgleichen thun sie auch, wenn der Brustkern zuschlecht, daß sie etwas hinein stopffen, damit es fein bausche, als wenn sie noch so viel hätten. Ja ich weiß, daß etliche sonderliche darzu gemachte Krücken unter die Brüste gesetzet, solche damit in die Höhe getrieben, daß sie fein weit oben herauß gegucket.

DISSERTATIO MEDICA
DE
ALAPIS SEU COLAPHIS.

§. 1.

SAcra hac hebdomada recordamur, quod pessimi bipedum Salvatori optimo, Faciei Facierum, (uti loquitur *Zwingerus* in Theatr. Vitæ Hum.

Hum. Vol. 1. lib. 3. fol. 254.) alapas impingere non dubitarint, apud Marc. 14. v. 65. & Matth. 26. v. 67. Quare & has alapas, quas nostri causa passus est, acerbissimis defleamus lacrymis, earumque occasione alapas meditemur medicas.

§. Medicas dico. Nam & Dni Theologi suas habent de alapis meditationes, quando vel modo dictas Salvatoris alapas cum omnibus bonis dolent: vel expendunt locum Matth. 5. v. 39. *Quisquis te cædit in dextram tuam maxillam, obverte ei & alteram*; ad quem locum vide præter alios Commentatores *Casaubonum* fol m. 54. vel, quando hodie qui confirmatus est, manu leviter in maxilla cæditur ab Episcopo, ut meminerit, invicto animo Christianam militiam exercere & ornare, ceu ex *Steph. Durand.* de Ritib. Eccles. lib. 1. c. 20. n. 19. & *Lælio Bisciola* in Horis subseciv. Tom. 2. lib. 6. cap. 11. refert Abbas *Joh. Bapt. Pacichellus* Cheiroliturgiæ cap. 3. pag. 14. seq. & *Conr. Rittershusius* lib. 3. Lectt. Sacrar. cap. 10. pag. 180.

§. 3. Habent & Dni JCti suas. Siquidem ῥαπίσματα seu alapas reddi & olim in manumissione servorum. *Isidorus* Orig. lib. 9. cap. 4. *Basilius M.* Homil. 1. εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα. *Macarius* Homil 44. apud Conr. Rittershus. l. jam cit. atque emancipatione liberorum seu filiorum contestantur Novella 81. Conf. *Barn. Brissonius* lib. 1. Selectar. ex jure civ. Antiquitatt. cap. 11. & *Petr. Faber.* Semestr. lib. 2. cap. 20. (Hinc *Casaubonus* ad d. loc. *Matth.* ait: Quæ a Græcis JCtis ῥαπίσματα suorum servorum manumittendorum vocantur, Latini auctores alapas vocant, conf. *Rittershus.* l. c.) & hodienum in manumissione epheborum nobilium &c. in aulis magnatum; vid. omnino *Besold.*

Thes.

Thes. Pract. voce wehrhafft machen, & ad h. l. Additt. *Dietherri* atque *Speidelii* in Speculo Observatt. voce Maultaschen, Backenstreich, fol. 894. & voce wehrhafft machen, fol. 1350. *Rittershusius* loc. alleg. pag. 182. De Alapa in manumissione plura habet quoque *Joh. Jac. Hofmann.* in Lexici Univers. Continuat. Tom. 3. fol. 191. a. ex *Claudiano*, *Car. Sigonio* lib. 1. Antiqu. Juris Civ. Rom. cap. 6. &c. Comment. ad *Persii* Satyr. 5. v. 75. seq. *Phædr.* lib. 2. cap. 6. & ibid. *Schefferus* in Nott. idemque ad *Petronii* Fragment. Tragur. pag. 163. Apud Lacedæmones refert *Clearchus Solensis* in Adagiis, fœminas quodam festo die cœlibes viros circum aram tractos impactis colaphis cædere, ut indignitatem ejus contumeliæ perosi liberos ac prolem tollere cuperent, & tempestive adjungerent sese uxoribus; Athenæus lib. 13. in principio, ex quo illam *Λακεδαιμονίων ἑορτὴν* fusius enarrat *Joh. Nic. Wernerus* Corpusc. Philolog. cap. 8. pag. 72. §. 6. Apud Carinthios quondam si quis Rex fuit inaugurandus, rusticus alapam ei inflixit, jussitque æquum judicem esse. *Boemus* de Ritib. Gent. pag. 294. & & ex *Ænea Sylvio & Megisero Sigism. von Bircken* im Spiegel der Ehren des Ertz-Hauses Oesterreich lib. 3. cap. 5. fol. 310. Talia *ῥαπίσματα* vocat Justinianus Novell. cit. injuriosa, sed merito felicem injuriam voces cum Claudiano de Consul. Honorii cum finem adferat aliis verberibus & alapis servilibus, quibus ad id usque tempus obnoxii fuerant, ait *Conr. Rittershusius* d. a. pag. 180. Plura quoque habet *Taubmann.* ad Plauti Milit. Glor. Act. 4. sc. 1. v. 15. pag. 854. seq. Imo alapam infligebant homini impudenter mentienti. Sic Henricus Bernsteinius alii cuidam ex nobilitate, qui falso ipsum

ipsum mendacii insimulasset, *gentis nostræ* more alapam impegit; hic vero dein ipsum veneno propinato sustulit, ceu scribit *Rein. Reineccius* Orat. in funere Joh. Christoph. a Bernstein pag. m. D. 3. b. Nota sunt proverbia Germanica: Auf eine Lügen gehöret eine Maulschelle, & rursus: Auf eine Maulschelle ein Dolch.

§. 4. Habent & Dni Philosophi atque Philologi suas. Illi cum Senecæ meditantur dictum Epist. 13. Scio, alios inter flagella ridere, alios gemere sub colapho. Hi, cum Homeri famam vindicaturi Heraclitum reprimunt, qui τὸν Ὅμηρον ἔφασκεν ἄξιον ἐκ τῶν ἀγώνων ἐκβάλλεσθαι καὶ ῥαπίζεσθαι, καὶ Ἀρχίλοχον ὁμοίως, i. e. Homerum dignum esse dicebat, qui ex certaminibus ejiceretur, colaphisque cæderetur, similiterque Archilochum. Ita mimi in theatralibus spectaculis, cum dabantur, alios mimos ad risum excitandum alapis cædere solebant, ceu habet ex *Nazianzeno* in Nicob. ad patrem *Pacichell.* loc. sup. cit. & ex *Tertulliani* lib. de spectaculis cap. 23. & *Cypriano* atque *Juvenali* Sat. 8. v. 192. hoc asserit *Farnabius* in Nott. ad Juvenal. Conf. quoque Martialis lib. 2. Epigr. 72. & lib. 5. Epigr. 63.

§. 5. Medicas dixi. Nec tamen animus est tractare alaparum utilitatem, quando curationis loco adhibentur. Ita enim *Aetius* Tetrabiblo 3. serm. 1. cap. 8. scribit, quod ii, qui sint vilioris conditionis & in balneo linquantur animo, possint inter alia pro refectione (Schlagwasser) alapis cædi, facta quoque capillorum evulsione &c. Pariter ubi maxilla inferior est luxata oscitatione &c. per alapam posse in pristinum quandoque locum reponi, a quibusdam refertur. vid. *Mœbii* Institt. Medic. pag. 242.

De Odontalgia sola alapa curata lege Observationem Excell. Dn. D. *Christ. Franc. Paullini* Miscell. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. 9. obs. 192. pag. 354. item in Tract. Flagellum salutis sect. 2. cap. 8. apud *Balth. Krysing.* in Disp. Inaug. de Odontalgia tactu sedanda Kiliæ 1701. cap. 5. pag. 28. De singultu alapa cohibito vid. *Jos. Lanzonus* Dec. 3. Ephem. Germ. Cur. Ann. 1. Obs. 44. pag. 61. Sic Excell. Dn. D. *Draba* Prof. P. Med. Viennensis, Fautor Amicusque suavissimus, d. 30. Octobr. 1692. Viennæ mihi retulit, se alibi legisse, si uxori post συνȣσίαν colaphus impingatur, illam inde terreri, ac simul eo fortius retinere semen, atque ita certo impraegnari. De fœmina prægnante, a marito alapam desiderante, lege Camerar. Cent. 2. Syllog. Rer. Memorab. §. 32.

§. 6. Sed de alaparum noxa Medica differemus, adducemusque exempla varia, ubi ab alapa inflicta non solum dolor, tumor, sanguinis effluentia, sugillatio &c. sed & dentium excisio, apoplexia, phrenitis &c. imo ipsa mors, fuere orta.

§. 7. Prius vero quam hæc agamus, alapæ onomatologia paucis tangatur. Volupe enim semper fuit interdum in Philologorum exspaciari viridaria. Alapam autem a Colapho distinxit *Euthy-* „*mius* sive *Euthymii* interpres Hentenius nixus „Matth. 26. 67. ubi de Redemptore: Colaphis, in- „quit, eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem „ejus dederunt; & colaphum verberationem pu- „tat in collo manu factam, ut sonum edat, alapam „vero in facie. Fuse Vir eximius *Lælius Bisciola* „Hor. Subseciv. Tom. 2. lib. 6. cap. 11. At nos cum *Laur. Valla* in Raudensem idem alapam latine quod Colaphum græce existimamus. Sunt verba *Pacichelli* Chiroliturg. cap. 3. pag. 13. quibuscum & nos facimus.

§. 8.

§. 8. Alapæ autem vox non admodum antiqua: Legitur tamen apud *Juvenal.* Sat. 8. v. 192. *Martial.* lib. 5. Epigr. 63. *Isidor.* Origg. lib. 9. cap. 4. &c. Rideo autem, imo irascor *Becmanno* de Origg. L. Lat. pag. 283. dicenti: Colaphus, Κόλαφος a quo, & NB. *levi mutatiuncula* alapa. Eodem acumine *Salomon*, Episcopus Constantiensis, in vocabulario lit. A. vult dici a lata palma; Quidni ita Benjamin a volo, ut utar joco Schuppiano? Sanior est conjectura *Martinii*, qui ait in Lexico Philol. Forte ab ἀλαπάζω, vacuo, vasto, diripio, additque affine esse Ebræum עַל־אַף al aph, super faciem.

§. 9. Græcis est Κόλαφος. *Hesychius* in Lexico lit. K. fol. 432. ait: Κολαφιζόμενος, ῥαπιζόμενος. Κόλαφος, κόνδυλος (pugnus, talitrum) Παρὰ δὲ ἐπιχάρμῳ ἐν ἀγρονίςῳ καὶ παιδὸ ῥίβαις ὄνομα. Dicitur autem juxta *Etymologicum Magnum* lit. K. fol. 525. παρὰ τὸ κύλον ἀφεῖσθαι ἀπὸ τοῦ πυπτομένου μέρους; Ἤγουν ἀσθενὲς καὶ ταπεινὸν πρὸς τὰ λοιπὰ μέρη. Ὁ δὲ Ἀπίων ἀπὸ τοῦ κολάψαι. Τὸ δὲ ὄνομα ἑλληνικὸν παρὰ ἐπιχάρμῳ

Ὡς ταχὺ κόλαφος περιπατεῖ δεινός

ἢ ἀπὸ τοῦ τοὺς κονδύλους ἀφεῖσθαι, ἐν ἐκείνῳ τῷ μέρει. Κόλαφος ἡ διδομένη διὰ τῶν μέσων δακτύλων πληγή. Ἄλλοι δὲ παρὰ τὸ κολύειν τὸ φῶς: id est: *Mutilum solvi a verberata parte. Videlicet debile ac abjectum ad reliquas partes. Apion vero ab incidendo vel insculpendo; Nomen vero Græcum apud Epicharmum:*

Sicut celeriter colaphus deambulat gravis.

aut per digitos solvitur in illo loco. Colaphus, quæ datur per medios digitos plaga, alii a turbando vel impediendo lucem. Ῥαπίσματα item Græcis alapas

 esse,

esse, Lexicographi nos edocent; quamvis etenim ῥαπίζω proprie sit fuste aut virga aut etiam crepida percutere, uti Matth. 27. 67. οἱ δὲ ἐῤῥάπισαν, alii vero bacillis eum ceciderunt; attamen & capitur pro percutere alapis, colaphis cædere, uti Matth. 5. 39. ῥαπίζω σε ἐπὶ σιαγόνα; vid. omnino erudite ad istum locum disserentem *Js. Casaubonum.*

§. 10. Est vero alapa percussio palma facta in facie aut ad tempora; unde Germanis mox Maulschelle, ab ore, mox Backenstreich, a genis, mox & Ohrfeige, ab auribus dicitur. Fit nimirum proprie manu interiore diducta & plana. Exterior enim manus duriorem infert plagam ob ossicula digitorum ibi minus sub carne latentia, Germ. eine letze Maulschelle, oder mit der umbgewandten verkehrten Hand. Nec debet fieri pugno, mit voller Faust, hoc enim magis esset percussio, Germ. dicta Stösse, Schläge. Hinc, quæ differentia sit pœnæ ejus, qui manu aperta seu alapam infligendo, & ejus, qui pugno percussit, vide apud *Franc. Nivium* Decis. 46. & *Carpzov.* Prax. Crimin. Part. 1. qu. 3. n. 38. & 42. quamvis etiam quæ pugno fit percussio in facie, pro alapa accipiatur a multis.

§. 11. In *facie* vero fit; hinc Germ. einen ins Gesichte schlagen; arbitrorque fieri tum ad dolorem, (pars enim est tenerior & sensibilior) tum ad injuriam; Facies enim est honesta corporis pars, injuriamque fieri alapa Dni JCti merito statuunt. vid. Besold. & Speidel. ll. aa.

§. 12. Imo certe faciei regioni infligitur, ex. gr. ori, hinc Germ. eine Maulschelle, Maultasche; item plebejo idiomate einen in die Fresse schlagen,

vel

vel Maulbeeren austheilen. Hinc & axioma πολυθρύλλητον: Auff eine Lügen gehöret sich eine Maulschelle; quod tamen cum grano salis accipiendum monent Dni JCti, ad quos hoc spectat; vid. *Cœppen.* lib. 2. obs. 82. n. 8. *Berlich.* lib. 5. Conclus. 64. n. 30. *Vischer*. de Duello pag. 688. *Struvius* de Vindict. Privat. cap. 10. apud *Besöld.* & *Dietherr*. ll. aa.

§. 13. Vel infligitur ἐπὶ κόῤῥης, uti *Lucianus* κατὰ κόῤῥης παλάξαι, item *Phrynichus* & *Nazianzenus* habent. Hinc *Æschynes* apud *Theocrit.* Jdyll. ιδ' v. 34. Cyniscam animadvertens ad Lyci rivalis nomen erubescere inter compotandum:

—— —— πὺξ ἐπὶ κόῤῥας
ἤλασα. Κ' ἄλλαν αὖθις ——
—— —— cum pugnis in maxilla
Insecutus sum: & aliam rursus ——

interprete *Andrea Davo* pag. 74. Quid vero κόῤῥη proprie sit, disquirunt. Aliis modo totum caput notat, uti Atticis, ceu tradit *Eustathius* in alio Dionysio, Germ. ita ein Kopffstoß. Hinc *Terentius* Adelph. Act. 2. sc. 2. v. 37. ait: *Colaphis tuber esse totum caput*; Quibusdam sumitur pro temporibus ad aures sitis; ut *Oppian.* lib. 3. de Venat. & *Jul. Polluc.* Onomast. lib. 2. cap. 4. §. 1. & ita respondet vernaculo eine Ohrfeige. Nonnulli interpretantur κόῤῥην caput cum collo, vid. Lexica, & ita bene dicimus; einen an Halß schlagen, *Zachar. Calliergus* in Schol. ad d. l. *Theocr.* pag. 356. seq. infit: Κόῤῥην γὰρ τὸν γνάθον καὶ σιαγόνα οἱ Ἀττικοὶ i. e. Κόῤῥην genam & maxillam vocant Attici: Quæ acceptio communis est, & ita accommodatur Germ. ein Backenstreich.

§. 14. Effectus vero, qui inde sæpe resultant, sunt ple-

plerumque dolor, inflammatio, tumor, livor &c. quæ ut vulgaria & trita majorem a nobis non exſpectabunt explicationem; cum animus ſit primo in Medicorum, dein JCtorum gratiam graviores inde ortos affectus & effectus accuratius explicare.

§. 15. *Dentes excutiuntur* facile ex phatniis alapa; quod ſuo malo teſtatur Sannio Leno apud *Terent.* in Adelph. Act. 2. Sc. 2. v. 36.

—— —— omnes dentes labefecit mihi;
Præterea colaphis tuber eſt totum caput.

Præcipue *τομεῖς* primores atque canini, quia ſtant in acie quaſi & radice ſimpliciter acuta, teſtibus *Veſling.* cap. 13. *Bartholin.* &c. ſunt præditi. Hinc non ſolum dolor ingens, larga hæmorrhagia &c. ſed & ſæpe vitium venuſtatis, maſticationis atque ſermonis, præcipue in oratoribus, procuratoribus, tubicinibus &c.

§. 16. *Vomitus* ciborum indigeſtorum poſt alapam oriebatur in cive Bernenſi, apud *Fabric. Hild.* Cent. 5. obſ. 86. cujus hiſtoriam fuſe repetit Cent. 6. obſ. 11. Cauſa potuit eſſe tum corporis tum animi commotio, bilis ventriculum ſtimulans, vertigo, crapula &c.

§. 17. *Cœcitas* ab alapa qud poſſit oriri, docet hiſtoria, quam *Amatus Luſit.* Curat. 44. cent. 7. apud *Scenckium* obſervatt. fol. 155. his recenſet verbis: „Mulier, cui maritus colaphum impegit, illico eodem die utriusque oculi viſionem amiſit, cœca namque evaſit, nulla in oculis habita macula aut nubecula læſioneve aliqua, puri namque cernebantur oculi. Quæ non diu poſtea ſurdaſtra eſt facta & fatua; cum quibus lunaris purgatio huic deperdita eſt; annus jam agitur, quod mulier hæc nata annos viginti ſeptem malum & infortunium hoc patitur, cujus cauſas intimas cum curatio-

„tione ad præsens subticemus; Tu vero docte Le„ctor, considera!“ Causa, quam Auctor indagandam relinquit, potuit esse concussio cerebri & inde facta vel obstructio vel compressio nervi optici; vel sanguinis effluvium in ejus regionem &c. Conf. *Zacut. Lusitan.* lib. 1. prax. admir. obs. 52. apud *Mœbium* Institt. Medic. pag. 218.

§. 18. *Surditas* secuta est in eadem muliere cœcitatem: Forte ob sanguinis in cerebro extra vasa putrescentis corruptionem & miasmata sensuum organo imo ipsos spiritus animales sensim inficientia. Quinimo potest alterutrius lateris, quod colapho percutitur, nisi surditas tamen δυσηκοΐα aut συριγμὸς καὶ βόμβος oriri; quando percussione ista auris tam externa quam interna læditur, aut cerebrum concutitur, aut nervus ἀκουστικός; vel si aër fortius intrudatur, quod fit interdum a vento perflante aures, aut sonitu ingenti sclopetorum, bombardarum, campanarum &c. Hinc molitores, doliarii, fabriferrarii & ærarii, campanarum pulsatores &c. difficulter audiunt. Exemplum est apud *Paullini* Obs. 95. Dec. 2. Ephem. Germ. Cur. Ann. 5. pag. 59.

§. 19. *Fatuitas* in illa ipsa denique successit. Ratio erit in spiritibus animalibus sensim sensimque vel contusis vel corruptis vel plane pereuntibus. Ita vidi in scholis ab Orbiliis plagosis pueros frequenti ad caput percussione factos vel stolidos vel saltim stupidos. In ista muliere mœstitia ex visu & auditu deperdito multum adjuvit, nec non mensium subsecuta suppressio.

§. 20. *Epilepsia* ab alapa quoque oriri potest. Puella in gynæceo palatino pugno fatui ad tempora afflicta multis inde Epilepsiæ paroxysmis convulsa est; quam tamen tandem ægre suo consilio & opera

convaluisse scribit Tom. 1. Epist. 10. pag. 42. doctissimus *Joh. Langius*, quinque serenissimor. Elector. Palatinor. Archiater. Causam ibidem rejicit in nobilissimum temporum musculum, quo cerebro nullus propinquior & nervosior. De Epilepsia a pugno temporibus inflicto vid. *Wolfg. Gabelchover* Cent. 4. fol. 117. *Barthol. de Moor* in Cogitationibus de Instaurat. Medic. Lib. 2. p. 131. seq. ait: Memini ego me aliquando dissecuisse cadaver juvenis per multos annos epileptici; inveni in cerebro glandulam scirrhosam nucis myristicæ fere magnitudine; Fuerat autem huic morbo obnoxius post inflictam alapam vehementiorem, nisi me fallit memoria; alias cerebrum satis erat sanum. Conf. plura apud Car. Bardili Colleg. Patholog. Exercit. 7. p. 237.

§. 21. *Phrenitidem* ex alapa ortam in Bonifacio VIII. Pont. Rom. memorat Jean de Serre, Inventaire general de l' historie de France pag. 365. Nimirum Philippus IV. seu pulcer Rex Galliæ jugum a papa sibi imponi detrectabat, mittebatque pro reprobando pontifice Christianissimus Rex tacite in Italiam Felicem de Nogaret, qui socium sibi adsciscebat Sciarram, ex Italia Pontificis odio profugum: Hic capta urbe (Anagnia dicta) ad Conclave Pontificis irrumpebat, & post aliquot verba ad verbera venit, patrique sancto alapam egregiam inflixit, ut statim largissima suboriretur hæmorrhagia. Pontifex vix subtractus insecuturis plagis post ejulatum stentoreum incidit in maximam phrenitidem, adeo ut ambas anoderet & de-

vorarer manus, atque post 35. dies moreretur ut Canis, qui intraverat ut vulpes & regnarat ut leo.

§. 22. *Apoplexian* etiam ex Colapho excitatam post alia symptomata in Cive Bernensi Hanns Rust observavit & fuse describit rationesque varias adponit Celeberr. *Guil. Fabricius Hild.* Cent. 6. obs. 11. quem. vide, & ex eo *Fr. Deekers ad Barbette* prax. Lib. 1. c. 2. Apoplexian ortam ex percussionibus validis capitis probat ex *Ægineta* lib. 3. c. 28. & *Sennerto* Prax. L. 1. p. 2. c. 33. *M. L. Donner* Disp. Inaug. de Apoplexia §. 30. Argentor. 1673. Ita *Valleriola* Lib. 3. Enarrat. 8. p. 228. b. accepit, quendam in pago, cui *la Voulte* nomen, pugno in faciem illiso mox concidisse. Simile habet *Benivenius* de abdit. morb. caus. c. 110. p. 307. de duobus juvenibus inter se litigantibus, quorum alter extento brachio alapa percussus in apoplexian statim resolvebatur, dein paucis horis jugulatus interiit; quod allegat quoque *Forestus* lib. 10. obs. 70. in Schol. fol. 403. a additque ex percussione accessisse dolorem, deinde & inflammationem ac sic apoplexian. Ex *Penivenio, Schenkio Hildano* affirmat idem *Thom. Bartholin.* Vol. 1. Act. Hafn. obs. 48. p. 86. quæ tota observatio huc conferri meretur. Alium pariter pugno in facie percussum statim appoplecticum concidisse vidit *Horat. Augenius* Lib. 4. Epist. 2. Conf. omnino de noxa alapæ egregiam historiam apud *Hippocrat.* lib. 5. Epidem. T. 50. P. *Zacchiam* lib. 5. Tr. 2. qu. 10. *Hennr. ab Heer* obs. 12. in princ. *Herc. Saxon.* Prælect. Practicar. Part. 1. cap. 12.

Camerar. Cent. 10. Memorab. Medic. 43. *Cummius* disp. cui tit. Ennearum positionum Medico-forens. n. 5. Jenæ 1664. Causa merito hic & in pluribus aliis in concussionem cerebri & spiritus animalis rejicitur. De suo exemplo ita Benivenius l. a. Convocatis Medicis (in vinculis enim detinebatur reus) quæsitum est de causa mortis ipsius; Verum aliis in ictum ipsum, quo materiam commotam fuisse putarent: aliis in humidiorem locum, quo diutius obdormierat: nonnullis etiam in lautiorem victum & potum pleniorem, quo dum vixit usus est, hujusmodi mali causam referentibus, indiscussum apud præsidem remansit judicium. Novimus item fullonem quendam nomine Petrum, qui unico pugno stomacho cujusdam juvenis violentius impetitus hominem interemit.

§. 23. *Abortum* ex Alapa posse fieri facile colligitur ex casu apud *Carpzov.* prax. Crim. P. I. qu. 27. n. 34. ubi adolescens 18. annorum feminam gemellas gestantem percussit pugno, unde illa territa maxime septimo die febrim ardentem passa, nono vero duas filias alteram mortuam alteram paulo post decedentem, quas infelix mater sequebatur, est enixa. Causa apte rejicitur in consternationem, verecundiam, mœrorem &c. Facultas Medica Giessensis anno 1683. die 21. Febr. de procurato abortu per plagas apud Mich. Bernh. Valentini in pandect. Medic. Tom. 1. cas. 20. p. 218. ita: Præter enim hoc, quod ex *Hippocrate* lib. de Morb. vulg. sect. 21. text. 10. seqq. *Benivenio* observat. Med. c. 110.

Hildano

Hildano Cent. 8. obſ. 11. *Thom. Bartholino* in Actis Med. Hafn. Ann. 1. p. 86. *Henr. ab Heer* Obſ. 12. & aliis conſtet, alapam quoque ſæpisſime mortem intuliſſe, experientia quoque teſtatur, quod a ſimili plaga periculoſa *hæmoptyſis* excitata fuerit, cujus exemplum in Ephem. Germ. Cur. Ann. 6. obſ. 207. reperitur.

§. 24. *Mortem* ex Alapa rarisſime ac vix accidere poſſe quidem ſcribit *Carpzovius* Prax. Crim. P. 1. qv. 3. n. 42. Verum ex allegatis modo Benivenii, Hildani & aliorum exemplis eſſe mortuos ex alapis cognovimus. Quippe & mors alias ex longe levioribus quoque cauſis exorta legitur, ex. gr. ex riſu, reſectione unguium, imaginatione, gaudio &c. Sic quod urſus ex mente *Plinii* habeat caput tam tenerum & delibe, ut facile posſit pugno-alapæ occidi, refert *Laur. Wolfstrigel* Dec. I. Ann. 2. Ephem. Germ. Cur. Obſ. 9. p. 19. In *Nic. de Blegny* Zodiaco Medico-Gallico Anno 4. m. Febr. obſ. 5. p. 30. refertur examen cadaveris puellæ biduo poſt acceptam alapam mortuæ; quamvis Magiſtri Greffeteau & Enezard in ſua relatione mortem non illi accidenti ſingulari adſcripſerint, ſed corporis conſtitutioni, quam ibidem referunt, Dn. D. *Jo. Chriſtoph. Troppanegger*, Archiater Elect. Saxon. Collega ſuaviſſimus d. 9. Julii 1693. mihi in pago Oberrod prope Hanoviam narravit, ſe noſſe exemplum feminæ Dreſdenſis, quæ a marito milite alapa ſuit percuſſa, inde concidit in terram, maritus ſuſpicans eſſe dolum, quem miſera fingeret, domo exit projectam relinquens, quam reverſus vere mortuam invenit. §. 25.

§. 25. Coronidis loco Doctisſimi Viri Dn. D. *Jo. Matth. Fabri* Poliatri Heilbrunnenſis, Amici conjunctiſſimi elegantem adnectam obſervationem, quam ſuo titulo *Alapæ letalis* Hipporati ſuo Juſtinianeo adhuc ἀνεκδότῳ fol. 47. ſeq. inſeruit: Cum „ſervi ruſtici Hoſpitalis famoſi in civitate Imperiali „Eslingua die feriato apricarentur & luxuriarent, „forte quidam eorum alteri alapam ſeu talitrum „potius per jocum impingebat. Hic Elephanto „nequaquam agilior retrorſum collapſus in pla„team ſilice conſtratam, nullo edito vitæ ſuper„ſtitis ſigno in continenti exhalabat animam. Scru„tinium anatomicum neſcio qua cauſa omitteba„tur. Capitis vero alliſionem violentam tumor „& hæmorrhagia larga teſtabantur. Altera quo„que die ſpinæ dorſalis regio univerſa colore ni„gro deruleo ſuffundebatur a collo ipſo concolo„re ad imum uſque. Sepulto cadavere demum „adeo varia & multa agitabantur, ut omiſſæ diſ„ſectionis pœniteret eos quam maxime, qui inu„tilem & ſuperfluam futuram exiſtimaverant. Se„ro tunc erat exprobrare negligentiam his, qui ra„tionem mortis repentinæ ſcituriebant. Reſpon„dimus vero a duplicis regionis violatione profi„ciſci potuiſſe. De capite & cranio nil erat am„bigui, ob ſigna læſionis manifeſta. Hoc tamen „dubium, an concusſione duntaxat cerebri Oeco„nomia turbata, ſpirituumque commercium in„terceptum, vaſorum etiam ac plexus choroidei „inprimis tubuli capillares ſive ῥῆξιν ſive ἀναςόμω„σιν paſſi fuerit (quod tamen mortem adeo repen-

tinam

tinam non inferre potuisse vedebatur:) Non exigua tamen causa in spinæ dorsi concussione reponenda. Licet enim luxatio nulla accesserit, siquidem vertebrarum sinus nec minimus deprehensus fuit in exteriori inspectione eadem tamen hujus concussio totalis & gravis adeo est cum celebri parilis vel saltem non multo levior ob utriusque continuitatem & sympathiam arctissimam. Præterquam quod prolapsu graviore vasa sanguinea atque ipsa quoque viscera disruptionis periculum jubeant. Tanto vero gravior hæc erat læsio, quod partium harum utramque adeoque genus omne nervosum eodem momento gravissime contunderet. Addimus consternationem repentinam: siquidem cogitabundo & nil quasi animadvertenti quodcunque præceps objectum terrorem ingentem incutere posse, fortissimo licet alioqui animo prædito, nemo ignorat. Quid vero sive coagulatio sive violenta dissipatio, coarctatio, obfuscatio &c. spirituum valeat, rerum periti satis intelligunt. Atque hæc talia (spiritus vehementer afficientia & alterantia) uti in momento vim imprimunt, pari & velocitate & pernicie illos prosternunt. Singularum causarum, quas allegavimus, unum alterumque adsciscamus experimentum. Celeberr. *Gotofr. Welcshius* Prof.Med.Lips.& Senior meritissimus, cum ex causis modo allegatis mortem facile ingruere posse censuisset rational.Vuln. letif. judic. c. 16. refert quoque c. 14. post inspectionem cadaveris pueri, qui sola manu alapis & plagis tra-

ctatus

„ctatus altera die mortuus fuerat: Facultas Medica „& Chirurgi Lipsienses censuere, licet macula levis „cœrulea ad sinistram aurem foris appareret, nulla „tamen læsio interna fuerit, videri, licet non ab- „solute letalem percussionem, consternatione ta- „men & concussione cerebri affluxum humorum „epilepticos, & per obstructionem nervorum apo- „plecticos insultus excitari potuisse. Hæc eadem „confirmant *Benivenius* de abdit. morb. caus. c. „110. *Th. Bartholin.* Act. Med. P. I. c. 48. *Thom.* „*Reinesius* Schol. Jurisconf. Med. lib. 4. sect. 5. c. „2. &c. Et mulier, quæ ad nasi radicem & su- „percilia pugno percussa fuerat, mox apoplectica „reddita exspiravit animam, in cujus cranio ultra „tria cochlearia sanguinis concreti plexum cho- „roidem comprimentis inventa, referente *Henr.* „*ab Heer* obs. 12. Ex alapa repente mortuorum „exempla auctoribus *Benivenio*, *Valleriola*, *Auge-* „*nio* comportavit *Jo. Schenk.* observat. p. 90. tit. „apoplexia. Imo e solo colapho faciei inflicto „mulierem statim utroque oculo excœcatam nec „diu post surdastram ac denique fatuam factam „fuisse idem ibid. ex *Amato Lusit.* Cur. 44. „Cent. 7. recenset. Felicior his erat Eumulus La- „rissæus apud *Hippocrat.* Epidem. l. 5. §. 12. qui „vigentes manus pedes maxillas non nisi admini- „culo alterius extendere vel diducere valens, die „vero 20. sedens cadebat supinus & caput ad lapi- „dem vehementer offendebat, vertigine superve- „niente caliginosa, paulo vero post surgens omni- „no sanus erat & soluta omnia, præterquam post

somnum

ſomnum, ubi excitaretur, articuli modice ligati" erant. Quantum vero noxæ ex lapſu intraneis" partibus accidere poſſit, docuit hiſtoria Saxo-" Altenburgica, Ephem. Germ. An. 1. obſ. 21. ab" *E.Vollgnad* inſerta: Venator nimirum a cervo fe-" rociente humo alliſus, licet nulla parte foris læ-" ſus videretur, præter vulnuſculum clunibus infli-" ctum; altera tamen die in vita functi ex diſpicio" occurrebant foramina quinque in ileo & colo in-" teſtinis, atque aliud in meſenterio prope rectum" inteſtinum, e quibus tum ſanguinis tum ſeri co-" pia magna in abdomen effuſa fuerant. Si animi" pathemata conſideremus, notum eſt, morionem" aulicum per jocum capitis damnatum & in ge-" nua procumbere juſſum, cum virga duntaxat" circa collum ferieretur ab aulico, mortuum pro-" cubuiſſe. Et ancilla, cui hera alapam inflixerat," cum quinta die fatis concederet, hera in jus vo-" cata abſoluta fuit, quod illa per iracundiam ſibi" mortem conſciviſſet apud Benivenium l. cit. Hai-" tenus CL. *Faber*. De noxa Colaphi alicujus evolve, ſi placet *Jo. Dan. Horſt.* obſervat. Anatom. 2. p. 9. & præcipue *Georg. Segerum* in Ephem. Germ. Cur. An. 2. obſ. 122. & *Sachſium* ibid. in Scholio. De vulnere ex fruſtulo vitri per colaphum comminuti in metacarpio dextro ad indicis radicem vide *Fabric. Hild.* Cent. 6. obſ. 78. & tandem huc refer notabilem illam alapam, qua *Rauſcher* nobilis Germanus Hiſpano cuidam maxillam inferiorem dejecit. Hiſtoriam recenſet Auctor der monatlichen Unterredungen Anno ni fallor 1692.

DISPU-

DISPUTATIO MEDICA,

QUA

LUPANARIA

S. V.

Huren-Häuser

EX

PRINCIPIIS QUOQUE MEDICIS IMPROBANTUR.

§. I.

NUnquam defuerunt ingenia, quorum dicam luxuria an acumine actiunculæ ſunt inſtitutæ de rebus modo vilibus, modo plane noxiis, quibus vel laudem vel laudis ſpeciem comparare ſunt anniſi. Laudarunt *Iſocrates* Pruſiridem Tyrannum, *Gorgias Leontinus* Helenam adulteram, *Favorinus* Therſiten monſtrum iſtud hominis, *Traſymachus* (apud *Platon.* in dial. I. de Republ.) injuſtitiam, *Hegendorphinus*, *Bucoldianus atque Turnerus* Ebrietatem, *Lucianus* muſcam, *Picus Mirandulæ Comes* Barbariem; *Janus Douſa* umbram, *Syneſius* Calviciem; *Paſſeratius* cœcitatem & aſinum, *Matthias Czanakius* ſcabiem, *Birckhaimerus*, *Cardanus &c.* podagram, *Inſulanus*, febrim quartanam, *Eraſmus*, ſtultitiam, *Heinſius* pediculos, *Majoragius* lutum, *Cal. Calcagninus* podicem, *Car. Liebhardus* latrinam, imo *Brunus* Italus Wittebergæ publicitus Diabolum;

lum; ceu habent *Casp. Dornavius* in Encomio Invidiæ p. 5. ſeq. *Heiderus* Orat. de vulpeculis ſcholaſticis, p. 30. &c.

§. 2. Quemadmodum vero ejusmodi ſpecimina vel joci vel oſtendendi ingenii gratia ſuſcipiuntur; ita faciliorem merentur veniam aciſti, qui ſerio res turpes & noxias vel ob lucellum vel ob alia commendant: Hos inter refero, qui *lupanaria* Reipublicæ utilia exclamant, ne ſcilicet tententur matronæ ac virgines caſtæ, ne prolis multitudine ad paupertatem familiæ adigantur, & ſi quæ nuges ſint aliæ, uti fecerunt *Arnold. Clapmarius* Lib. 4. de arcanis Rerumpubl. c. 19. (a quo tamen Sagittarius in annotatt. ad h. l. §. 1. p. 242. opinionem hanc amovere conatur, eo quod dominationis Ariſtocraticæ, juræ lupanaria poſſe colorari tantummodo affirmarit) *Scipio Amiratus* Lib. 3. Diſſert. politicar. in Tacitum diſcurſu 2. &c. & eadem concedenda eſſe videntur affirmare quoque Thomas l. 2. qu. 101. art. 32. item 2. 2. qu. 10. art. 11. & *Petr. Gregorius Tholoſ.* Lib. 14. de Republ. cap. 1. n. 5. Sapiens ille *Cato* (ait *Steph. Curcellæus* de uſu ſanguin. cap. 10. p. 130. (hortabatur juvenes, ut *Lupanaria* adirent, quemadmodum legimus apud *Horatium. Diog. Laertius* in vita Ariſtippi Lib. 2. de vitis Philoſoph. fol. 50. de eo ait: Εἰσιὼν ποτε εἰς ἑταίρας οἰκίαν καὶ τῶν σὺν αὐτῷ μειρακίων τινὸς ἐρυθριάσαντος, οὐ τὸ εἰσελθεῖν, ἔφη χαλεπὸν ἀλλὰ τὸ μὴ δύνασθαι ἐξελθεῖν, i. e. Cum aliquando meretricis domum introiret, uno quodam eorum, qui ſecum erant

adolescentulo erubescente: Non est, inquit, introire difficile; sed exire non posse. *M. Augustus Muller* Disp. an lupanaria in Republ. sint toleranda §. 3. ait. *Ex veteribus vel unicum Valerium Maximum allegasse sufficiat, qui tamen morem seculi & gentis suæ observat adeoque vulgarem venerem turpem quidem sed vero permissam & licitam vocat Lib. 7. c. 3. & 7. Huc trahunt aliqui Augustinum Lib. 2. de Ordin. c. 4. sed quo jure quove respectu postmodum sumus visuri. Pontificii vero pro lupanaribus tanquam pro aris & focis pugnant teste Christoph. Prætorio Polit. Part. 2. c. 4. qu. 6. p. 234. & aliis quos in præsenti spacii lucrandi causa adducere non libet.* „ Idem ibid. paragr. 4. pergit: *Solon, unus e septem Græciæ sapientibus ut ab adulteriis cohiberetur juventus, coëmtas meretriculas Athenis prostituit primus, obviasque in venerem esse voluit, ne matronarum contagio polluerentur. Alex. ab Alexandro Lib. 4. Genial. Dier. c. 1. p. 176. a.*

§. 3. Quin imo in proclivi sunt varia exempla vetera & recentia. Apud gentes passim tolerabantur. *Balduinus* Cas. Conscient. Lib. 4. c. 12. Cas. 18. Ancon fuit locus Sardis voluptatum ministeriis paratus, in quo popinæ, scorta atque aliæ id genus deliciæ. *Athenæus* Lib. 2. Dipnosoph. Chinenses, ut castissimas suas uxores magis conservent illibatas, publica permittunt lupanaria, & ne probis scandalum præbeatur, ea aperiunt extra urbem vel in suburbiis, & ne in publicum prodeant cohibentur. *Joh. de Mendoza* de Chin. Lib. 3. c. 20. p. 152.

Olim

Olim in prædiis urbanis ſolebant eſſe, & quidem multorum honeſtorum etiam virorum in prædiis exercebantur. *Ulpianus* L. ancillarum 27. π. de Herpert (quod tamen merito improbat *Lanſius* orat. contra Ital. p. 833.) De variis vectigalibus Caligulæ inter alia *Suetonius* in ejus vita c. 40. ait: Ex gerulorum diurnis quæſtibus pars octava, ex capturis proſtitutarum, quantum quæque uno concubitu mereret; additumque ad caput legis, ut tenerentur publico & quæ meretricium & quæ lenocinium feciſſent; nec non & matrimonia obnoxia eſſent, & cap. 41. de eodem monſtro Caligula ait, quod lupanar in palatio conſtituerit &c. Vide omnino ad utrumque locum Commentaria *Caſauboni*, *Beroaldi*, *Grævii* & aliorum. Sub Severo Imperatore hujusmodi proſtibula ſicut & ipſi lenones ſolvebant vectigal a quæſtu meretricio, idque in ærarium referebatur ad refectionem publicorum ædificiorum, ut amphitheatri, circi, aliorumque, ut teſtis eſt *Clapmarius* Lib. 4. c. 19. Sic Caligula, & alii Imperatores quondam ac Pontifices Romani his e proſtibulis non parum annui cenſus colligebant, ut refert *Heiderus* in phil. polit. ſyſt. c. 6. p. 902. Quod tamen aliquando Anaſtaſius Imp. abrogavit, & Chryſargyrum tributum ignominioſum e meretricibus collectum ſuſtulit, teſte *Jo. de Busſieres* Floſcul. Hiſtor. Areola 12. p. 249. In Italicis civitatibus paſſim haberi publica Lupanaria ſcribit *Dav. Frœlich.* Viator. Part. 1. Lib. 3. p. 419. adeo ut publicis vectigalibus elocentur, unde Pontificis Rom. permiſſu aliquot millia meretri-

cum quæstum corpore faciunt, & Venetiis, Romæ alibique locorum hodienum lupanaria publice tolerantur. vid. *Mart. Chemnitius* Exam. Conc. Trident. Part. 3. *Lamb. Danæus* Lib.2. Ethices Christ. cap. 15. apud *Carpzovium* prax. Crimin. Part. 2. qu. 70. n. 10. maxime Romæ testibus *Schönborn.* Polit. Lib. 3. c. 13. *Balduino* l. a. Heidero l. c. p. 902. *Conr. Dieterico*, qui in Analysi Evangel. Dom. 2. post. Epiphan. p. 199. b. ait: Lupanaria Romæ in ipso Pontificis adspectu prostant, & certis vectigalibus, publico Pontificis ærario inferendis elocantur, quod tanquam minus malum majoris vitandi ergo Bellarminus probat Lib. 2. de amiss. grat. & statu peccati c. 18. §. Dicet &c. In Concilio Constantiensi Anno 1414. celebrato numeratæ sunt, referente *Munstero* Cosmograph. Lib. 3. c. 19. fol. 453. meretrices septingentæ; Dum Tridenti 1552. Concilium agebatur, conscripta sunt Romæ ultra 24. scortorum millia, quæ vectigal meretricium Pontifici solverunt. Sic A.C. 1620. Romæ numeratæ fuerunt 1402. meretrices publicæ; vid. apud *Limnæum* additt. ad Lib. 9. c. 1. n. 86. & Pontifex Rom. in fiscum suum annuatim ultra 3000. Coronatorum pro lactis censu, quem vulgo dicunt Milch-Zinse oder Huren-Zoll a Clero scortisque accipit, ceu ex *Joh. Gerhardo* in loco de Ecclesia p. 1190. seu operum Tom. V. p. 163. & *B. Meisnero* allegat *Carpz.* Prax. Crim. p. 2. qu. 70. n. 7. *Daniel Erasmi* in defensione Scholastico-Theologica veræ fidei Catholicæ p. K. 3. b. proponit hoc paradoxon Jesuiticum: Posse interdum consuli

pecca-

peccatum levius ut evitetur gravius; v. g. Reipublicæ gubernatores ad evitandum majus malum licite permittere in Republ. meretrices & lupanaria, quod practicatur Romæ adhuc hodie & olim agitatum Pragæ; ubi nunc per Dei gratiam nefas illud fuuditus fertur abrogatum. *Veneti (verba sunt Bapt, Egnatii Histor. lib. 6. c. 1.) e Germania olim quotannis certo stipendio meretriculas conducebant, quæ vulgi prostarent libidini, juxta carnificinam publicam, ubi D. Matthæi fanum est. Cæterum ea fuit Venetarum mulierum docilitas, ut Barbaris nunc non opus sit scortillis, quin re ipsa ostenderunt, sive copiam sive artem meretriciam spectes,* κρείττονας εἶναι διδασκάλων μαθητάς. Ibidem quoque *Signori de la Sanita* habent matriculam vel catalogum meretricum, vide apud *Limnæum* l. a. Quod etiam Neapoli, ubi ultra 50000. fieri dicitur, scortaque debent nomina sua profiteri, & certam pecuniam persolvere, *Limnæus* l. c. In urbe Parisiensi olim prostibula & lupanaria in ultimis partibus civitatis erant certis locis finita: hodie vero exinde contagio per omnia urbis viscera diffusa maxime referta est ejusmodi mercibus, ceu ex *Nic. a Salis* allegat *Speidelius* Observatt. fol. 714. Cracoviæ quoque haberi refert *Fibelich.* l. sup. cit. Nec Germania immunis ab eo cacoëthe fuit; Erfurti enim, teste Chronico Erfurtensi MSCto A. C. 1517. auf den Dienstag in der Creutzwoche brandte das Huren-Hauß abe, und stoben die Funcken so weit als Erfurt in alle Porten und Gassen der Stadt. Norimbergæ Anno demum

 1576.

1567. d. 21. Mart. lupanar aboletur teste *Jo. Schmid.* in diar. Histor. p. 126. Campegius Cardinalis dixit, se scire Germaniæ quorundam Episcoporum hunc esse morem, ut accepta pecunia scortationem suis permittant, apud *Job. Sleidan.* lib. 4. de statu Relig. p. 94. ad An. 1544. & quod magis est, *Henr. Corn. Agrippa*; de Vanit. scient. c. 63. ait. *Palam videmus ubicunque sunt Magnifica ista templa & sacerdotum monachorumque collegia, ut plurimum in proximo esse lupanaria; Quin & plurimæ monialium & vestalium ac Beguinarum domus privatæ quædam meretricularum fornices sunt, quas etiam Monachos & religiosos (ne diffametur eorum castitas) sub monachali nonnunquam cucullo ac virili veste in monasteriis aluisse scimus.* Plerumque autem sunt lupanaria in civitatis locis obscurissimis pone muros & balnea, scribente *Loticbio* Nott. ad Petron. p. 68.

§. 4. Verum quibus sanctiora sunt præcordia, ii maxime detestantur brutam hanc sorditudinem. *E Theologis* saltem præter *Biblia* & præcipue *Gentium Doctorem* nominamus *Lactantium* lib. 6. Institt. Divin. c. 23. *Augustinum* de Civit. DEI lib. 14. c. 18. & lib. 18. c. 21. *Tertullian.* lib. de anima, *Isidorum* lib. 18. c. 42. *Balduin.* Cas. Conscient. lib. 4. c. 12. cas. 18. *Job. Conr. Dannhauer.* Quæst. moral. (annex. Junii Quæst. Politt.) c. 2. qu. 6. §. 49. p. 555. inprimis autem c. 5. quæst. 6. p. 627. seq. *Adam. Conzen.* Pontificium, polit. lib. 3. c. 12. §. 14. p. 146. seq. *Heider.* Phil. Polit. Syst. c. 6. p. 903. *M. Aug. Muller.* disp. sæp. cit. & Wit-

teberg. d. 8. Oct. 1701. habita *D. Val. Alberti* in Quæſt. Polit. Quid. Reipubl. in caſu neceſſitatis liceat? Lipſ. 1669. §.62. p.269. ait: "Malum morale, quod permittitur in caſu extremæ neceſſitatis, ſemper minus debet eſſe eo revera ac certiſſime, quod alias evitari non poſſet. Ideo hic caute videndum eſt, an majus malum revera, permittendo minus, evitetur, & an nulla alia ſuppetat ratio ad id evitandum. Eleganter id declarari poteſt diſputatione *Navarri* Manual. cap. 17. n. 195. p. 404. adverſus lupanaria nonnullibi inter pontificios permiſſa: Per hæc enim 1) non evitatur malum, quia α) multi pueri incipiunt hac occaſione prius peccare, quam alioquin inciperent. β) Quod libido non exſtinguitur nec refrenatur, imo accenditur ejus uſu, addito malæ inclinationi ſenſualitatis habitu malo: quia duo vincula fortiora ſunt uno. γ) quod finis prætenſus, puta ne honeſtæ ſolicitentur, non attingitur. Viri enim prudentes ajunt, eos, qui ad illas ſolicitandas ſunt apti non adire meretrices; imo poſtquam male ſunt eis adſueti, tanto magis honeſtas ſolicitant, quo majori impetu naturæ & vitii feruntur. δ) Quod meretrices ipſæ, poſtquam deſinunt eſſe ad illud lucrum turpe aptæ, mille malorum inſtrumenta fiunt. Alias vero ſuppetere rationes, quibus mala evitari poſſint, adeoque 2) alterum requiſitum abeſſe probat a) quod caſtitatis habitu reſiſtendi illi malæ inclinationi refrænatur illa, non a lupanari b) quod mares majori ſunt vigore ad reſiſtendum libidini quam feminæ, & feminis nunquam

„hac permissione succurritur. c) Quod verum re„medium contra libidinem est ardens amor casti„tatis, vitatio ejus perdendæ occasionis, vigilantia „ad resistendum conjuncta cum abstinentia, sobrie„tate & labore assiduo, & super omnia gratia di„vina, quorum omnium contraria requirunt lupa„naria. Ex *JCtis & Politicis Klockium* de ærario lib. 2. c. 146. *Schönborn. Carpzov. Speidel. Danæum* ll. aa. *Kitzel.* synops. matrimon. c. 9. Theorem. 2. *Canon her.* lib. 2. discurs. ad Taciti Annal. *Bocer.* lib. 2. de illustr. statu & politia, cap. 4. p. 193. H. *Lather.* de censu lib. 2. c. 4. n. 34. *Liebenthal* Colleg. Polit. Exercit. 2. qu. 13. *Zepper* in Explanat. LL. Mosaic. lib. 4. c. 18. fol. 456. & præcipue Recessus Imperii Francofurt. de An. 1577. ac Ord. Polit. de Anno 1577. Tit. 26. An jus Civile lupanaria & meretricias conjunctiones permittat fuse deducit *Jac. Mæstertius* de justitia Legg. Rom. Lib. 2. Dubitat. 11. p. 233. seq. De Lupanaribus & vectigali meretricum vid. *Henelium* in otio Vratislav. c. 50. p. 432. Ut taceam multos Impp. e militibus suis lupanaria sustulisse, quorum vide exempla apud Zwinger. Theatr. vitæ hum. vol. 9. lib. 3. fol. 2272. b. seq. Sic Criminis læsæ Majestatis reus tempore Tiberii tenebatur, qui monetas ejus lupanaribus inferret, teste *Car. Patino* in Hist. Numismat. c. 3. p. 19. & c. 5. p. 29. ubi idem repetit & ex Seneca Tacitoque confirmat. Laudatur ergo, & merito quidem, (ait *Aug. Müller* disp. sæpius cit. §. 12.) Theodosius Imp. qui, teste *Socrate* Hist. Eccl. lib. 5. c. 18. cum locum

Deute-

Deuteron. XXIII. 17. legiſſet, jus divinum ſummam agendi regulam putavit, & lupanaria Romæ omnia ſuſtulit. Conf. de ſcortis, ſcortatoribus & eorum aſſeclis *Garzoni* Emporium Emporior. diſc. 13. fol. 252. ſeq. ex interpretatione *Nic. Billi*: cujus adde ad h. l. annotatt. p. 270. *Timplerus* Polit. lib. 4. c. 5. qv. 15. p. 374. ait: *Lupanaria ſunt ſpirituum immundorum templa, Sirenum antra, corruptelæ juventutis, cloacæ impudicitiæ, fœdarum voluptatum & libidinum ſentinæ, denique omnium vitiorum latibula.* *Preibiſius* Colleg. Polit. Diſp. 6. Part. poſter. theorem. 2. ex eoque *Aug. Muller* l. jam cit. §. 10. *Ut paucis multa complectar, Lupanaria omnis prutentiæ rationis & judicii in adoleſcentibus ſunt corruptio: Vita ac valetudine honore atque amicis perditis bonorum dilapidationi dant cauſam; juventutis corruptionem inferunt: mores Civitatis depravant, corpuſque miſerandum in modum torquent: cum talia ſcorta ex ſano inſanum, ex robuſto invalidum, ex ſolido erectoque corpore lecto affixum efficiant.*

§. 5. Reſtat ergo, ut & *Medici* ſuum addant ſymbolum; quorum vices vice hac nobis ſumſimus, donec meliora meliores. Antea vero quam id ipſum præſtemus, ipſum nomen ex philologorum monumentis (illa enim præterire mihi fere religio eſt) eruamus.

§. 6. Συνωνυμίαν præmittimus. *Lupanar Quintiliano* (quod *Calvino* in Lexic. Jurid. hac voce fol. 546. eſt locus in quo diverſantur meretrices, ſeu, ubi corpore quæſtum faciunt: vel ex *Balduino* eſt

locus publicus, ubi meretrices & prostibula corpore suo impune quæstum faciunt, aliis ut *Aug. Mullero* disp. cit. §. 2. est locus communis, ubi meretrices seu lupæ prostabant, ad quas exercendæ libidinis ergo cuivis impune aditus permittebatur.) Item *Lupanarium* L. 21. §. sed si in aliquem π. de recept. qui arb. & L. ancillarum 27. π. de Hered. pet. *Glossario* πορνεῖον, *fornix*, *ganeum*, *lupanarium*, *Onomastico Lupanar* Χαμαιτυπεῖον Lupanaris Χαμαιτυπικὸς, nempe adjective, sicut *Ambrosius* dixit *lupanare consortium* apud *Martin.* Lex. philol. Σεῖστρα quoque adpellata sunt lupanaria, quibus Romæ tempore Theodosii Imp. inclusæ adulteræ ad promiscuam scortationem cogebantur, pulsis tintinnabulis, ut ipsarum supplicium omnibus in proximo innotesceret, quod turpe pœnæ genus a Theodosio sublatum memorat *Socrates* Hist. Eccl. lib. 5. c. 18. ceu refert *Jac. Tollius* in nott. ad *Bened. Bacchini* dissert. de sistris p. 10. Dicebatur etiam *stabulum*, ceu *Jo. a Wovveren* ad Petron Satyr. c. 6. notat ex Plauti pæn. l. 2. 58. Imo *prostibulum* dicitur censentibus *Isidor.* Orig. lib. 18. c. 42. *Becmann.* de orig. L. Lat. p. 473. & *Martinio* in Lex. Phil. sed falluntur, cum ea vox ipsum scortum notet, ait *Calvinus* Lex. Jurid. l. c. *Summœnium* quoque vocabatur Romanis, quasi *submœnium*, quia fere sub mœnibus esset, inde sunt *summœnianæ* uxores apud Martial. Lib. 3. Epigr. 82. & lib. 12. Epigr. 32. quæ corpora sua prostituebant, scribente *Balduino* l. c. *Theatrum* audiat etiam juxta *Isidor.* & alii ex Martial lib. 1.

Epigr.

Epigr. 3. nituntur idem asserere. Verum aliter debemus interpretari. Conf. *Salmuth.* ad Panciroll. Tom. 1. tit. de Habit. Impp. pag. 421. Apud Græcos hæc loca varia sortiebantur nomina. Dicebantur *Caleria, Celostia, Casalvia, Casauria,* quia meretrices, quæ hæc loca inbitabant, dicebantur *Casalvæ & Casauræ, Casôrides & Casoritæ*, ut annotavit *Tiraquellus* ad c. 18. lib. 4. *Alex. ab Alexandro* Genial. Dier. & ex hoc *Balduinus.* Dicebantur etiam *meritoria*, ceu habent *Glossæ Isidori*, item *monumenta*, quia cameræ erant fornicesve apud *Casp. Barthium* Adversar. lib. 24. c. 13. item *Lustra* ceu *Non-Marcellus* c. 4. §. 272. probat ex *Plauti* Asin. & Casin. ex *Turpillio* in Lindia, ex *Afranio* in Privign. & ex *Ciceron.* Philipp. lib. 2. Habet quoque *Barthius* Advers. lib. 10. c. 2. quia in principio scorta in sylvis seu lustris, dein in urbes translatæ nomen obtinuere *speluncæ scortorum.* Item *Arcuata* videntur dicta; *Isidorus* enim lib. 10. lit. F. inquit: Sub arcuatis prosternebatur fornicatrix, quæ loca *fornices* dicuntur. Item *Cellæ*, ceu *Lotich.* in Nott. ad Petron. pag. 69. probat ex *Seneca, Juvenali,* Sat. 6. atque *Martiali.* Item *Cellulæ*, uti *Seneca* lib. 1. Controv. 2. & *Hieronymus* in Chron. Euseb.

§. 7. Dicitur autem *Lupanar* a *lupa*, quo nomine primo Faustuli uxor inter pastores ob corporis vulgati vilitatem veniebat, vide *Lactant.* lib. 1. Inst. Divin. cap. 20. & *Hieronym.* l. d. Notant deinde *lupæ* omnes eas, quæ quæstum corporis fœda voluptate faciunt, pluresque admittunt. Nolo tamen confirmare fabulam *Glossæ* in (Vidua 16. Dist. 34. ubi *meretrix* est, quæ 23000. vel quæ 40. (alii 60.) absque tamen mercede admisit, allegante *Wehnero* tit. Frauen und Jungfrauen fol. 125. eamque merito ridiculam & nugatoriam vocat *Salmuth.* l. a.

Re-

Rectius vero (ut obiter hoc addam) *meretrix* dicitur a merendo, juxta Laur. Vallam lib. 3. Elegant. cap. 10. quam secundum *Luc. de Penna*, quod *merendo teratur*, vel secundum *Alberic. de Rosate* in Dictionar. Juris lit. M. quasi *me retro trahens* a bono opere, seu virginitate vel castitate. Conferri merentur de ead. voce Jacob. Bonfrerii Commentaria in Deuteron. 23. 17. Non erit meretrix de filiabus Jsraël, nec scortator de filiis Jsraël, f. m. 1001. ubi & fol. seq. 1002. exponit tributum meretricium, & fol. 1003. meretrices idolis consecratas apud Ethnicos, & quæstum meretricium iisdem oblatum fuisse asserit. Alias *prosedæ* dicuntur ex *Plauto*. *Festus* pag. 383. *prostibulæ*, *prostibula*, *Alicariæ*, idem *Diobolares Lambin.* ad Plauti Poen. fol. 608. *Sellariæ* Wowerius ad Petron. cap. 6. quamvis alii malint *Cellariæ*, item *Nonariæ* apud *Persium* Sat. 1. v. 133. & ad h. l. *Foquelin.* pag. 49. Rationem quoque ex *Cornuto* reddit *Balth. Bonifacius* Hist. Ludicr. lib. 12. cap. 17. pag. 365.

§. 8. Fracto putamine liberius nucleo vescimur. Lupanaria certe improbantur & ex *Medicis* principiis. Lectu digna est admonitio medica de scortis fugiendis & malis inde provenientibus CLmi *Fabritii Hildani* Cent. 5. obs. 57. pag. 331. Cum enim in fœdissimo loco mares effœminentur, atque justo largiore seminis effusione remollescant, quid quæso de posteritate sperandum? Semen enim generosius generationique idoneum prodigialiter effunditur, sedatoque voluptatis impetu vel matrimonia non appetunt, vel sterilia demum colunt, conf. *Timæi a Guldenkle* Casus, & præcipue mares cito sterilescunt, vid. *Plutarch.* in vita Lycurgi, quia semen exhauritur *Galenus* Lib. 1. de semine, ut & feminæ, vid. *Tiraquell.* L. 15. Connubial.

§. 63.

§. 68. Huc refer omnino plura, quæ in hanc rem habet *Barthol. de Moor* in Cogitatt. de instaurat. Medic. Lib. 3. p. 282. seq. & p. 298. seq.

§. 9. Prodigiosa porro Seminis rejectio immensas corpori infert ægritudines. Sive enim illud secedat *ex toto corpore* (*Democrit. & Hippocr.* lib. περὶ γυνῆς ab initio, & *Ambros. Pareus*, qui Chirurg. Lib. 23. in præf. p. 661. ita infit.: „Seminis quidem multa portio a cerebro, ab universo tamen" corpore singulisque ejus tum solidis tum molli-" bus particulis ipsum totum deciduum est. Nisi" enim a toto corpore id totum deflueret, ex eo" omnes & singulæ fetus partes minime forma-" rentur: quandoquidem similia a similibus fiunt." Hinc est quod fetus non effigie modo & facie," sed & actuum conformatione partiumque inte-" riorum complexione & temperie parentes re-" fert; adeo ut morbi, translata hujus aut illius" visceris in prolem imbecilitate sæpe hæreditarii" fiant. Sunt tamen qui hanc seminis a toto cor-" pore decisionem non penes molem & materiam," ut quæ sanguinis totius defecta tantum quædam" portio sit, sed penes vim & formam intelligen-" dam putent, nempe a singulis tantum partibus spi-" ritus animales & naturales & vitales formationis" vitæ opifices idemque & vim formatricem in se-" men a testibus elaboratum defluere; argumento" esse, quod plerisque mutilis parentibus integri &" omnium partium numeris absoluti edantur fœ-" tus;) sive ex *cerebro* (Alcmæon) sive a *corpore" & anima* convellatur (*Epicurus*) seu a *spinali medulla* defluat (*Plato & Alcinog.*) de Doctr. Plat. cap. 17. Hinc *Galenus* Imperator in Epithalamio ait:

Ite agite, o juvenes, pariter sudate *medullæ* &c. vid. omnino *Eustath. Swartium* lib. 1. Analect. c.

11. pag

II. pag. 37. seq.) sive sit utilissimi *Sanguinis spuma* (*Pythagoras*) sive ultimi alimenti sanguinei excrementum (*Aristoteles* conf. *H. C. Agripp.* de Vanit. scient. cap. 82.) sive sit *sanguinis venosus* (*Galen.* lib. de semine cap. 2.) sive sit purior *sanguinis arteriosi* portiuncula (*Jo. van Horne* Micr. §. 66. & *Regn. de Graaf.* Tr de viror. organ. gen. pag. 74. item *Joseph. Geophilus* in novissima de caussis ac prognosticis pulsuum methodo pag. 57. & alibi) sive sit *ex venis & arteriis* simul (*Vesalius* lib. 5. de Fabr. Corp. hum. cap. 13.) sive sit mistura ac temperatura ab omnibus animæ facultatibus avulsa (*Zeno & Plutarch.* lib. de ira conducenda, citante *Rolfincio* Med. Comment. lib. 2. sect. 3. cap. 103.) sive e junctis sanguinis & spiritus animalis portionibus constet (CL. D. *Bruno* Fautor & amicus carissimus Dogm. Med. gen. pag. 61. *Wharton.* Adenograph. cap. 29. *Mœbius* ac *Jo. Theod. Schenck.*) sive ex *rore* (*Bilsius* in Respons. ad Epist. Tob. Andreæ pag. 8.) sive ex *sero* (*Barbat.* de Sangu. & Sero pag. 46. seq.) sive ex ipsis *spiritibus animalibus* (*Charleton.* Oecon. Animal. Exerc. 10. §. 8. *M. F. Hertod.* in Ann. 1. Eph. Nat. Cur. Germ. obs. 4. & *nos* in Sat. Med. 1. §. 6.) sive denique *succi nutritii*, quo corpus nostrum sustentatur, pars subtilissima ejusque quasi flos, (quod extra dubium statuit *Car. Am. Tornesi* Disp. Inaug: de Tabe dorsali, Jen. Præside Dn. D. Schelhammero habita §. 21.) ubique tamen illud ejectamentum nobilem corporis notat jacturam. Quare manifeste istos lascivos hircos videmus non solummodo pallere, vel ipso amorum magistro teste lib. 1. de Arte amandi circa fin. & *Aetio* Tetrab. 1. Serm. 3. cap. 8. sed & calore nimio ardere (amor enim igni solenniter Poëtis comparatur) inde *tabes & ariditas corporis, virium lapsus, elumbes incedunt, morbisque*

que calidis ex. gr. febribus, mania, phrenitide, pleuritide, peripneumonia, podagra &c. facillime sed gravissime corripiuntur. Rectissime ergo olim veteres Germani nostri, de quibus *Jul. Cæsar* lib. 6. de Bell. Gall. ita: Qui diutissime impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem; hoc *ali staturam, ali vires, NB. nervosque confirmari* putant. Intra annum vero 20. feminæ notitiam habuisse in turpissimis habent rebus. Sic & veteres legislatores statuerunt, ut mense Julio lupanar in urbe non exstaret, ne masculorum robur coitu per æstatis calorem plus justo enervaretur, teste *Casp. Reies* in Campo Elys. qu. 2. n. 1.

§. 10. Et qui posset aliter fieri? Ista prostibula cuivis voluptati patent, quemadmodum

Noctes atque dies patet atri janua Ditis.

Quare ex effervescentia illa humorum per amoris vagi & lascivi cestrum humores boni absumuntur, vitiosi augentur, aucti adtenuantur, adtenuati facilius inficiuntur, infecti evolant, evolantes apprehenduntur

- - sævamque exhalat opaca mephitim

Pellex - -

inficitque omnes, qui impuritatem impuritati commiscent, ut inde evadant impurissimi. Hocque in privato scorto sæpe contingit, nedum in publicis lupanaribus, ubi impune

- - - intra muros peccatur & extra.

Et cum isti, qui ejusmodi libidinosos congressus depereunt, sint maxime cholerici; spiritus, & consequenter semen igneam fovebit naturam, quod per varias impuras commistiones sordidiorem contrahit putrilaginem, ut dein ipsum scortum & scortatores coinquinentur, inficiendo semet ipsos, atque ita, ut in proverbio est, Turdus sibi ipsi cacet malum.

lum. Digni certe, qui hoc miserabili scortatorum flagello (ceu Luem Veneream appellitat *Forestus* lib. 32. schol. ad obs. 2.) egregie castigentur. Hæc etenim unice ex lupanari publico tetricam trahit originem, (si credimus, quæ refert idem Forestus l. a. Schol. ad obs. 1. fol. 65.) eo videlicet tempore, quo Carolus Rex Francorum expeditionem Italicam parabat, in Valentia Hispaniæ Tarraconensis urbe insigni cœpit, ubi Elephantiosus quidam ex Equestri ordine miles a nobili quodam scorto noctem 50. aureis emit, ad cujus mulieris concubitum frequens cum juventus accurreret, intra paucos dies supra 400. inficiebantur, e quorum numero aliqui Carolum Italiam petentem secuti hoc malum eo importarunt. Originem luis ejus ex abusu scortorum impurorum ob detestandos atq; a Deo vetitos concubitus immensamque pollutionem peculiariter traxisse, consentit Celeb. olim Vir, *Joh. Casp. Fausius* Antecessor meus in Disp. de Lue Venerea; ut alios complures taceam, qui de isto scripserunt morbo, quorum tantum *Lindenius* de Scriptis Medicis pag. 744. seq. ad 88. auctores numerat.

§. 12. Et ut per Satyram quasi aliquot commemorem affectus, (quis enim effabitur omnes?) qui maxime ex lupanaribus colliguntur, istos brevibus tangam, uberiorem tractationem reservaturus (si Deus vitam & vires) alii operi de scortis.

§. 13. Isti ergo cum basin nutritionis & ita vitæ in lupanaribus prodige profundant, quando semen, optimorum partium & spirituum sobolem, copiose rejiciunt, non possunt non vitam sibi decurtare, mortemque miseram accelerare, citoque senescere, ceu vel olim unanimiter statuerunt Aristoteles 7. Hist. Anim. cap. 1. & lib. de long. & brev. vitæ cap. 3. *Hali Rodoham* in 3. Technes Como 36. *Constant.*

lib.

lib. 22. Geopon. c.4. *Ibn-Ruschd.* in Canticis comm. 156. *Abubetri Rhazes* ad Al-manſor. lib. 4. cap. 17. *Arnold.* de *Villa nova* in ſpeculo, *Albertus M.* lib. 15. de Animal. Tr. 2. cap. 6. *Cœl. Rhodigin.* Lect. Antiq. lib. 20. cap. 34. *Valeſius de Taranta* lib. 6. philon. cap. 3. art. 7.

§. 14. Multo minus difficiles ſumus ad credendum eadem ſeminis prodigitate (ut Lucilii in Sat. 6. verbo utar,) vires peſſundari, prodigoſque fieri imbecilles ac languidos, & plane diſſolvi, ceu *Ariſtotel.* ſect. 4. probl. 6. & 22. atque *Corn. Celſus* lib. 1. cap. 1. edocent. *Adamus Contzen* Polit. lib. 3. cap. 12. §. 8. ex eoque *Aug. Muller* Diſp. ſup. cit. §. 10. ait: Pari ratione & corpus majorem in modum affligitur, & in libidines dilapſum vires ſuas amittit. Nam non eſt ille corporum vigor ac robur in perdita civitate, quod eſt in bene morata. Perſæ fortes & agreſtes vicere Babylonios viros, ut verbo dicam, meretricios: Perſas jam enervatos Macedonum ruſtica durities, illos Romani nondum vulgatis libidinibus imbecilles, hos Heruli, Gothi, Hunni, aliique Barbarorum, donec & illi fortioribus ſuccumberent. Lepidus huc quadrat jocus ille *Dominici Baudii* de Lagulejo quodam & juris perverſore Cent. 1. Epiſt. 13. pag. 32. qui ſic ſe habet:

Quidam puellis vixit aptus & virens
Regebat ætas, perlitavit Cypridi
Quantum pote, & væſaniente faſcino
Perambulavit omnium cubilia
Fallaciæ ſequeſter, & gurges ſtupri.
Nunc funerata parte, qua ſola virum
Seſe adprobabat, lectulo affixus miſer
Sub æſtuoſæ vapulat Pſoræ jugo,
Vivamque mortem, & mortuam vitam trahit,
Vivum cadaver ac ſuperſtes jam ſibi.

§. 15. Ob nutrimenti consumtionem defectum partes merito conqueruntur; hinc scortatoribus in ipso ætatis flore defluunt non solum capilli, sed & palpebrarum cilia (qui postremus affectus Græcis μαδάρωσις, μαδαρότης, ἢ μίλφωσις dicitur, teste *Jo. Gorræo* in Definitt. Medic. lit. M. & *Melch. Sebizio* Disp. 1. de pilis probl. 5. §. 3.) ceu confirmat *summus Aristotel.* lib. 3. Hist. Anim. cap. 11. & probl. 1. sect. 4,

§. 16. Ventriculi actiones depravantur, pereuntque tam appetitio quam concoctio. *Abuali Ibn-Tsina* lib 3. Fen. 13. Tr. 1. can. 36. *Galen.* in lib. 3. Epid. com. 1. atque *Aetius* Tetrab. 3. serm. 3. c. 34. ac *Thom. Bartholin.* Cent. 6. Hist. 94.

§. 17. Maxime autem cerebro infertur noxa *Galen. & Bartholin.* ll. aa. ut minus miremur, si ex profusa & maxime turpi venere videamus exoriri apoplexian (*Valer. Max.* lib. 9. c. 12. *Plin.* lib. 7. cap. 53 *Pontan.* lib. de Obedient. cap. 10. plura apud *Zwinger.* Theatr. Vit. hum. fol. 531. seq.) Epilepsiam, tremorem, memoriæ nisi plane defectum, tamen imbecillitatem, paralysin, maniam, phreniti- dem, & plurima alia mala. Graphice quædam eorum depingit Aug. Muller Disp. cit. §. 10. his verbis: Hem vero damnum illud flebile & detrimentum, quod cives ex lupanarium tolerantia accipiunt! Animus sede quasi sua pulsatur, ut testis est ille apud *Plautum* in Truc. *Nam mihi hæc meretrix, quæ hic habet phronesium suum nomen, omnem e pectore emovit meo phrenesim*; & robore suo amisso torpescit. Noverat hoc Cyrus, ideo pro pœna severissima, quæ rebellibus debetur, luxuriosam vitam imposuit Lydiis. Iis enim cum iterum rebellassent, verba sunt Justini lib. 1. cap. 7. arma & equi sunt ademti, jussique lenocinia exercere, & sic gens indu-

industria quondam potens & manu strenua, effœminata mollitie luxuriaque virtutem pristinam perdidit, & quos ante Cyrum invictos bella præstiterant, in luxuriam lapsos otium ac desidia superavit. In primis autem libidinis vitio hominum prudentia, sagacitas & cura futuri obtunditur, ait *Ad. Contzen* polit. lib. 3. v. 12. §. 6. pag. 44. Quæ una est res Reipubl. perniciosissima; Nihilque est tam mortiferum ingeniis, quam libido.

Nocet itidem *oculis* impurior iste concubitus, vid. *Aristotel.* de Gener. Anim. lib. 2. cap. 5. & *Manard.* lib. 6. Epist. 4. *Renibus* item, *Aristot.* lib. 4. probl. 2. *Capiti*, Oribas. lib. 1. Euporist. cap. 22. *Cordi*, *Hepati*, *Pulmoni*, &c. vid. *Tiraquell.* ad lib. 15. Conn. n. 43. seq. & *Thom. Bartholin.* Cent. 6. Hist. 49. In *Peste* lupanaria maxime nocent; hinc eadem removenda recte scripsit *Hieron. Mercurial.* de Peste c. 20 pag. 95. quem pluribus consule.

§. 19. Instar omnium vero recensebo notabile ex *Foresto* lib. 26. obs. 6. exemplum: Sartor quidam Delphensis 29. annor. procerus, niger & robustus neglecta uxore cum muliere alia infecta ex fœtida & vetita venere contraxit sibi in pene inflammationem; quod malum cum celabat, inflatione virgæ ac testium augescente atque dein Chirurgi alicujus imprudentia accedente, fiebat pejus, ut totum membrum virile intra triduum ad esthiomenum perveniret, appareretque nigrum, corruptum & quasi mortificatum atque fœtens. In gangrænam tandem transibat & per partes putrefiebat cum tanto fætore, ut nemo apud ipsum stare posset, & hoc in tam brevi spatio. Successerunt febris, inflammatio gutturis aphthæ, natium excoriatio, dolor ingens in lumbis, coxis ac femore, singultus per 7. dies atque molesta tussis. Tandem partes penis corruptæ ab

alio Chirurgo paulatim amputabantur: imo corruptione aucta tandem totum membrum virile cataplasmati adhærens excidit & ablatum fuit; putruitque scrotum, & quod penis adhuc super fuit, usque ad ventrem fuit radicitus resectum; remanentibus tamen testibus plane denudatis, qui tandem denuo nova carne accrescente iterum vestiti sunt, et idem supervixit, uxore priore mortua prurientibus testibus alteram duxit, inanis tamen in veneris arena athleta.

§. 20. Placet ex eodem Foresto lib. 26. obs. 20. hoc superaddere: Nobili Germano 29. annor. una nocte inter duas puellas lascivienti, cum se vino prius implevisset, & plusquam tredecim amplexus expertus esset, subito vena in pectore perrupta fuit. Unde febre ardente cum delirio intra 4. pluresve dies misere nullis remediis juvantibus, obit,

Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Conf. etiam Henr. ab Heer observ. 11 Nota sunt etiam Viri cujusdam illustris & πολιτικωτάτε Ministri Regii fata, qui Parisiis inter amplexus amasiæ animam reddidit, unde haud illepidum Poetæ cujusdam Epigramma, in prænomen cum Heroe Carthaginensi, commune alludens;

Per niveas equitans vetus & novus *Hannibal* Alpes

Ille oculum, hic animam perdidit inter opus.

§. 21. Adeo vera sunt CL. Schönborn. Lib. 3. Polit. c. 13. p. 262. verba dicentis: „Scorta ista & „lupanaria quid aliud in Rempublicam invehunt, „quam morbos publice & hæreditario grassantes? „Quid aliud faciunt, quam ut ex sano insanum, ex „robusto invalidum, ex solido erectoque corpore „lecto affixum perpetuisque doloribus arctatum efficiant?

ficiant?„ Nimirum qui ex lupanari *re infecta* domum redeunt, ceu jocatur *Owenus* in Epigr. 108. lib. 1. reliquos & ita totas familias itidem inficere poſſunt; quando vel eadem vaſe bibunt, vel in eadem cloaca deſident, vel in uno accubant lecto; imo mariti uxores, hæque illos, utriq; infantes, & ita porro.

§. 22. Quare cum *Cicerone* lib. 1. de Officiis p. 44. finiemus: Si conſiderare volumns, quæ ſit in natura excellentia & dignitas, intelligemus, quam ſit turpe, diffluere luxuria, & delicate ac molliter vivere; quamque honeſtum, parce, continenter, ſevere ſobrieque.

DE STUDIORUM NOXA DISSERTATIO.

B. C. D.

Quam vellem neſcire literas!

MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

ILLUSTRISSIMI, GENEROSISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI, NOBILISSIMI, ATQUE CELEBERRIMI VIRI,

NEC NON

LECTISSIMA STUDIOSORUM CORONA!

Q*Uam vellem iterum neſcire literas*, ſi tot vigiliis excrucier, tot laboribus exercear, tot ſuccumbam morbis, tot miſeriis exponar, tot ſumtibus conſumar, tot denique afficiar

calumniis injuriisque, ut inglorius ad umbras deſcendam. Apud alios

Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit:

Apud literatos

-- -- -- -- viret poſt funera virus,

& cui viventi nemo contradicere audebat, eidem mortuo, ceu leoni lepores, naſutuli quique inſultant petulantius. Apud vos, VIRI SUMMI, jam facio verba, utpote hujus rei Judices æquisſimos, quippe gnarisſimos. Nolo autem ab ovo, quod ajunt, incipere, puerorumque moleſtias in addiſcendis literis fuſius recenſere, refricareque plagas, quibus plagoſi haut raro Orbilii eosdem non caſtigant, ſed excarnificant, ut ſæpe tenerrima ingenia deſperent, generoſa vero omni reluctentur impetu, & ita vel per timorem, vel per furorem Muſis, earumque ingratiis, valedicant. Nolo meminiſſe periculorum, quæ eos a tergo in Academiis inſequuntur, ubi vel blandisſima Venus enervat, vel negligens Murcia torpere facit, vel Bacchus luxurioſus obruit, vel intempeſtiva Eris atque Mars truculentior aut in duellis aut in aliis latrociniis morti tum temporali tum æternæ iſtos mancipant, in ſui dedecus ſuorumque dolorem infandum. Solummodo hac vice, quod mei eſt muneris, conſiderabo, conſiderandumque Vobis propinabo, non eſſe unum, non duos, non decem morbos tantum, qui literatis inſidientur; ſed ſi dixero centum, ſi ſexcentos, ſi omnes dixero, minus exceſſero veritatis limites. Quod ergo tam pace, quam benevolentia veſtra fiat, Auditores Honoratisſimi, tanquam

quam in ſpeculo miſeriam literatorum morboſam exhibebo; demonſtraboque; *maximam eſſe ſtudiorum* (1) *noxam;* quæ non tam emaciando, quam plane abſumendo; non tam labefactando, quam funditus deſtruendo corpus vitamque noſtram adterit, imo conterit atque peſſumdat. Hoc autem fiat ſub auſpiciis cœleſtis animarum noſtrarum Archiatri!

Medici antiqui Artis noſtræ Conditores ſapientisſimi admodum bene, admodum vere in ſanguine animalis vitam conſiſtere arbitrati ſunt, quos felicius ſequuntur interpretanturque recentiores. Sanguis etenim a primordio inſitus per nova alimenta ore aſſumta in ventriculo concocta, ſeparata in inteſtinis, & ſpecie chyli per venas lacteas ad cavam venam delata, ſanguinique venoſo ob perennem circulationem a partibus verſus cor redeunti admiſta, inibi beneficio pulſus ita incorporantur, &, ut cum Plautina loquar Muſa, incordiantur; ut calore, ζυμώσει, miſtione, motu atque repetita coctione naturam ſanguinis plane induant, & ita ceu novus ſanguis per arterias promiſcue ad omnes partes propellantur, qui, cum aliquoties cordis repetat focum, perfectior fieri nunquam non poteſt atque ſpiritibus locupletior. Hinc & novo apud Medicos venit nomine, vocaturque Spiritus Vitalis; hic vero nihil aliud eſt, quam ſanguis ſubtilisſimus, atque quantum fieri potuit, enucleate elaboratus. Ille cum promiſcue e ſiniſtro cordis thalamo egrediatur in arteriam magnam; mira tamen Naturæ prudentisſimæ Providentia fie-

ri arbitror, ut subtiliores sanguinis partes spiritusque propter sevitatem, magis superiora, & ita caput petant, ibique tam pro artificiosa brachiorum manuumque motione, quam pro sensuum externorum simul atque internorum ministerio in cerebri substantia segregentur, parumper alterentur, adque nervos protrusi spirituum animalium nomen induant. Horum usus, ceu dixi, est facere ad sensus & motum; perque nervos, qui ad omnes corporis propagantur partes, cum abeant, eadem præstant officia; dein resolvuntur, inque liquorem abeunt aqueum, quem moderni vocant lympham. Hæc vero intra peculiaria, lymphatica ob hoc dicta, vasa recepta redit versus corporis centrum, sanguinique in corde denuo commistus æternam quasi molitur circulationem, & ita uterque humor

-- -- -- -- redit actus in orbem
Atque in se sua per vestigia volvitur!

Audivistis itaque, VIRI MAXIMI, quis naturæ sit motus, quis ordo, quod partium nutrimentum, quæ constitutio, unde eædem moveantur, unde sensus tum internos tum externos participent? Hæc omnia vel singula si lædantur, labem aliquam subponunt, qua posita actio vel cessat plane, vel saltem labefactatur. Cum vero Literati a teneris *vitam vivant sedentariam* (2) sanguis vero capiat vitium, sicut

-- -- -- ni moveantur aquæ:

Rursus cum iidem studiis, lucubrationibus vigiliisque atque multis cogitationibus plurimum spirituum animalium absumant, qui dein in dictam

lympham

lympham ſeu aquam reſolvantur: non erit mirum, ſi maſſa ſanguinea primo vitalibus, dein animalibus privetur ſpiritibus. Defectum iſtum ſpirituum neceſſario inſequitur lymphæ copia, quæ ſi reliquo accedat ſanguini jam dum valde pauperi atque conſumto, eundem facit *catarrhis* (3.) ichoribusque abundantisſimum, nutritioni functionibusque reliquis ineptum, ut taceam dein ceſſare vel ad minimum tardiorem fieri aut depravatam χυλοποίησιν, & ita in herba quaſi perire corporis actionumque noſtrarum integritatem atque refectionem. Inde infauſto ſidere largiſſima meſſis omnium pæne morborum propullulat, quia totius ſanitatis fundamentum evertitur, alimentumque depravatur. Hinc & partium tenor, robur, uſus, & ut paucis multa; omnia *vel imminuuntur* (4) vel depravantur, vel ceſſant plane. *Adeo nocent ſtudia!* Quare non mirum (ad ſpecialia enim deveniamus) ſi adſit ſalivæ copia, vel deterior conſtitutio, unde ſapor e rebus minus recte extrahitur, vel ea deficiente & ad alia forte loca abrepta maſticatio atque deglutitio fiat difficilior, appetitus languidior ab obtuſa videlicet fermenti ventriculi aciditate; *concoctio ob eandem cauſam tardior,* (5) cruditatum moles, *ventriculi* (6) *gravitas atque imbecillitas*, flatuum copia, inde *colicæ frequentes*, (7) rugitus, murmura, ructus, hique ſæpe auſteri, ventris tormina, *hypochondriorum diſtenſiones atque inflationes* (8) chyli jam ob vitioſam coctionem depravati tardior diſtributio, *& ob tenacitatem ſive viſciditatem* (9.) venarum la-

ctearum obſtructio, unde lienteriæ, diarrhœæ, *dyſenteriæ* (10.) Dein *ſanguini* (11.) denegatur ſufficiens alimentum, *partes contabeſcunt* (12.) nutricio cum calore vitali imminuitur, unde languor, laſſitudo, faſtidiumque varium, *& ante tempus canities.* (13.) *Adeo nocent ſtudia!* Eſto vero chylus ille craſſior diſtribuatur, perveniatque ad cor, vitium tamen primæ concoctionis vix corrigetur in ſecunda, minus in tertia, Quare crudior, craſſior, magisque feculentus ſanguis ad partes ubi pervenit, ſive exeundo in arteriis, ſive redeundo in venis minimis faciles parat atque patrat obſtructiones; inde dolores varii, *capitis* (14.) dentium aliarumque partium, nutritio impedita, tabitudo, maximusque mali (15.) *monſtroſi atque πολυμόρφȣ dicti hypochondriaci atque ſcorbutici* fomes. Ut ſilentii peplo involvam alias meſenterii, pancreatis, folliculi fellis, (unde icterus) hepatis *lienis* (16.) (unde ſcirrhi) renum & veſicæ (unde *calculi*) (17.) cæterarumque partium obſtructiones: Inde calor quaſi reverberatur, uti Chimici loqui amant, fiuntque *ſubitanei calores.* (18.) Calore inſuper p. n. aucto non poſſunt non exoriri *variæ febres* (19.) hecticæ, tertianæ atque ardentes; cordis palpitationes & anxietates. *Adeo nocent ſtudia!* Pariter craſſior & feculentior illa materia a calore excoquitur, unde varii vatiis in partibus calculi, item tophi *doloresque* (20.) *in pedibus*, manibus, genubus atque coxendicibus, fiuntque literati mancipia podagræ, chiragræ, gonagræ atque iſchiadis. (21.) *Feces quoque alvi ex-*

ſiccantur,

ſiccantur, inde ejus conſtipatio, vel difficilis ſaltim ſolutio. Nec minus inflammationes & turbationes naſcuntur in variis corporis partibus, ut in capite ejusque partibus, e. gr. (22.) *phrenitis* (23.) *melancholia*, mania, *vertigo*, (24.) noctambulatio *agrypnia* (25.) eryſipelata, (26.) inſomnia horrenda, pavores: *In collo angina*, (27.) linguæ aſperitas: in ventriculo ſitis immodica; in thorace pleuritis, *peripnevmonia hæmoptoë* (28.) & quæ ſæpiſſima eſt, phthiſis pulmonumque exulceratio, hancque preſſo pede ſequens *tabes atque atrophia.* (29.) *Adeo nocent ſtudia! Si vero ſpiritus animales* (30.) *copioſius abſumantur, oritur oblivio* (31.) atque memoriæ deperditio, cui ſi feſtinanter ac imprudentius calefacientibus, ut herba Theæ, Chocolata, fumo Tabaci, pulvere Trithemii &c. occurrunt, (32.) *incurrunt in deliria, veternum* (33.) rabiem & alia pejora mala. Largior etiam ex abſumtis ſpiritibus oritur lymphæ proventus, quod cum in lucubrationibus maxime contingat, jam manifeſte videmus, cur literatis plerumque in virili ætate conſtitutis *pedes tumeant*, (34.) adeo ut ſæpe impreſſi digiti veſtigium commonſtrent, qui tumores frequentiſſimi atque infelices ſunt prodromi infelicioris hydropis tum aſcitis tum tympanitis, tum leucophlegmatiæ, inde radix omnium malorum nempe cacochymia, ejusque filia matre longe pejor (35.) *cachexia.* Quare jam reddimus facilius cauſas, cur literati, niſi ſteriles plane ſint, tamen liberos minus vivaces minusque ingenioſos generent. Reddimus eadem

facili-

facilitate *causas scabiei* (35.) narium hæmorrhagiæ, lassitudinis spontaneæ, *difficilis* (37.) *respirationis, tussis*, (38.) *catharrhorum* (39.) *Paralysis* (40.) salivationis nimiæ; frequentis sudoris, *apoplexiæ*, (41.) Hemiplexiæ & intertum epilepsiæ; (42.) *oculorum item* (43.) *imbecillitatis* (44.) gravitatisque auditus: Item cur frequenter literati vel palleant (45.) vel flaveant. *Adeo nocent studia!* Rursus (46.) *vita ista sedentaria*, quietisque experte humores non recte ventilantur, quia corpus rite non movetur; vasa comprimuntur, ut circulatio fiat inæqualis & tardior. Quin imo, dum proni libris inhiant, consuetudinem istam sibi contrahunt, ut dein incurvi cervici (liceat uti Pacuviano) incedant, gibberosi tardioresque ac plerumque meditabundi & quasi aliena agentes, adeo ut ubi sint, non sint; & ubi non sint, sæpe sint.

Imo - - - -
non mihi si linguæ centum sint, oraq; centum
ferrea vox - - - - - - - -

possim satis expedire multitudinem & gravitatem tot tantorumque morborum; quos demum sæpe cita, sæpe infelix excipit

- - - (47) mors ultima linea rerum!

Adeo nocent studia!

Audivistis, arbitror, AUDITORES, ad nauseam usque insigni cum cordolio, egoque ad usque ravim dixi, *quantum nocent studia!* Audivistis, inquam, miseriam literatorum, & nobile studiorum damnum noxamque insignem, quæ corpus misellum exagitat excruciatque. Verum enim vero alius

alius adhuc, & quidem nobilior, in caduca morbosi corporis casula diversatur hospes, *Animus videlicet noster.* (48.)

Ignenus est olli vigor & cœlestis origo, longeque est nobilior tuguriolo hoc, quod circumferimus: istud enim pulvis est, & in pulverem revertitur; Scio vero

-- -- -- illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris
Succos, adscribi quietis
Ordinibus - - DEORUM

Et ceu heliotropium ad solem, ita hic ad DEum obvertitur. Illo dendit (sunt verba sapientissimi Senecæ) originis suæ memor. Nemo improbe eo conatur adscendere, unde descenderat. Quid est autem cur non existimes in eo divini aliquid exsistere, qui DEI pars est? Totum hoc, quo continemur, & unum est, & DEus, & socii ejus sumus & membra. Animus ergo in hisce nostris terris magis magisque est excolendus præparandusque conversationi spirituum sanctiorum in cœlis. Sicuti lana, priusquam ultimum illum & optimum colorem combibat, succis quibusdam aliis præparanda & imbuenda est: Sic animus virtutum & literarum bonarum purpura in his terris serio est tingendus. Fateor quidem, insitam esse nobis corporis nostri caritatem. Fateor nos ejus gerere tutelam: nec nego indulgendum illi: verum serviendum nego. Multis enim serviet, qui corpori servit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert.

Hone-

Honeſtum ei vile eſt, cui corpus nimis carum! Peſſumdent, eſto, ſtudia vires! conſumant lucubrationes ſanguineum vitæ nectar!

Adtenuent juvenum vigilatæ corpora noctes! Attamen ſingulatim corpori quod decedit, id centies, id millies animo ejusque æternæ laudabiliter *adcreſcit gloriæ.* (49.) Quod & brobe penſitarunt Clariſſimi atque Præcellentiſſimi hi tres Viri-Juvenes, Medicinæ Candidati dignisſimi, quos mera ſors citra ullum tum eruditionis tum dignitatis ita collocavit præjudicium.

Horum primus Dn. *Joh. Valent. Schadius*, naſcebatur Homburgi Haſſorum, Patre Viro Spectatiſſimo atque Integerrimo Dn. *Valent. Schadio*, Senatore ibidem prudentiſſimo. In ſchola patria & gymnaſio Hirſchfeldenſi poſtquam adolevit, ſalutavit altiores Muſas, nempe: Marpurgenſes, Argentoratenſes atque Baſileenſes; ibi ſtrenue Arti noſtræ navavit operam, diſputandoque publice egregium ſe præſtitit. Noſtrarum vero Palatinarum Muſarum amore cum flagraret, nuper ad nos devenit, ſtudiorumque pretium petiit, atque dignisſime jam obtinebit.

Secundus eſt Dn. *Joh. Doleus*, hic naſcebatur in Haſſia, Patre Viro Spectatiſſimo atque integerrimo Dn. *Joh. Doleo*, h. t. Senatore atque Pharmacopœo Franckenthalenſi meritiſſimo. Poſt ſcholas patrias ad noſtram hanc conceſſit, hicque publice diſputavit. Dein ſeceesſit Sedanum, Pariſios, Londinum ac Lugdunum Batavorum. Tandem huc reverſus reverenter examini ſe ſubmiſit,

optime iſtud ſuſtinuit, jamque exſpectat condignum meritis præmium.

Tertius eſt Dn. *Nicol. Caſp. Elwerthus*, qui natus eſt Werthemii Francorum, Patre Reverendo atque Clariſſimo Dn. *Joh. Philip. Elvverth*, h.t. Superintendente ac Paſtore Idſteinenſi. Poſt trivialia ſtudia ſe contulit ad majora in celeberrimis Academiis Marpurgenſi, Gieſſenſi, Archipalatina atque Argentoratenſi: e qua iterum ad nos reverſus ſatisfecit examinatoribus & jam tantis laboribus condigna brabeia petit.

Ne vero cuipiam in re, utut ſatis manifeſta, ſuperſit dubium, ſpeciminis loco unus inſtar omnium in reſolvenda quæſtione fidem abundanter faciet.

Tu ergo Clariſſime *Domine Candidate Joh. Valentine Schadi*, reſponde apta brevitate ſuper hoc ζητηματίῳ: *Utrum mulieres poſſint citius curari, quam Viri?*

RESOLUTIO PROBLEMATIS.

Pro negativa reſpondebunt quicunque ſexum noſtrum ob varias excellentias digniorem ſive nobiliorem; muliebrem vero ignobiliorem aut ſequiorem efferunt. Viros enim calidum innatum habere fortius, partes ſolidiores, actiones præſtantiores, generoſiores ſpiritus; nec affectibus animi effeminata impotentia adeo ſubjectos eſſe, quis eſt qui non reputet? Verum affirmativa multis paraſangis mihi videtur veritati propior eſſe. Ut enim taceam in multis, quæ modo de viris prædicabantur, adhuc peti principium: Unicum & quidem

ſingu

ſingulare a natura ſexui feminino conceſſum privilegium atque beneficium conſideremus menſtruam nimirum ſanguinis per naturalia purgationem. Hæc enim nihil aliud eſt, quam naturalis quædam ſanguinis ſingulis menſibus facta fermentatio; qua purum ab impuro ſequeſtratur & ſuperfluum a neceſſario. Et quemadmodum ſubpreſſo fluxu plurima promanant mala; ita eodem libero ab iis non ſolum ſunt immunes; ſed etiam alia plura antevertunt mala. Imo, quicquid natura extraordinarie & in viris critice molitur in graviſſimis morbis per varias hæmorrhagias ex naribus, hæmorrhoidibus &c. id benigniſſime hic præſtat in mulieribus, & quidem ordinarie natura; ut adeo credam Mulieres citius curari, quam Viros.

Doctiſſima hæc analyſis cum reliquis meritis egregiis in cauſa ſunt, quod me jam convertam ad Magnificum Academiæ noſtræ Procancellarium, TE nimirum VIR Nobiliſſime atque Conſultiſſime *Domine Georgi Gisberte* Glöckner, J.U.D. ac Inſtitut. Imperial. P. P. celeberrime; teque nomine Collegii noſtri Medici atque præſentium *Dnn. Candidatorum* obnixe rogitem, ut pro illa TIBI conceſſa poteſtate mihi h. t. rite deſignato honorum ac præmiorum diribitori facias jam copiam; quo petiti honores hiſce Candidatis a me conferri poſſint. Quod ſi fecerit tua magnificentia, non ſolum illos æterna ſibi devinciet obſervantia, ſed & noſtrum Collegium experietur gratiſſimum.

PRO-

PROCANCELLARIUS
respondet:

Vir Nobilisſime, Medice Experientisſime, Collega Honoratisſime,

SI ſacris in certaminibus, decertantibus ac pugnantibus Athletis, ſuique corporis vires teſtantibus, Coronæ Sacræ ſemper propoſitæ, & more pene triumphantium a ſuis popularibus victores admisſi, excepti, privilegiisque variis donati fuerint. Quanto dignius & æquius eſt, Athletas Medicinæ, hoc eſt, ejus Artis, quæ ad ſanitatem cujusvis conſervandam tradita eſt divinitus, ſolita corona, privilegiis legitimis publice donari. Quocirca cum præſentes tres Candidati ingenuis Bonarum Literarum Studiis ab ineunte ætate addicti, ſtrenuam in arte Medica, per aliquot annos in celebrioribus quibusdam Academiis operam navaſſent, eamque ſibi Medicinæ cognitionem indefeſſo ſtudio, & labore comparaſſent, quæ publico aliquo majori Elogio, & corona literaria cohoneſtanda videretur, illique ordini Medicorum amplisſimo, in examinibus tam publicis, quam privatis, tales ſeſe præbuerint, in quos ſummi Artis Medicæ honores optimo jure, meritoque conferrentur, aſſenſum quoque meum in conferendis dictis præmiis lubens libensque adhibebo. Nomine igitur & authoritate Generoſisſimi atque admodum Reverendi Viri, Domini *Johannis Reichardi de Franckenſtein,* Eccleſiæ Cathedralis Wormatienſis Præpoſiti, adeoque pro conſuetudine inveterata, inclytæ hujus Academiæ Cancellarii dignisſimi, vigore

ſubdelegationis ac poteſtatis in me legitime translatæ, non ſolum Clariſſ. Dnn. Candidatis, Honores, quos prætendunt, & optime merentur, petendi, verum etiam Ampliſſimæ Facultati Medicæ, inprimis vero Tibi, Vir Nobiliſſime & Experientiſſime, Collega honoratiſſime, promotor ad hunc actum rite deſignate, ſummos honores Doctorales Dnn. Candidatis, more ſtyloque ſolitis, cum omnibus annexis Juribus, privilegiis, & immunitatibus conferendi, præſtito tamen prius Licentiandorum juramento, a Conſult. Viro, Acad. noſtræ Syndico prælegendo, licentiam atque poteſtatem tribuo; atque elargior ampliſſimam.

Faxit DEus T. O. M. ut quæcunque hodie in hoc virtutis & gloriæ Theatro peraguntur, cedant ad divini Nominis gloriam, Reipublicæ Chriſtianæ commodum, Patriæ ſplendorem, ac Dnn. Candidatorum proprium honorem, atque diuturnum emolumentum.

Quoniam vero tempeſtive monuit Magnificus *Dn. Procancellarius*, ut juramento Candidati adſtringerentur, & vero abſens *Dn. Candidatus Elvvertus* idem jam dum præſtiterit propridie in Senatu Academico: Quare Tu, Conſultiſſime *Dn. Syndice*, formulam juramenti hic loci receptam inque ſtatutis propoſitam, præſentibus hiſce 2. Candidatis prælegas, qua audita & intellecta fidem ſuam obſtringant.

JURAMENTUM.

Quapropter præſtito jam Juramento in Nomine Sacro-ſanctæ atque individuæ Trinitatis *Vobis* tam præſen-

præſentibus quam abſenti jam honores Doctorales atque Licentiatus dignitatem pleniſſime offero, cum omnibus juribus, privilegiis atque immunitatibus, quibus alii legitime promoti Licentiati utuntur, fruuntur ac gaudent, aut uti, frui atque gaudere poſſunt; ſimulque Vobis facio liberum, utrum etiam velitis in Doctores promoveri; quod ſi vobis commodum hoc videbitur, ſtatim & eosdem Vobis ſum collaturus honores,

PETITIO DOCTORATUS fiebat a Candidato Dolæo.

Quare quod Archiater animæ velit eſſe felix fauſtum Eccleſiæ Reique publ. tum Civili tum Literariæ ſalutare auctoritate *Invictiſſimornm atque Sereniſſimorum Dnn. Ruperti Senioris, Junioris ac Præjunioris*, Comitum Palatinorum ad Rhenum Ducum *Bavariæ* &c. &c. Hujusque poſtremo nominati Regis Romanorum glorioſiſſimi, Academiæ hujus noſtræ Fundatorum pientiſſimorum, beatiſſimæ memoriæ Principum; nec non *Sereniſſimi atque potentiſſimi Principis* ac Domini Dn. Caroli Ludovici, Comitis Palatini ad Rhenum, S. R. I. Architheſaurarii atque Electoris, Ducis Bavariæ &c. &c. Univerſitatis avitæ reſtauratoris æternum laudandi, Domini & Patroni noſtri clementiſſimi &c. Suffragante Magnifico Domino Procancellario, Ego *Georgius Francus*, Med. D. ejusque P. P. Ordin. atque Facultatis Medicæ Decanus; inſuper ad hunc actum rite deſignatus Promotor, Vos tres Medicinæ Licentiatos, & quidem Te Dn. *Joh. Valent. Schadium*, Homburgo Haſſum, *Te Dn. Johannem Dolæum*, Francothalio-Palatinum, Celſiſſimorum Principum Naſſovienſium Medicum atque Phyſicum Limburgenſium Ordin.

Te Dn. *Nicolaum Casparum Elwerthum*, Werthemio Francum; Moguntino - Starkenbergensem Physicum atque Poliatrum Ord. in Heppenheim & Bensheim &c. præsentes ut absentem, & absentem ut præsentes, omnes ac singulos Veræ ac Sacræ Medicinæ *Doctores* creo, creatos renuncio, renunciatos proclamo, & proclamatos ab omnibus pro talibus haberi volo, jubeo, mando; Vobisque Medicinæ docendæ atque exercendæ potestatem una cum privilegiis, immunitatibus atque insignibus, quæ aliis rite promotis etiam conceduntur, tribuo amplissimam: hocque in nomine sacrosanctæ Trinitatis, Patris, Filii atque Spiritus Sancti, Amen.

Quoniam vero pia ac sapientissima Antiquitas quasdam & valde præclaras ejusmodi actibus adhibuit *sollemnitates atque ceremonias.* (50.) nec easdem omittere aut debemus aut volumus. Quare vos, Ministri Academiæ ducite eos ad me in superiorem hanc cathedram, ut ceremonias istas explicare valeam & adhibere.

Salvete Nobilissimi atque Clarissimi *Dnn. Doctores*, primus enim ego Vos hoc nomine primum jure compello. Quare *Salvete* iterum. In cathedram superiorem Vos deducere jussi; hæc commonefaciat Vos Vestri nominis atq; muneris ne nomine tantum, sed & re sitis Doctores, Artemque nostram vestra extendatis diligentia.

Librum porro Vobis offero, eumque apertum, ut sciatis multum restare operæ, majoresque nostros nobis non tam inventa, quam invenienda reliquisse; ut sciatis, inquam, nunquem sufficere nostram eruditionem, sed semper aliquid posse accedere. Quare scrutamini!

Dein eundem librum Vobis quoque claudo; hocque partim facio, ne ullius addicti juretis in verba

Ma-

Magiſtri, ſed experientiæ rationem, rationique jungatis experientiam; partim ne plane libris immoriamini immoreminique, ſed, durabiles ſitis, atque alterna requie fruamini.

Pileum Vobis impono, pileus inæſtimabilis libertatis inſigne; ad pileum vos voco, h. e. in libertatem laudabilem vos immitto: Nec enim, cui mens ſana, credet Medicos, quales Vos jam creavi, fuiſſe unquam ſervos, aut eſſe hodienum; utut variis caritatis aliisque officiis obviam eant hominibus. Pileus quoque eſt holoſericus, cujus pretioſitas veſtram egregie arguit dignitatem.

Annulum Vobis offero ob varias caſſas. Eſt annulus honoris, qui olim ſolum equitibus competebat: Eſt annulus fidei, eo etenim Vobis jam deſponſatis ſponſam nobiliſſimam, Medicinam puto, inque thalamum veſtrum introducitis. Annulus eſt aureus: aurum metallorum princeps, eruitur ex mineris, non quidem omnibus, ſed rariſſimis, iisque profundiſſimis, Ita ſcientia Medica eſt aurea atque excellens, eruitur e profundis variarum rerum fundamentis atque experientiis; nec ubique invenitur, niſi cui cœlitus virgula animi acutioris divinatoria contingat. Rotundus eſt annulus; rotunditas eſt figurarum perfectiſſima; perfectionem ergo in Medico notat, notatque forte ſanguinis circulum, qui baſis eſt omnis doctrinæ Medicæ.

Oſculum hoc Vobis figo nomine veſtræ Sponſæ Medicinæ, quæ vos neogamos ita excipit. Vobis figo quoque nomine noſtri oſculum, ut jam amorem noſtrum ſinceriorem percipiatis, jamque ſciatit vos in noſtrum eſſe cooptatos numerum.

Ultimo quod Vobis debeam votum, cum chartæ dederim, eo jam provoco, ne tam illuſtre ulterius de-

tineam Auditorium, neve sim in πολυτελέςατον ἀνάλωμα nempe tempus; injurius. Quare colophonem addes Nobiliss. *D. D. Dolæe* gratiasque ages iis omnibus, quorum clementia, gratia atque beneficio profecistis.

SENECA Epist. XCII.

INvenitur qui dicat, sapientem corpore parum prospero usum, nec miserum esse nec beatum. Hoc quoque fallitur: exæquat enim fortuita virtutibus & tantundem tribuit honestis, quantum honestate carentibus. Quid autem fœdius, quid indignius, quam comparare veneranda contemtis? Veneranda enim sunt, Fides, Justitia, Fortitudo, Prudentia. E contrario vilia sunt; quæ sæpe contingunt pleniora vilissimis, crus solidum, & lacertus, & dentes, & horum sanitas firmitasque.

NOTÆ IN ORAT. DE STUDIORUM NOXA.

1. MAXIMAM ESSE STUDIORUM NOXAM] Clamant id tot tantaque sapientissimorum omnis generis Virorum monita & exempla, imo integra ea de re evulgata volumina. Nos ex tam uberrima messe succinctum tantummodo heic Lectori dabimus spicilegium. De literatorum conservanda valetudine præstat libellus non ineptus *Guilielmi Grataroli* Bergomatis; quod in opusculis ejus Coloniæ per Petrum Horst impressis anno 1571. in 8vo pag. 751. seqq. habetur. Noxam autem studiorum inprimis perstrinxerunt *Theoph. Spizelius* Theologus Augustanus Celeberr. in Dissertat. præliminari de prima infelicitatis literariæ origine, præmissa libro de vitiis literatorum, (ubi & nostram hanc laudavit opellam) Nobiliss. Archiater Hassiacus, & Prof. Med. Marpurgens. *Jo. Jac. Waldschmid* in Disp. de opii & opia-

opiatorum usu, (ubi pag. 16. inprimis fusius de morbis literatorum agit, nec hujus nostræ Dissertationis immemor, ex eoque multa repetit *Jo. Alb. Bræmel.* Disp. Inaug de Symbolo Pythagoræ: Fabis abstinetò; Erfurti 1694. habita cap. 3. § 5. pag. 24. *Anton.* item *Itterus* Clariss. & optime meritus senex Ethices suæ lib. 3. cap. 3. pag. 158. qui & præter *Spizelium*, *Neuhusiique* Theatr. Ingen hum. lib. 1. cap. 11. ac *Dan. Georg. Morhofii* Dissertationem de Intemperantia in studiis & eruditorum, qui ex ea oriuntur, morbis, hujus nostri meminit cum elogio libelli, quod & fecere Dn. D. *Christ. Franc. Paullini* in Epist. ad *Jo. Helfr. Jungken.* ejus Lex. Chym. Pharmaceut. præfixa, *Henr. Casp. Abelius* im wohlerfahrnen Leib Medico der Studenten, Lipſ. 1720. 8. & *Wilh. Huld. Waldschmid* Prof. Med. Kilon. CL. in Diss. de illo Plinii: *Est aliquis morbus per sapientiam mori.* *Bern. Ramazzinus* de morbis artificum cap. ult. 43. pag. 308. inquit: Literarum cultura licet uberem opum & gloriæ messem reddat, tribulos quoque ac improbam malorum segetem suis cultoribus non raro progerminat. Literati ergo homines, qui, ut ait *Ficinus* de Studio Valet. tuend. cap. 3. quantum mente & cerebro negotiosi sunt, tantum corpore otiosi sunt, omnes fere vitæ sedentariæ incommoda, demtis Medicis Clinicis, subeunt. Nihil notius, quam hominem sedendo sapientem fieri; tota ergo die ac nocte sedentes inter litterarum oblectamenta corporis damna non sentiunt, donec non intellectæ morborum causæ obrepentes eos lectis affixerint. Jam superius innuimus, quas noxas inferat sellularia vita, quare circa id non ultra immorabor. Vitæ quoque statariæ incommoda non raro experiuntur literarum professores, multos enim ex iis passim visere est, qui, ut sedentariæ vitæ, quæ tam male audit, evitent damna, in contraria currunt, dum ad multas horas ac totos fere dies stant erecti, libros evolvendo, quod non minus, imo forsan magis noxium, quam si ad opus suum sedendo incumberent.

„rent. Lectu inprimis digna est Dissertatio *Cœlii Caluguini*, quod Studia sint moderanda fol. 316. Operum suorum & seqq. *Jo. Henrnius* in modo & ratione studendi Art. Med. cap. 7. pag. 175. b. inquit: Nimiis studiorum laboribus defessa ingenia corruunt, pondere molestiarum oppressa. Plantæ sane modicis rigatæ aquis surgunt, quum multis tabescant; ita animus mediocri vegetatur labore, nimio opprimitur. Hoc solum (scribit ad Aemil. Perrottum *Petrus Bunellus* Tolosus Epist. 9. p. m. 44.) peto, ne tantus studiorum ardor animum occupet tuum, ut interim valetudinem non cures, qua scil. amissa amplissimi fructus industriæ ingeniique tui in discrimen venient. Eleganter *Franc. Sanchez.* Tr. quod nihil scitur, p. m. 129. de juvene studioso ita differit: Hic quidem etsi optime constitutus perfecta fruatur sanitate, statim marcescet; consumtisque studendo corporis viribus, pluribus conflictabitur morbis „aut morbosis affectionibus, *gravedine, destillatione,* „*arthritide, ventriculi imbecillitate, unde cruditates,* „*dejecta appetentia, lienteria, obstructiones, præcipue* „*lienis. Quid non patitur, qui studiis incumbit? Moritur* intempestive tandem. Hæc autem mentem per„turbant, affecta ejus præcipua sede, *cerebro* scil. sive id „per se primario, sive ab alio accidat; quod etsi his omni„bus liberum demus juvenem nostrum, tamen *Melan*„*cholicus* tandem fiet, quod quotidiana ostendit experi„entia. *Maturinus Simonius* JCtus in libello de litteris pereuntibus p. m. 183. infit: Ob studia litterarum & „lectionem assiduam oriuntur *pallor faciei, oculorum* „*lippitudo, pituita, raucedo,* & pag. 144. seq. ait: Nec „enim Herillum philosophum audio, qui summum bo„num in literis constituebat, existimabatque, eas suffice„re ad bene beateque vivendum, quod non crediderim, „atque illud minus, quod nonnulli alii etiam affirma„runt, virtutum omnium fontem scientiam esse, ut vi„tiorum esset ignorantia. Quod si verum est, longa & „accurata interpretatione indigere videtur. Ut enim

sunt

sunt, quibus non minus excusanda avaritia, quam am-" bitio videtur, nec minus fugiendus dolor quam infa-" mia, sic reperias multos, qui non magis scientiam expe-" tendam putent, quam sanitatem, nec magis nobilitatem" quam divitias. Unde sequitur, *indifferentes esse lite-" ras, & tantum nocere, quantum juvare posse.* *Petrus Victorius* lib. 3. Epist. 1. ad Jo. Caselium pag. 105. scribit: Recordor superioris tui morbi gravissimi, sententiæque Medicorum, qui pæne tibi omni genere studiorum interdixerant, unde nascerentur *incommoda non parva.* Jo. Caselius ipse Epist. 11. ad fratrem suum Samuelem p. m. 188. ait: Amabo te, vide valetudinem tuam ut tuearis quantum potes; quod consequeris, si & corpus exercebis, & tibi a studiis magis, quam soles, temperabis: Etsi enim neque ego neque quisqvam, qui eas recte degustaverit, literis exsatiari potest; tamen nostræ naturæ, in qua aliquid mente hæret debilius, moderari nos recte, æquum est; prorsusque nobis præstandum, ne ignobiliorem nostri partem, tanquam minime nostram sed alienam, deseramus; sed potius ut hoc animi nostri domicilium, veluti probi ædiles, huic a natura rerum præfecti, sartum tectumque perpetuo tueamur. Similiter *Erasmus Roterodamus* Part. 1. Epistolar. brevior. Petro Ægidio suadet, ut a studio vehementi sibi temperet; & ib. Gonellum suum his verbis alloquitur: Clementem summæ spei juvenem meis verbis admonebis, ut ab intempestivo studio temperet. Memini quam ille sit libro affixus, præsertim ut a nocturna scriptione, quoad licet, abstineat, & si forsan ob Cardinalis negotia cogetur scribere, stans & erectus scribere assuescat. Nolim hoc ingenium ante diem perire, malimque servari studiis quam Cardinalitiis negotiis impendi. *Bassianus Landus* in Iatrologia inter morborum causas merito & studia refert, hinc p. m. 47. Bonfadius quærit: *quid studia*? cui Cassius respondet: Quid rogas? quasi nescias, omnes studiosos ferme esse *Cacostomachos*, & *morbis pituitosis* ac *melancholicis* obnoxios; atque alios diversis negotii

occupatos & artibus deditos, varia perpeti incommoda. *Barthol. de Moor* Cogitationum de Instauratione Medicinæ lib 3. p. m. 254. ait: Vitam sedentariam agunt tum alii tum etiam inprimis viri quidam literati chartis impallescentes disciplina, uti animo præcipue necessaria, sic corpori inimica est. *Celsus* in Præfat. Vita sedentaria duplici ratione considerari potest, vel quatenus magnam spirituum vim jugi illa meditatione consumit, vel quatenus corpus necessario exercitio privat. *Gesnerus* apud *Stuckium* Antiquitt. Convival. lib. 3. c. 2. Studiosi non egent copioso alimento, neque id vincere & concoquere possunt, cum ventriculus eis non æque ut laborantibus caleat, ideoque copia alimenti vel ab iis non coquitur, vel non recte, vel nimis tarde, ἀπεψίαν, δυσπεψίαν & βραδυπεψίαν vocant. *Barthol. Nasser* im Klaghause Conc. Fun 2. pag. 114. Denn ob wohl die studirende Personen nicht so grosse äusserliche Arbeit haben, ja nicht so Blattern in den Händen überkommen, wie die Bauren, Holtzhauer und Kärchelzieher, jedoch so gehen sie nicht müßig, oder im Wohlleben daher, sondern sie arbeiten indessen mit ihrem Verstand und Kopff, welches dann viel grössere Arbeit ist, dann die andere Hand Arbeit; wie denn gelehrte Leute gemeiniglich ehe müssen das Leben beschliessen, als andere arbeitsame Leute. Exempla quod attinet, ex eorum farragine heic paucula dabimus, inferius quoque nonnulla addituri. *Joh. Heermann.* in Præf. Postillæ suæ: Ach solte diß nicht eine Arbeit seyn und heissen, welches dem, der es mit Ernst treibet, die Kräffte schwächet, Hauptschwindel und allerley Leibes Beschwerlichkeit erreget, ja wohl bißweilen mitten im Werck das Leben schnell dahin nimmt. Viel predigen macht den Leib müde, Eccles. XII. 12. sagt Salomo. Solches hat wohl erfahren Timotheus der Bischoff zu Epheso; Denn weil er ihm seiner anvertrauten Kirch-Kinder Heyl und Seeligkeit ließ höchst angelegen seyn, und fleißig studirte, bekam er einen schwachen Magen, der ihm viel Be-

schwehrung gemacht und verursachet hat 1 Tim. V. 23. daher ihm auch St. Paulus den Rath ertheilet, er solte nicht mehr Wasser trincken, sondern ein wenig Weins brauchen umb des Magens willen, und daß er offt franck sey. St. Johañes der Evangelist, da er sich in seinem Ambte müde gearbeitet u. abgemattet hatte, ist zu Epheso in d. Kirche vor der gantzẽ Gemeine an einẽ linden u. sanften Schlaffe gestorbẽ. Luth. Euseb. in all. l. 3. c. 31. χρυσάνθιος Philosoph9 tempore Jul. Imp. claruit. Hic octogenario major propria manu tantum librorum exaravit, quantum alii vix juventa florentes legunt. Quo factum, ut extremi digitorum articuli ob juge & indefessum studium curvati contractique fuerint. vid. *Eunapius* de vitis Philosophor. pag. 144. ex eoque *G. M. Kœnig* in Biblioth. fol. 189. b. *Franc. Contarenus* M. Antonii filius varios ex studiorum intemperantia morbos contraxit, unde ipse ad Nicol. Erythræum, (ceu hic refert in Epist Dedicat. Virgilii sui pag. 14. seq.) aliquando hæc perscripsit: Evicisti profecto (mihi crede) evicisti magnam operis partem tot fidelissimis indicibus comparatis, si bene tui consilii particeps sum, quem socium ac ministrum haberes, ni dolor hic pedum atque manuum, denique totius corporis me perpetuo male haberet. *Casaubonus* Vir CLmus cum ex pertinacissimo labore in morbum incidisset, Salmasius, ut se de valetudine ejus quam maxime solicitum testaretur, ita ad eum scripsit: Duco Te loco fratris, ætate antecedo ego, tu aliis dotibus, quæ mirificam tui exspectationem mihi pridem commoverunt: Tantum moderare ingenio, & serva te in hac juventa, ut majorennis ea præstare possis, quæ exigi, nisi a te non possunt; vid. *Ant. Clementius* de laudibus & vita Salmasii pag. 11. qui pag. 24. seq. addit, eundem *Salmasium* Heidelbergæ a nimiis studiis in plus quam annuum incidisse morbum. De *Paulo Merulà* in ejus vita, præfixa tractatui de Comitiis Romanor. scribit Jo. Boschius ita: In Professione Historiarum exactis 15. annis cum neglecta valetudine studia nimis attente tra-

tractaret, fractis corporis viribus, dum restaurare eas parat, uxore comite iter Rostochium versus capessit, amicos & affines illic salutaturus. Illic bimestri elapso firmata nonnihil valetudine, dum redire cogitat, morbo impeditus acuto sanguinis atræque bilis vomitu & dejectionibus spontaneis cum febre continua denascitur d. 19. Julii 1607. cum vixisset 49. annis, & *M. Zeier. Bokhorn.* in Descript. urbis Dordracenæ pag. 115. ait; Merulam Rostochii ardentissima febri ex hac statione emigrasse. *Dan. Georg. Morhofius* in Oratt. suis num. 69. de *Matthia Wasmuthio*, Th. D. & Prof. Kil. pag. 868. ait: Morbus ipsum diuturnus a bona & per totam vitam commoda valetudine invasit, cui ille assiduis laboribus, nullo plane recreationis intervallo intercisis forte jam a multis annis fomitem subministraverat. Ita scil. res sunt comparatæ illorum, quibus hoc vitæ genus vel ratio vel sors objecit, ut tacita quadam & suavi αὐτοχειρίᾳ se ipsos conficiant. Nam dum nimiis meditationibus a corporis ministerio avocant spiritus, dum immoderata discendi cupido coquit versatque pectus, singuli de natura illorum dies & horæ aliquid limant & decerpunt. *Idem* ibid. num. 72. pag. 892. de *M. Dan. Hasenmullero* Græcæ & Oriental. Ling. Prof. Kilon. scribit: Sed, quod commune literatorum fatum est, ex ipsa illa studiorum suorum assiduitate immaturam sibi mortem acceleravit, aliisque lucendo lucernæ instar consumtus est. Fit enim plerunque, ut sedendo, meditando, scribendo vires omnes a corpore ad animum evocemus, ac nudum omnium morborum petitionibus latus ostendamus, qui eo majori agmine in ipsam vitæ arcem incurrunt, vel sensim & non animadversi per cuniculos irrepunt. Ita regnare intra viscera nostra hostem potentissimum tandem sentimus, ubi excubitores isti spiritus intra revocati portas illi apertas reliquerint. Quemadmodum scilicet, qui nisu suo non obluctatur, torrente tandem abripitur, & ferrum sibi relictum rubigine exiguo tempore conficitur, quod in omnes partes motu continuo versatum

tum

tum cum levi suarum partium jactura vel integra secula vicerit: Ita corpora nostra per quietem illam præsidiis suis nudata exanimari sensim & fatiscere incipiunt, cum spiritus illi nostri quotidiano quasi in secessu vivunt, & suas sibi res relicto corporis ministerio habere videntur. Conf. omnino *Rolfinc.* Med Comment. lib. 2. sect. 3. cap. 3. & casum illum de Nobili quodam vita solitaria & solicita cum summa ingenii intentione & lassitudine curis, lucubrationibus continuis &c. in melancholiam hypochondriacam, atram bilem Hippocr. & splenis tumorem incidente, apud Balth. Brunnerum Consil Med. 11. pag. 76. seq. Hinc *Ren. Moreau* dedicationem Scholæ Salernitanæ a se editæ Paris. 1672. ita orditur, Cardinalem de Richelieu alloquens: Sic est natura comparatum, ut sublimia & erecta ingenia corpus invalidum & infirmum, crassa & obtusa sanum & robustum nanciscantur. *Herodico* apud *Platonem* Dial. 3. de Republ. vis animi eximia; valetudo corporis parum firma fuit: *Polydoro* apud *Ælian.* Var. Hist. lib. 13. cap. 15. mens hebes ac tarda cutis ipsa corporis ἀδιακύνιστος. Id ipsum non dissimulavit αὐτόπτιστος Ecclesiastes c. 7. verbis plane aureis insinuans, καρδίαν σοφῶν ἐν οἴκῳ πένθους καὶ καρδίαν ἀφρόνων ἐν οἴκῳ εὐφροσύνης. Ut enim rara est teste Juven. Sat. 20. conjunctio formæ atque pudicitia, rara, ut Ovid. Metam. 1. concordia majestatis & amoris, sic minus frequens est conjugium mentis sanæ cum corpore sano, quod in valido pinguique corpore mentis fulgor hebetetur, & dum emicare gestit, offusa mole dissiliat. Fere adversa valetudo studiosis omnibus & cupidis literarum cedit tam in prædam, quam in infamiam.

2. VITAM VIVANT SEDENTARIAM] Legi, quia causas reddidere, debent *Barthol. de Moor*, cujus verba jam dedimus Nota I. & *Bern. Ramazzinus* de Morbis artificum, integro cap. 33. quo de sedentariis artificibus ac illorum morbis scripsit pag. 236. seq. quorsum & ipse amandat c. ult. 43. p. 308.

3. CA-

3. CATARRHIS ICHORIBUSQUE] Lucubrationes intempestivæ catarrhos causari testatur *Henr. Warenius* in Nosolog. Hermet. & Galen. Disp. 8. §. 11. pag. 81. *Petr. Victorius* lib. 1. Epist. 1. ad Germanos pag. 15. seq. ait: Quod præterea me rogas, ut significem tibi, an aliquid commenter ac scribam, accuratas declarationes in libellum Demetrii περὶ ἑρμηνείας prope jam absolutas & confectas habeo, nonnullaque itidem hujuscemodi institui atque inchoavi, quæ cum per valetudinem licebit persicientur. Neque enim ita firmum corpus & ab omni tentatione vacuum habeo, ut superioribus annis habere consuevi. Diuturna enim vehementique *destillatione* laboro, quæ præcipue mihi molesta est, quod impedit veterem meæ vitæ rationem, nec me sinit, qua conficior, legendi scribendique sitim explere.

4. VEL IMMINUUNTUR] Exemplo est Justus Feuerborn, Theologus Giessens. CL. de quo *Theoph. Spizelius* in Templo Honor. in ejus vita pag. 215. ita: Quum vero a supremo tandem Rectore in cœlestem evocaretur academiam, morem impigre gessit, & maxima cum animi voluptate beatæ emigrationis nuncium excepit. Morbus is erat viris *senio & laboribus* confectis communis, *maxima virium organorumque corporeorum debilitas*, quam cum indies ingravescere noster deprehenderet, ad spiritualia sese recepit alexipharmaca, & suavissimos de εὐθανασίᾳ contulit sermones, quæ ipsi anno 1656. obtigit, postquam 69. in hac miseriarum valle transegisset.

5. CONCOCTIO OB EANDEM CAUSAM TARDIOR] *Henr. Warenius* in Nosologia Hermet. Galen. Disp. 14. §. 14. pag. 142. de vitiis concoctionis ventriculi ait: Nec parum momenti hic vitæ ratio habet, sub qua Venus pleno ventre, motus immoderatus, vigiliæ nimiæ, curæ, *studia*, balnea immoderata, & alia comprehenduntur, quorum pleraque a *Galeno* recensentur ll. aa. & lib. 3. Epidem. quoque Comm. 3. §. 3. *Gesnerus* apud *Stuckium* Antiquitt. Convival. lib. 3. cap. 2. Studiosi

non

non egent copioso alimento, neque id vincere & concoquere possunt, cum ventriculus eis non æque ut laborantibus caleat.&c. vid. supra Not. I. Mœbius Instit. Med. lib. 2 Part. 3. cap 5. pag. 178. inquit: In somnio cum coctio ciborum fiat laudabilior, immoderatæ vigiliæ non possunt non concoctionem chyli lædere, inprimis ii, qui *lucubrationes* amant, easque diutius continuant, imbecilliorem reddunt ventriculum; item *Joh. Matthesius* Conc. 15. vom Ehestand und Hauswesen pag. 8. 6. Groß Studiren und schwehre Amts-Sorge erregen böse Feuchtigkeit im Magen. Prævotius quoque de Medic. pauperum p. m. 866. asserit, a studiis post cibum caput repleri.

6. Ventriculi gravitas atque imbecillitas] *Jac. Aug. Thuanus* Hist. Lib. 9. ad A. C. 1551. fol. 177. b. de M. Ant. Flaminio scribit: Divinam psalmorum Davidicorum majestatem primus inter suos cum aliqua laude Latinis versibus expresssit, majora utique præstiturus nisi *infirmitas stomachi* & alia valetudinis incommoda *studiosis familiaria* eum retardassent, ac postremo non ita ætate provectum proripuissent eo tempore inter eos, qui ementationi Ecclesiæ incumbi consultum ducebant. *Timothei* exemplum jam sup. Nota 1. expressimus, de quo & Hartm. Creidius Postillæ im 3ten Jahrgang P. 3. festo S. Andreæ Apost. p. 6. De *Peirescio Gassendus* in ejus vita lib. 1. p. 8. seq. Humaniora studia ut a fratre excolerentur tanquam magister attendebat; sed ad ista nempe ut sufficeret, studere solebat in plurimam noctem. Evenit proinde, ut partim ex nativa constitutione, partim ex assiduo labore prolixisque vigiliis *debilitatem stomachi* ante contractam adauxerit, pulveremque ideo usurpaverit, quem literis ad patrem datis appellitavit digestivum. *Bern. Ramazzinus* de mortis artificum c. ult. 43. p. 309. ait: In universum porro literati omnes stomachi imbecillitate laborare solent. *At imbecilles stomacho, quo in numero magna pars urbanorum omnesque pene*

literarum

literarum cupidi &c. ajebat *Celsus* lib 1. cap. 2. de re Med. Nullus enim fere est, qui serie literarum studio det operam, ac de stomachi languore non conqueratur; dum enim cerebrum concoquit ea, quæ sciendi libido & literarum orexis ingerit, non nisi male potest concoquere ventriculus ea, quæ fuerint ingesta, alimenta, distractis nempe spiritibus animalibus, & circa intellectuale opus occupatis, vel iisdem spiritibus non adeo pleno influxu, uti opus esset, ad stomachum delatis propter fibrarum nervearum ac totius nervosi systematis in altioribus studiis validam contentionem. Quantum enim ad viscerum omnium naturales functiones rite obeundas conferat, si non succi nervei, de quo adhuc non satis constat, saltem spirituum animalium influxus ex partium paralysi laborantium contabescentia liquet, quamvis enim ob perennem arteriosi sanguinis affluxum vitali succo fruantur, attamen humore illo seu quidquid sit illud, & per nervos ad eas defertur, orbatæ, gracilescunt. Hinc ergo cruditates, flatuum ingens copia, corporis totius pallor & macies partibus geniali succo defraudatis, summatim, omnia damna, quæ cacochylian consequuntur, ortum ducunt. Sic Studiosi paulatim, licet Joviali temperamento præditi, Saturnini ac Melancholici fiunt, sic dici solet melancholicos esse ingeniosos, at forte aptius, ingeniosos fieri melancholicos, spirituosiori nempe sanguinis parte circa mentis opera absumta, magis vero feculenta ac terrestri intus relicta. *Joh. Franc. Branchaleo* in Dialogo de Balneis pag. A. 2. b. seq recenset statum morbi Martini a Portugallia, Regis Lusitanorum nepotis & apud Pontificem Legati, ac tandem hæc subjungit: Comperio denique Dominum genituræ Jovem: Hisce sic vestigatis atque in unum reductis ideam temperatissimi corporis Galenicam illam Polydeti statuam inter Lusitanos (qui principium incolunt quinti climatis) formo animo, ad hanc proxime accedere descriptam temperiem video, labi pauxillum ad calidam & humi-

humidam, accidenter tamen & (ut *Galenus* ait) natura acquisita ad phlegmaticam. Quem enim hisce scopulis non illiderent nocturna diurnaque studia, perpetuæ cogitationes abditarum literarum & præcipue reconditæ ac mysticæ Theologiæ, cui se ab ineunte ætate emancipavit? Etenim quemadmodum umbra corpus, lux solem, sic litteratos veros ventriculi imbecillitas, capitis fluores, pituita, atraque bilis comitantur. Proinde podagra atque calculo (ægrum) annis superioribus laborasse (domestici) commemorabant. Confer & exemplum *Primigenis Mitylenæi* apud *Galenum* lib. 5. de tuend. sanit.

7. COLICÆ FREQUENTES] Exemplo sit D. *Joh. Winckelmannus*, de quo *Theoph. Spizelius* in Templo Honor. in vita ejus p. 90. Ex copia biliosorum ac pituitosorum humorum primo maximis torminibus colicis misere vexatus, febre insuper tertiana dejectus tandem concidit, & reclinato capite animam anno ætatis 76. Christi 1627. DEO O. M. beatissime promtissimeque reddidit Pro-Rector Universit. Helmstad. in programm. funebri. Corn. Mich. Mohrmanni J. U. Studiosi 24. annor. denati 1657. m. Januar. hæc refert: Studia adeo sedulo heic persecutus est, ut non contentus diurnis horis bonam partem noctis iis impenderit, statim etiam a sumto cibo ad libros redierit, non sine valetudinis detrimento. Enim vero contraxerat aliquam seri acrimoniam, quæ cutim ab aliquo jam tempore infestabat: qua tamen adeo non movebatur, ut a lucubrationibus suis nihil remitteret; præsertim cum medicamentorum usu multum levaretur; donec decimo octavo Januarii die Colici dolores accederent, qui sequenti etiam die tanta incrementa sumserunt, ut majus malum præsagiens sacra Cœna sese communiret. Quamvis vero dolores etiam illi sopiti essent, adeo ut 20mo die ad studia sua reverti postridie sibi proposuisset, supervenerunt tamen post vesperam humoribus in cerebrum raptis ea symptomata, quæ media vicesimum pri-

mum inter & secundum diem nocte naturæ cedere eum coegerunt.

8. HYPOCHONDRIORUM DISTENSIONES ATQUE INFLATIONES] De hoc malo vid. nonnulla infra sub Nota 15.

9. OB TENACITATEM SIVE VISCIDITATEM LACTEARUM] Huc refer omnino morbum summi Viri Justi Lipsii, qui recensetur apud *Melch. Adamium* in vita Joh. Heurnii p. 372. quem, si placet, evolve.

10. DYSENTERIÆ] De dysenteria in viro literato vid *Lotichii* observatt. lib. 4. fol. 418 apud *Scheff.r.* in Moronum p. 112. b. *Caspar Hofmannus*, dum Ephorum ageret juvenis cujusdam in Academia Altorfina, hoc sibi curæ esse maximæ duxit, ut industriæ exemplo præfulgens ad officium invitaret clientem, adeo ut nulla habita valetudinis ratione immoderatius studiis incumbendo epidemiam incurreret dysenteriam. vid. Volumen Oratt. Altorfin. Orat. 5. p. m. 36.

11. DEIN SANGUINI] Ad nimiam Meditationem sæpe excitatur *pulsus* non-naturalis frequentior ob patratum erratum in rebus non-naturalibus dictis, sed ad tempus saltem existit. vid. *Franc. de le Boe Sylv.* disp. 9. de Febribus. Hinc *Franc. Curcellius* Lib. de vera mittendi sanguinis ratione Sect. 3. cap. 2. pag. 100. ait: Solum mittere sanguinem literatis, qui eo abundant, debemus, debilioribus vero & cacochymis mariscas tantum irritare.

12. PARTES CONTABESCUNT] De *Cantero Justus Lipsius* Cent. 1. select. Epist. 1. ita: Canterum nostrum audio & doleo in lento esse morbo. Quid autem? Tabes ea est & marcor? an quis alius languor? De illa visus mihi dicere Medicus Gemma; sed causa morbi quæ? Studia an curæ?

Τίκτουσι γάρ τοι καὶ νόσους δυσθυμίαι ait Tragicus, i. e. Morbos enim & producere curæ solent.

De *studiis* magis credo, quæ calide ille nimis habuit & intente. Nunquam vidi tam indefessum ingenium

genium & laboris hujus musici magis appetens aut ferens, semper ille in libris, chartis, noctu, diu, assiduus, accubans; nec dies solum omnes appensi & numerati ad hanc curam, sed horæ quas singulas ad clepsydram dividere & atribuere ille solitus huic lectioni aut huic scriptioni. De *Plinio* suo scribit & jactat alter *Plinius* lib. 3. Epist. 5. Atqui torpor ille hominis & desidia mea, si cum hac assiduitate comparetur. Idem *Lipsius de Seneca* in ejus vita cap. 9. Cæterum corpore sicco & exhausto ad extremum fuit, quid mirum, vel a morbis vel magis a studiis? *Chærephon* Tragœdiarum scriptor Heraclidarum res prosecutus est; quoniam autem nocturnis lucubrationibus erat majorem in modum extenuatus confectusque macilentiæ & palloris nomine taxatus est, ut de macilento pallidoque diceretur vulgo: Nihil differs a Chærephonte. *Erasmus* ex *Suida* apud *Zwinger.* in Theatro Vitæ hum. Vol 1. lib. 3. fol. 260. b. *Johannes Mercerus* corpore fuit gracili & a studiorum laboribus macilento, uti ait Scævola Sammarthanus in Elogiis pag. 84. Hinc gracilem corporis constitutionem & attenuationem studentibus tribuit *Job. Geophilus* in lib. 3. Galeni de caus. pulsuum & præsagiis c. 12. p. 197.

13. ET ANTE TEMPUS CANICIES] Canities ante tempus oritur iis qui nimis studiis se macerant, curisque vexantur, ait *Melch. Sebizius* Spec. Max. Part. 2. Sect. 1. cap. 3. p. 233. *Josephus Geophilus* in novissima de causis ac prognosticis pulsuum methodo, postquam de canitie tam in genere quam subitanea ex terrore mœrore &c. disseruerat, p. 43. addit: Ex dictis demum manifeste constat, juvenes studiis, vigiliis, laboribus & curis maximis implicatos canos evasisse ante naturalem terminum, cur? Quia labores & animi perturbationes, ut inquit *Aristoteles* lib. 2. de Anim. potentiæ quanto magis altiores, eo magis potentiores: & alteratio in hoc casu nil aliud est nisi sanguinis motus in

motu mutatio, ut videbimus per singula capita in lib.4 de præsagiis ex pulsibus.

14 DOLORES VARII CAPITIS] De *Peirescio Gassendus* in ejus vita pag. 8. Eam ob rem (studium perpetuum & assiduum) certe aversabatur & ludos & spectacula, ut legendo excerpendo singularia quoque incumberet totus; immoderatius tamen, ut puto; relaxandus enim animus per vices, nec statim a pastu contendenda mens; quod cum studiorum ipsius moderatores non satis caverent, effectum est, ut stomatho Capiteque doluerit non semel. *Rolfincius* Metp. Med. L. 2. Sect. 2. Art. 1. Part. 1. cap. 29. p. 104 ait: Ut moderatus animi cultus & cogitationum contentio modica alternæ quietis vicissitudine refocillata novoque spirituum interventu stabilita cerebrum conservant; ita immodicus in lucubrationibus diurnis & nocturnis labor τȣ̃ ἐγκεφάλȣ ἀνάλωσιν, imo ἐξεγκεφαλαίωσιν cerebri consumtionem non raro dolores excitat, ita ut nolentes volentes abstinere cogantur librorum helluones. Teneris studiorum amoribus delectantur Musæ, ne Minervæ etymi censuram incurrant, dum vires cerebri minuunt; Idem ib. Part. 3. c. 64. p. 192. a studiorum iucessabili concatenatione orti dolores curantur alternæ quietis vicissitudine, ut vires novo spirituum refocillentur interventu. Quas intentio animi acutangulas reddit atomos & spinis eminentes, illas relaxatio ad pristinam æqualitatem reducit. Sic *Galenus* lib. 1. pro. sect. 2. comm. 56. narrat exemplum condiscipuli ex assiduo disciplinarum studio in Catalepsin incidentis, quam a nimiis intentisque meditationibus oriri posse asserit quoqne *Ant. Menjotius* diss. Patholog. de Catalepsi p. m. 164. conf. *Plater*. lib. 1. obs. 30. *Zacut*. de princ. Med. Hist. Lib. 1. Hist. 42. Quod affectus partium capitis adtinet, conf. de oculis infra dicenda.

15. HYPOCHONDRIACI ATQUE SCORBUTICI] *Highouorus* Exerc. de affect. hypochondr. cap. 8. p.

237. ait: Vigiliæ nimiæ, exercitia immediata, animi nimia intentio, lucubrationes, præsertim a cœna, & animi pathemata affectum hunc fovere & augere solent; quia caloris ac spirituum revocatione vel digestionem in ventriculo retardant, aut quia sanguinem spirituosum nimis ac flatulentum commovent nimium & colliquant, unde fermentatio universalis conciliatur, & in furorem adiguntur particulæ spirituales, omnesque exinde læduntur actiones. *Franc. Gabr. Crusius* disp. inaug. de affect. pancreatica th. 5. Pragæ m. Jul. 1690. apud Georg. Labaun in 8. inquit: Continuas meditationes & curas liquorem vitalem exsiccare, somnum impedire, perpetuis Vigiliis affligere experiuntur eruditi, qui quod libris incumbentes incurvati & proni plurimum sedeant, pancreas comprimunt unde succus nec libere perreptare nec debite colligi potest, sed stagnando acescit; hinc hypochondria malum eruditorum audit. *Ant. Gunth. Friderich* disp. inaug. de malo literatis familiari seu Hypochondriaco habuit Lipsiæ sub præsidio D. *Christ. Langii* An. 1650. ubi plura hanc in rem, præcipue §. 65. & §. 62. inter alia: Profecto vires devorant per vigilia, quæ fiunt a calore in imis visceribus maximopere aucto, ut vaporibus somnum conciliantibus locus non sit, quia sic dissipantur. Vigiliæ contumaces, inquiunt Sophiatri, magnam miseriam præbent, quoniam totius corporis ejusque facultatum Oeconomiæ præsentissimam destructionem inferunt. Et hoc nomine etiam lucubrationes seu quando maximam noxium partem studiis ac meditationibus vendicant literarum sectatores, peculiariter increpantur, quod vel ex his solis hypochondriaci hanc passionem impetrare queant. Nulla acrior quidem altiorque nulla cogitatio, neque ulla pars studentibus aptior est quam nocturna, quum vigilatæ noctes naturam frangant, propterea que cruditates gignant, spiritus dissolvant & humores incendant acuantque, ipsi profiteantur cum gemitu & edicant post festum, qui nocturnas æquare operas diurnis amarunt.

16. LIENIS (UNDE SCIRRHI)] De *Johanne Fernelio* Medico ſui ævi maximo refert *Georg. Abrah. Merclinus* in Lindenio renovato p. 577. ſequentia: Ex praxi Medica quotannis 12000. libras Gallicas lucrari atque congerere conſuevit; ſed ex ſtudiorum vigiliis lienoſus & decolor perpetuo vixit. Obiit Pariſiis An. 1558. ætatis 52. conf. Freherus in Theatro Viror. eruditor. pag. 1242.

17. UNDE CALCULI] Inter innumera rei hujus exempla pauca ſeligemus: *Claudius Eſpencæus* celeberrimus Theologus Gallus 3. Non. Octobr. 1571. obiit ex graviſſimis *calculi* doloribus, quod fere præmium pro vigiliis a natura ſtudioſis rependitur, extinctus anno ætatis 40. ſunt verba Thuani ad An. 1571. lib. 50. hiſtoriar. fol. m. 1040. col. 2. ſeq. De *Caſp. Eraſmio Brochmando* Viro Θεολογικωτάτῳ & Daniæ noſtræ lumine *Theoph. Spizelius* in vita ejus in templo honoris p. 193. ait: Et ſolicitare eum *calculus* cœperat, tortor ille eruditorum, languescere ſtomachus, ſcorbutum accreſcere, hinc indies ſumma macies, ſumma defectio &c. Notabile exemplum ipſe olim una cum Collega conjunctiſſimo Dn. D. *Joh. Gotthofr. Bergero* Vitembergæ in literatisſimo JCto *Caſp. Zieglero* die viridium 1690. denato obſervavi, in cujus veſica urinaria 23. magnos lapides inſtar caſtanearum, in fellea vero 22. diverſæ magnitudinis invenimus. Renum calculo quoque graviter laboravit *Rudolph. Snellius*, ut infra pluribus patebit. *Joh. Heurnius* Med. Prof. Lugd. Bat. in Studiis aſſiduus conſenuit editis pluribus ſcriptis; cumque proſpera ſemper antea valetudine uſus eſſet, calculo laborare cœpit, cujus cruciatibus totum triennium divexatus tandem 3. Idus Sextil. anno ætatis 58. die natali ſuo obiit. In mortui veſica reperti *ſeptem calculi* nucis juglandis majoris magnitudine & forma ſinguli duas drachmas pendentes, miſera ad libros aſſidue ſedentium ſtipendia ait *Thuanus* lib. 126. Hiſtor. pag. 799. ad A. C. 1601. *Olaus Borrichius* Medicus

dicus Hafn. Celeberr. calculi quoque doloribus exanimatus post exsectum prægrandem calculum a dexterrimo Chirurgo *Johanne a Buchvvald* A. C. 1693. qui adhucdum in Museo fundati ab eo Collegii Medici asservatur.

18. SUBITANEI CALORES] *Casp. Barlæus* Part. I. Epist. 40. ad Constantinum Hugenium p. 160. seq. scribit: Nec literas nec versus rescribe, ne in novum discrimen valetudinem dubiam adhuc adducas. Facile enim dum neuter adhuc status est, ex attentione meditatione incalescent spiritus, hinc sanguis, hinc habitus corporis.

19. VARIÆ FEBRES] A meditatione in febrem incidere posse literatos testatur *Baccius* de natura vini lib. 3. cap. 10. seq. apud *P. A. Canonher.* lib. I. de admir. vini virtutibus cap. 3. §. 15. p. 137. *Carol. Ogerius* in Itiner. Suecico p. 142. ait: Non procul Stockholmio venimus ad opidum Telga, ibidem d. 13. dec. 1634. mansimus, dumque pranderem, obortum est mihi frigus in brachio humeroque sinistro, quod me a mensa ad lectum adegit, ubi post aliquot horarum febriculam convalui; Legeram quippe pridie nimis ociose in cœmeterio quædam epitaphia litteris Gothicis perscripta, ubi id forte incommodum contraxeram. De *Paulo Merula* in ejus vita a Joh. Meursio conscripta & tract. de Comitiis a Joh. Boschio edito præfixa ea leguntur, quæ Nota I. jam exhibuimus, np. eum febre continua aliisque symptomatibus ex studiorum nimis attenta tractatione contracta occubuisse. De tertiani letali exemplum in Joh. Winckelmanno vid. sup. Nota 7.

20. DOLORESQUE IN PEDIBUS &c.] De *Balthas. Menzero* Seniore *Theoph. Spizelius* in ejus vita l. c. p. 71. ait: Animum semper excolebat, nunquam segni se tradebat ocio sæpe cum detrimento valetudinis & asperrimorum dolorum exacerbatione pedibus manibusque captus, ut scriptioni & librorum volutationi ineptus esset &c.

21. FECES QUOQUE ALVI EXSICCANTUR] *Schmitzius* in Comp. Pract. p. 10. recenset inter alvi suppressi causas sequentem: bilis defectus, ut in ictero & post purgationem vacuata bile & excrementis, cum bilis a vita sedentaria & incurvatione continua regurgitat in ventriculum; & p. 28. Si ob studia corpus inflectatur & sic ventriculus e vesica bilem exprimat, oritur ardor ventriculi. Notabile de intestinorum affectu exemplum in CL. *Justo Lipsio* vid. in Acad. Leidensi p. m. 170. & in vita Jo. Heurnii.

22. PHRENITIS] Hinc in casu phrenitico *Rolfincius* Meth. Med. Consult. lib. 2. cons. 4. p. 77. ait: Ut corpus a violentis laboribus, sic anima a naturalibus turbatur. Nocturnæ lucubrationes naturæ & cerebri tenori magnas struxere insidias. Debilitantur oculi corporis & animi ad morientis olivi flammam lucubrationibus nocturnis solicitati. Mensuram nominis implet nox a nocendo dicta etiam in oculis vigiliis interpolata.

23. MELANCHOLIA] *Franc. Courcellius* Lib de vera mittendi sanguin. rat. sect. 1. c. 7. p. 46. ait: Quicunque jecore, corde frigido & sicco fuerint, lienem imbecillum & hypochondrium distentum habuerint, senes præsertim, & qui crassorum terrenorumque alimentorum saleque conditorum usu delectati fuerint, multisque studiis, curis, negotiis impliciti, plurimum melancholiæ coacervabunt. Idem ibid. sect. 2. cap. 2. pag. 99. ex *Marf. Ficini* lib de vita humana statuit, literatos aliquid humoris melancholici contrahere ex studiis Philosophiæ. *P. A. Canonherius* Lib. 1. de admir. vini virtutt. cap. 1. §. 23. pag. 31. inquit: Adde, quod poëtæ & literati plerunque sint melancholici, tristes, & aliquoties rerum familiarium tenuitate laborent, quæ omnia aqua auget, vinum autem depellit &c.

24. VERTIGO] *Joh. Bapt. Theodosius* Epist. Med. 39. pag. m. 240. ait: Literarum cupidi plurimum teste Celso huic vitio obnoxii sunt. *Jac. Pighius* in vita *Raym.*

Joh.

Joh. Fortis testatur, eum Patavii publice profitendi munere sexdecim annis summa felicitate defunctum esse, interim vero declinante magis ætate cepisse de literis totoque humano genere tam egregie meritum caput vertigines pati, quæ semel etiam publice disputantem summo omnium dolore deprehenderunt.

25. AGRYPNIA] Hanc ex continuatione lucrubrationum diurnarum & nocturnarum nulla fere alternæ quietis admissa vicissitudine spirituoso sanguini & animalibus spiritibus vim inferre testatur Rolfinc. Meth. Med. consult. L. 2. cons. 4. p. 67. Ea ex studiis nimiis contracta laborasse summum Theologum *Joannem Brentium* ex *Heerbrando*, *Melch. Adami* aliisque testatur CL. *Beyschlag*. in Memoria Brentii renovata §. I. lit. 6.

26. IN COLLO ANGINÆ] Morbus, quo *Otho Brunfelsius* laboravit, insolens & vix Medicis tunc ipsis cognitus fuit; nisi quod linguam nigredo & adustio occuparat; unde id genus morbi vernacule die Bräune a calore fortassis appellatur. Ex hoc ergo tandem cum ingenti pectoris cruciatu expiravit, teste *Melch. Adami* de vitis Germanor. Medicor. p. 23.

27. PERIPNEUMONIA] Vide exemplum in *Andrea Gallo* Medico Tridentino ex *Matthiola* Comm. ad dioscorid. lib. 5. cap. 159. apud *Joh. Schenk* lib. 2. observat. fol. 249. a.

28. HÆMOPTOE] *Georgius Wirth* Ludovici Regis Hungariæ & Bohemiæ archiater sanguinis sputo Görlicii suffocatus obiit teste *Jo. Langio* Lib. I. Epist. *Med* 40. pag. 172. & *Melch. Adami* de vitis Germ. Med. p. 13. qui eum obiisse refert d. 9. Mart. A. C. 1524. ætatis 54.

29. TABES ATQUE ATROPHIA] De *Rolando Maresio* *Petrus Hallæus* J. V. D. & Parisiis Regius Antecessor in ejus elogio Epistolis præfixo inquit: Valetudine nec bona nec mala usus est; at, dum vigilias, arcescente per ætatem corpore subeunte jugi studio adjuvat, languore sensim irrepente contabuit & sub finem

decembris Anni 1653. Parisiis in Musarum sinu ferme sexagenarius decessit. Galenus Lib. 3. de sanit. tuenda p. m. 253. n. 41. gracilitatis & ariditatis, quæ vigilias consequitur, causam statuit siccitatem. Revera autem consumtio spirituum causa est ariditatis & squalloris, quippe ad nutritionem corporis nostri requiruntur etiam spiritus animales, ait *Barthol. de Moor* Cogitt. de instaur. Med. lib. 3. pag. 278. seq. *Erasmus* in Encom. moriæ pag m. 137. Finge jam mihi exemplar sapientiæ, hominem, qui totam pueritiam atque adolescentiam in perdiscendis disciplinis contriverit & suavissimam vitæ partem perpetuis vigiliis, curis, sudoribus perdiderit -- semper parcus, tristis, tetricus, pallore, macie, valetudine, lippitudine confectus, senio canitieque multo ante tempus contracta, ante diem fugiens e vita &c. conf. ad eund. loc. Comment. *Ger. Listrii.* p. 210. conf. Henr. Warenii nosolog. Hermet. Galen. disp. 12. §. II. p. 124.

30. Si v. spiritus animales copiosius absumantur] *Barthol. de Moor* Cogitat. de Instaur. Med. L. 3. p. 276. seq. ait: Spiritus dissipari dixi studiis, vigiliis, curis, venere, venæ sectionibus, purgationibus, gaudio nimio, medicamentis spirituosis. Studium literarum nimium & continuatum maxime nocet; sive enim quis spiritus jugi illo exercitio reddat subtiliores, sive etiam poros cerebri patentiores, sequitur plurimos consumi & dissipari. *Sylvius* in Praxi Med. L. 3 c. 3. §. 318. velim omnes considerare in omni mentis operatione attenta & inprimis anxia solicitaque, qualis semper occurrit in omni affectu gravi animi, non tantum inordinate moveri sed consumi quoque ac deperdi multos spiritus animales, æque ac in motu corporis vehementi ac diu continuato. Hinc cernere est sæpe viros doctos habere frontem contractam cogitabundos atque ad tristitiam esse proniores. Trita est loquendi formula impallescere chartis. Hieronymus post morbum tanta aviditate studia omissa repetivit, ut

quod

quod exercitationi linguæ profuerit, nocuerit corporis valetudini. Testis ipse in Epist. ad Evagr. *Erasmus* in Encom. Mariæ p. m. 52. Annon videtis tetricos istos & vel philosophiæ studiis vel seriis & arduis addictos negociis prius quam plane juvenes sint, jam consenuisse, videlicet curis & assidua acrique cogitationum agitatione sensim spiritus & succum illum vitalem exhauriente. Ex illo spirituum impendio imbecillitatem capitis & virium oriri testatur quoque *Joh. Matthæsius* Conc. 16. vom Ehestand und Haußwesen: Groß Studiren und schwere Amts-Sorge schwächet das Haupt und alle Kräffte. *Nic. Fullerus* in Epist. Dedicat. Miscellaneor. sacror. pag. 6. fatetur, exactis aliquot annis partim antelucanis partim nocturnis lucubrationibus denique ingens se sensisse malum, afflictas videlicet misere corpusculi vires, quas ante satis firmas habuerat. Conf. inf. sub tit. Cachexia.

31. ORITUR OBLIVIO ATQUE MEMORIÆ DEPERDITIO] De D. Sim. Scheibio, Seniore & Decano Fac. Med. Lips. refert Progr. ejus funebre d. 3. Octob. 1597. editum sequentia : Quartus nunc agitur annus, cum non corporis solum sed animi quoque viribus linqui cœpit, hebetata ac velut oppressa ex meditatioum & studiorum pertinacia ingeniique contentione assidua ea facultate, quæ Hippocrati γνώμη appellatur & διάνοια, ita ut animi sensa concinne ac intelligenter haud exprimere, nedum munere docendi perfungi, ceteraque suo loco administrare potuerit. *Galenus* se vidisse testatur quendam, qui ob laborem in studiis & ob vigilias pene amiserat memoriam, læsa pariter ratione, apud *Vinc. Alsar. Crucium* in Consultat. pro nobili adolescentulo in obauditione &c. p. m. 31. Simile fere exemplum de mentis stupore & artuum seq. morte vid. inf. sub tit. Oculor. imbecillit. *Bartholin. Moor* Cogitatt. de Instaurat. Medic. lib. 3. pag. 278. ait : inprimis nocent memoriæ lucubrationes nocturnæ ; Galenus lib. 3. cap. 5. de locis affect. refert, se novisse quempiam, qui ob laborem in studiis atq; vigilias memoriam pene amiserat.

32.

32. INCURRUNT IN DELIRIA] *Menjotius* Diss. Patholog de Paraphrosyne p. m. 270. ait: In specie vero desipientia frequentius appetit juvenes biliosos, iracundos, studiosos, caput natura vel casu invalidum habentes.

33. VETERNUM] *Bernh. Ramazzinus* de Morbis artificum cap. 16. pag. 104. seq. ait: Nonnullos ego novi, quibus non minus noxia fuit exhalatio ex oleo nucum in loco concluso, quam fumus carbonum, ut præcipue cuidam literarum studioso, qui cum ob rem angustam domi tali oleo pro elucubratione sua ad seram noctem in cellula sua usus fuisset, veternosus ad plures dies perstitit. Aliud adhuc exemplum D. *Joh. Wolphii* Theol. Prof. Tigur. vid. in ejus vita a Guil. Stuckio scripta f. m. bb 3. a. b.

34. PEDES TUMEANT] Exemplum *Fried. Balduini* Theol. CLmi ex Spizelio vid. inf. sub tit. Tussis. Ipse ego tale quoque exemplum notabile observavi in Celeb. D. *Dav. Clodio* Theol. Prof Giessens. qui A. C. 1687. in æstate acidulis Swalbacensibus utebatur, sed irrito conatu, ob pedum enim tumorem & dyspnœam domi semper hærebat, & paulo post Giessam reversus beate obiit.

35. CACHEXIA] *Ant. Gunth. Friderich.* Disp. Inaug. de malo hypochondr. §. 33. ait: Et has ipsas infirmioris ventriculi ac laborantium quoque viscerum naturalium aliorum causas tota die præsertim in magnis ingeniis, proceribus & viris literatis deprehendimus, qui assidue meditando, speculando, legendo, scribendo, totumque vitæ tempus studiis ac lucubrationibus terendo robur suum perniciose exhauriunt, ut facile postmodum pallescant, & malo hypochondriaco contabescant; unde eleganti allusione sua non aberravit ille, qui Minervam dictam, quod minuat nervos, seu vires ac spiritus, ealide existimavit. Es gehen die Gelehrten mit Pappier so lange um, bis sie endlich auch zu papiernen Männern werden, & donec corpus cacochymicum & cachecticum tandem istius diligentiæ merces evadat. Wilh. Ulric. Wald.

Waldschmid Diss. de illo Plinii: Morbus est aliquis per sapient. mori pag. 13. ita: Quod si ad eruditorum morbos propius velimus accedere, proh! quam multis ac variis illi affliguntur? & illi quidem, quibus generatim omnes eruditi sunt obnoxii, chronici potissimum sunt ex κακοχυλία in κακοχυμίαν desinente provenientes, atque ortum trahunt partim ex eo, quod dum animus severioribus meditationibus intentus est, spiritus ab officio, quod digestioni ciborum in ventriculo impendunt, retrahantur; quo partim referendum est tempus, quod studiis impendunt, partim quod vita ista sedentaria corpus variis morbis lædat, & plurium morborum causa existat. *Theoph. Spizelius* de *Theod. Hackspanio* Theol. CLmo in Templo honoris pag. 392. scribit: *Majora* indies haud dubie præstitisset, ni a gravissimo & periculosissimo affectu correptus, perque totum quinquennium cum adversa conflictatus fuisset valetudine. Invaluit nimirum καχεξία & magna ventriculi imbecillitas aliorumque viscerum nutritionis officio præfectorum, e nimia fortasse orta lucubratione, cumque tandem manuum & pedum tumor accessisset, divinæ cum patientia se submisit voluntati tandemque placide obdormivit, totque curis & laboribus exantlatis optatam requiem anno ætatis 52. Æræ Christianæ 1659. invenit.

36. CAUSAS SCABIEI] Doctor *Braunius* Medicus Biberacensis in schedis miscell. virum quendam literatum se novisse tradit, qui tanta totius corporis quandoque laborabat prurigine, ut dum unguibus scaberet sæpissime ob voluptatem complicatam egereret genituram; percuratum vero fuisse limonio palustri (trifolio fibrino) nostro externe & interne applicato. Alias experientia ad pruritum cutis nocturnum in potu efficax trifolium (istud) esse docet, ait D. *Jo. Francus* de Trifol fibr. §. 31. pag. 49.

37. DIFFICILIS RESPIRATIONIS] Exemplum habemus in *Rudolpho Sirellio*, Mathematum Professore Leidensi CLmo, qui teste *Jo. Meursio* lib. 2. Athen. Batav.

tav. pag. 120. studiorum laboribus fractus, annis gravis cum asthmate & renum calculo aliquandiu conflictatus A. C. 1612. tandem anno seq. 1613. d. 2. Mart. styli Greg. annos natus 66. m. 4. d. 22. animam Deo reddidit.

38. Tussis] Studiosus quidam Tubingæ annor. 20. studiis graviter indulgens, nullis antea divexatus morbis, tempore hiemali de dolore stomachi conquestus, nec non inter lucubrationes sæpe tussi sicca correptus, scabieque parum infectus fuit, teste Jo. Fried. Huldenreich. Ann. 6. & 7. Ephem. Germ. Nat. Cur. obs. 221. pag. 326. Theoph. Spizelius in Templo Honoris de Fried. Balduino pag. 81. scribit: Tentabatur sane variis morbis & infirmitatibus, quas sedentaria vita laboresque assidui accerserant, & ea cumprimis hieme male habere cœperat, qua (uti & præcedente anno) Theologorum Conventibus Dresdæ & Lipsiæ super quibusdam Religionis negotiis institutis, nec non solenni Synodo cum magno Ecclesiæ fructu atque disciplinæ sacræ incremento interfuit, ad istum modum cum vires prosternerentur penitus & præter *vehementissimam tussim tumores*, quos contraxerat dudum, magis magisque incrementa sumerent, factum ut A. 1627. ipsis Kalend. Maji &c. decederet anno ætatis 52.

39. Catarrhorum] Testatur id *Joh. Matthesius* Conc. 16. vom Ehestand und Hauswesen p. m. 8. b. his verbis: Groß Studiren und schwehre Amts-Sorge machet Flüsse. Exempla sunt innumera.

40. Apoplexiæ] *Henricus Warenius* in Nosolog. Hermet. Galen. Disp. 7. Th. 8. inter alias apoplexiæ causas refert quoque lucubrationes præposteras. Exemplo sunt Jo. Matthesius Ecclesiastes Vallis Joachimicæ in suggestu, it. Matth. Hafenreffer Prof. Tubing. 22. Oct. 1619. M. Simon Martin, Pastor Dunckelsbühelensis, d. 26. Dec. 1624. M. Seb. Hemmingerus, Superintendens Ratisbon. 6. Jul. 1628. in Museis suis apoplexia extincti; item Balth. Bebelius, Theol. D. & Prof. Argent. & dein Witteberg. ibid in Suggestu Festo S. Michaëlis 1686. apoplexia ictus, e qua seq. die obiit. 14. Pa-

41. PARALYSIS] *Nicol. Cisnerus* omne tempus se perdidisse ratus est, quod libris non impendisset. Hinc valetudine biennio ante mortem afflicta fuit, cumque tandem paralysis accessisset, extremum diem clausit Heidelbergæ 1583. d. 6. Mart. intra 5. & 6. hor. vespertin. Quir. Reuterus in ejus vita opusculis præfixa.

42. HEMIPLEXIÆ] Exemplo est *Joh. Hulsemannus*, de quo *Theoph. Spizelius* in Templo Honoris pag. 264: Utinam Hülsemannus ea nondum ætate obiisset, quæ multis adhuc videbatur laboribus sufficere, & ab ultimo vitæ actu abesse longius. Enervabant absumebantque corporis robur labores & lucubrationes egregiæ; & quamvis primo morbi impetui (quinquennio ante obitum gravi lipothymia & hemiplexia spuria facto) neutiquam succubuerit, sed corpore licet ægro Academicis pariter & Ecclesiasticis laboribus vacaverit, vires tamen sensim ita decreverunt, ut utriusque cathedræ conscensu ipsum prohibuerint.

43. ET INTERDUM EPILEPSIÆ] Galenus Lib. 5. de locis affect. cap. 5. habet exemplum Grammatici epilepsia correpti, quod vel nimis vehementer doceret vel cogitaret &c. apud *Hieronym. Gabricinium* Lib. 1. de comitiali morbo pag. 7. a. qui ibid. p. 10. b. addit. Epilepsiæ causam nonnunquam esse humorem melancholicum, qui in capite progignitur ob vehementes animi curas ac perturbationes literarumque studia, propter quæ sanguis peruritur, atque in atram bilem desinit; & pag. 16. b. idem memorat, *Franc. Petrarcham* Comitiali morbo captum ferri ob animi fortasse curas & bonarum literarum studia, quibus maxime deditus fuerat. Conf. omnino *Caroli Bardili* colleg. Patholog. Exerc. 7. p. 237.

44. OCULORUM ITEM IMBECILLITATIS] Ita amblyopiæ & amaurosis causa refertur multa lectio a cibo. *Gorræus* in definitt. Medic. voce ἀμαύρωσις fol. 21. a. De *Theod. Bibliandro* Theologo Helvetio

in ejus

in ejus vita refert Melch. Adamus p. 403. Ex nimiis studiis ætate declivi ἀμβλυωπίαν contraxit. Accidit ergo, ut aliquando cum diluculo surrexisset, hypocaustum ingressus feli inmensæ gesticulanti, ancillam suam esse ratus, faustum fuerit diem precatus; quem felis ut potuit resolutavit. De *Jac. Schegkio* decennio ante mortem cœcitate ob studia correpto vid. omnino eund. in ejus vita pag. 294. *Didymus* ex nimio legendi scribendique studio utpote qui infinita fere scripsisset, χαλκέντερος exinde dictus Hesychio pag. 25. & Suidæ pag. 216. testibus, cœcus factus vid. *Georg. Trinckhus.* diss. de Cœcis sapientia & eruditione claris p. m. A. 4. b. Walæus M. M. p. m. 18. ait: *Ramus* ob nimias vigilias & lucubrationes cœcus factus est, sed visum recepit, cum procurante Medico somnum reciperet. *Justus Lipsius* in Epist. ad Andr. Schottum, Senecæ operibus præfixa ait: Tristis legi de oculorum valetudine; etsi nolim, Hercules, de ea re tristem, quam ab honesta causa contraxisti. Studia & perpetuo discendi docendique cupiditas vitium & labem hanc attulerunt, ut nec meminisse ejus possis nisi optimi una in rempubl. literariam meriti operæque. Lacuna illa ad filium ex vulnere claudicantem:

Macte, gradum non potes, sine memoria virtutis.

Idem ad te! De Joanne Passeratio Eloquentiæ in Acad. Parisiensi Professore Interprete Regio d. 18. Kal. Octobr. 1602. ætatis 68. mortuo scribit. *Jac. Aug. Thuanus* ad d. an Lib. 127. Histor. in fine, ita: Obiit senio effetus amissa oculorum luce & jam fatiscente ingenio cum vel vitæ cupidissimi vivere velle desinunt. *Thom. Partholinus* de Biblioth. incend. p. 34. de se ipso scribit: Per 20. annos nunquam ad lucernam studia emensus sum, oculorum imbecillitate refragante, cum sole labores meos partitus. *Erasmus* in Encom. Mariæ p. m. 209. Nam qui erudite ad paucorum doctorum judicium scribunt, quique nec Persium nec Lælium judicem recusant,

cuſant, mihi quidem miſerandi magis quam beati videntur. Addunt, mutant, adimunt, reponunt, repetunt, recudunt, nonum in annum premunt, nec unquam ſibi ſatisfaciunt, ac futile præmium, neupe laudem eamque perpaucorum tanti emunt, tot vigiliis ſomnique rerum omnium dulcisſimi tanta jactura, tot ſudoribus tot crucibus. Adde nunc valetudinis diſpendium, formæ perniciem, lippitudinem aut etiam cœcitatem, paupertatem, invidiam, voluptatum abſtinentiam, ſenectutem præproperam, mortem prœmaturam, & ſi quæ ſunt alia ejusmodi. *Jaſon Mainus*, Mediolanenſis JCtus quadam lippientium ac prope cœcutientium oculorum caligine tenebatur; quare ultra novennium a-docendi munere ceſſavit, ut ipſe teſtatur Lib. 3. Conſil. 39. ex eoque *Guido Pancirolly* Lib. 2. de claris LL. Interpp. cap. 127. p. 283. De *Chriſtiano Daumio* Philologo eximio & ſcholæ Cygneæ Rectore memorat M. Joh. Caſp. Lœſcherus in Memoria Daumiana Witteberg. 1701. edita §. 9. Præcipue lucubrationibus deditus erat, unde factum eſt, ut variis, qui inde oriuntur, morbis affligeretur, & oculorum præcipue lumen magis magisque imminui non abſque triſtitia ſentiret. *Volchuldum* Præſulem Miſnenſem oculis propter ſtudia lippis & caligantibus fuiſſe ſcribit *Georg. Fabricius* Annal. urbis Miſnenſ. Lib. 1 ad A. C. 994. fol. 23. & Mart. Heidenreich in vita Bennonis p. m. 108. ita de eodem: *Volckhuldus*, Lamberto Schaffnaburg *Volckradus*, Willigiſii Antiſtitis Moguntini familiaris & ſecundus Epiſcopus Eccleſiæ Miſnenſis oculorum lippitudinem ex lucubrationibus ſibi contraxiſſe dicitur. Pragam evocatus, dum ſolenni paraſceves die ſacra celebrat, in mentis artuumque ſtuporem incidit ante aram, paucis horis ſuperſtes moritur d. 23. Aug. An. 994. *Raymundus Joannes Fortis* a nimia diligentia ſibi contraxit moleſtisſimas ophthalmias, quæ tandem coëgerunt illum cœli mutatione remedium quærere, cum ſæpe fuerit expertus ſubtiliorem aërem ſibi propitium.

Hinc Venetiis concessit Utinum, ut & loci salubritate & qualicunque studiorum remissione restituta oculis acie rursus Venetias rediret, teste *Jac. Pighio* in ejus vita. De Claudio Mesmio Comite Aavuxio Regis Galliæ Legato A. C. 1635. m. Mart. refert *Carol. Ogerius* in itiner. Suecic. pag. 219 hæcce; Olai M. sive historias sive fabulas decurri, quas sero Legato enarravi amplificavique, ut illum a morbo Capitis Oculorumque, quo propter nimis assiduas scriptiones lectionesque tentabatur, recrearem. *Q. Marius Conadus* Lib 5. Epist. 117. ad Paullum Manutium p. m. 124. b. scribit: Quod de lippitudine scribis & imbecillitate valetudinis tuæ, sic statuas velim, me ipsarum quoque literarum eam ægritudinem putavisse; quamobrem si quid remittas interdum de labore & contentione studiorum, id non tam valetudini quam literis etiam ipsis datum existimabis. Serva te obsecro non tibi solum & liberis, verum nobis etiam & studiis omnium gentium & seculorum. Idem Lib. 6. Epist. 166 p. m. 162. ad Leonard. Clementem ita: Scribis te φλεγματώδην esse factum, quod tibi instar mortis vitandum censeo. Nosti enim, quæ mihi esset eo tempore, quo tecum una fui: Illam tamen summam dicas fuisse valetudinem præ iis, quæ toto ante triennio tulissem. Quare isti morbo tollendo aut levando prorsus incumbas velim. Rationem speculi, quod tibi ad lippitudinem Medici fecerunt, & genus ipsum lippitudinis tuæ, & num quod inde commodum sit valetudinis cupio a te subtiliter doceri. Tu ut valeas; remitte aliquid de studiis tuis. A.C. 1565. *Martialis Peregrinus* Calaber Patavii docuit Metaphysicam in via Scoti, cui auctum est honorarium A. 1571. sed præ studiis An. 1575. lumine orbatus successorem habuit d. 23. Octobr. 1575. Carolum Billæum &c. teste Jac. Phil. Thomasino Lib 3 de Gymn. Patav. c. 7. p. 289. Auctor der Curieusen Medicin im Anhange p. m. 180. de hoc eruditorum affectu ita differit; Dieweil die

Augen

Augen zu ihrer leichten Bewegung eine gewisse Feuchtigkeit haben, so dringet selbige, weil solche durch Studiren oder sonst offt gebraucht werden, zu gewissen Zeiten in solcher Menge herzu, daß solche gantz roth gebissen werden, und man grosse Schmertzen davon erleidet &c. dieweil bey Leuten, so die Augen sehr gebrauchen, solche Feuchtigkeit in mehrer quantität zu zufliessen sich gewehnet, als bey andern, so ist nur nöthig, daß so bald wir mercken, daß die Augen uns nur ein klein wenig anfangen wehe zu thun (nicht biß sie gantz roth werden) man dem Studiren, Bücherlesen, Schreiben oder was man sonst in vieler Ubung, besser obliege als man vorhero gethan, so wird solche übrige Feuchtigkeit der Augen durch deren Gebrauch bald verzehret oder consumiret, keinen Schaden also thun können, und der Schmertz gleich nachlassen; welches so durch die experienz conformiret, daß, da ich sonsten dahero viele Ungelegenheit gehabt, nunmehro bey vielen Jahren, obschon ich die Augen vielmehr als vormahlen gebraucht, da ich nur das eintzige in acht nahme, gantz nicht hiedurch incommodiret wurde. Wundere mich auch nunmehro nicht, warum, wenn ich sehr viel die Augen gebrauche, mir kein sonderbahrer Zufall hierinnen entstehet, so bald aber etliche Zeit fast nichts sonderbahres verrichte, mir gleich anfangen solche böse zu werden. Aus welchem auch erscheinet, wie schädlich es sey, wenn Leute, so die Augen viel gebrauchen, so bald als sie mercken, daß selbige sehr böse werden, sich von allem Studiren, oder was sie sonst viel zuthun gewohnet, enthalten, sich ins Danckele setzen, und dergleichen. Und ist diß vielleicht die eintzige Ursache gewesen, daß Monſ. de Beaune, der in der Analytica Mathematica recenſiorum sehr versiret (welches studium absonderlich die Augen sehr erfodert, gäntzlich des Gebrauchs derselben beraubt worden.

45. VEL PALLEANT VEL FLAVEANT] Hinc vulgare diverbium:

Qui pallet aut amat aut ſtudet.

Haut injuria quoque Perſius Sat. 5. v. 62.

At te nocturnis juvat impalleſcere chartis. Conf. ſup. Cherephontis Nota 12. & Joh. Fernelii Nota 16. exempla. De docto hoc pallore plura congesſit Cæſar *Zarotty* de Medica Martialis tractatione, ad L. 1 Epigr. 78. c. 8. p. m. 76. ſeq. De *Gaſp. Braierio* & filio ejus *Nicolao*, Medicis Pariſienſibus *Gabr. Naudæus* in orat. Encomiaſt. ejus Antiquitati Scholæ Med. Pariſ. ſubnexa pag. 88. ait: Sic profecto in utroque index modeſtiæ peregrinus rubor, ſic ſtudiorum comes continuus pallor, ſic doctrinæ teſtis egregius ſermo. *Zeno Atticus* Sectæ Stoicorum poſtea princeps conſulens aliquando oraculum quo pacto optime viveret? Reſponſi loco accepit: *εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς*, ſi mortuis concolor fieret. vid. *Diog. Laërtius* Lib. 7. de vitis philoſophor. ad quod ille effatum ſtudiis unice vacare cœpit, ac omne tempus lectioni antiquorum philoſophorum impendere ait *Georg. Paſchius* in Schediaſm. de curioſis hujus ſeculi inventis cap. 1. §. 1. p. 1. conf. ſub Tit. Cachexia. Tobias Vogel im curieuſen Haut-Diener Lib. 3. cap. 2. art 1. p. 429. ait: Es ſehen blaß aus diejenige, welche ſich im Studiren zu ſehr übernehmen, von denen es heißt: doctis impalleſcere chartis, und iſt faſt ein proprium der Studirenden; Gleichwie der Fluß Nil mit dem Crocodill, Pallas mit dem Schilde bezeichnet und zuerkennen ſind, alſo auch aus der Bleichſucht die Studirenden; daher wollen etliche die Pallas deriviren a pallore, von dem bleichen Außſehen, welches die Fleißig-Studirende zu einem gewiſſen Erbtheil haben: *Dan. Georg. Morhof.* in Progr. fun. Exerc. 42. p. 673. ait: Ipſa ſapientum macies & contractus e ſtudiis Pallor docet, quam parum a cadavere diſtent, totaque vita moriantur. *Apulejus* in Apolog. p. 276. Continuatio etiam literati laboris omnem gratiam

tiam corpore deterget, habitudinem tenuat, fuccum exforbet, colorem obliterat, vigorem debilitat.

46. VITA ISTA SEDENTARIA] *D. Wilh. Huldr. Waldschmid* in disp. de morbo Plinii per sapientiam mori pag. 14 seq. ait: Deinde vita illa sedentaria & defectus motionis potisfimum viscerum obstructiones & humorum lentorem producunt, putrescunt enim ni moveantur, aquæ; & huc quoque referendus est ille corporis situs inter studendum, dum sedendo plerumque ad mensam libri tractantur, inclinato versus anteriora thorace, qua ratione viscera abdominis comprimuntur, & humorum transitus impeditur, unde necessario obstructiones ipsumque malum hypochondriacum plurium morborum mater producitur. Neque enim omnibus natura tantum viscerum robur concessit, ut olim Dydimo Grammatico, qui teste Hesychio ab aheneis intestinis χαλκεντέρȣ cognomen tulit, quod indefesso labore libris assideret, eorundemque sine sanitatis incommodo ter mille & quingentos conscripsisse legatur. vid. *Pontan.* annott. ad Progymnasm. 5. vol. 1. Idem pag. seq. 15. Tandem, si ad speciales eruditorum conditiones attendere velimus, singulæ sane Facultates & disciplinæ morbos habent sibi proprios: *Theologi* & præsertim verbi divini ministri, qui publicos ex cathedra sermones habent, catarrhis, affectibus soporosis, & pulmonum vitiis maxime sunt expositi: *Juris periti*, Judices, Advocati, & qui principum ministerio addicti sunt, studiis, magnis laboribus & vigiliis attriti, inter hypochondriacos primas tenent, & in marasmum proclives sunt de quorum ærumnis legi meretur *Petri Xylandri*, Regii in Brabantia Consiliarii elegantissima Epistola operi *Fortun. Plempii* de togat. valetud. tuenda præfixa, qua malorum Iliadem ac ærumnosam vitam e toga contractam describit. Nec *Medici* ab his malis immunes sunt, quamvis Clinici, ut vocantur, ob quotidianam ægrorum visitationem & itinera minus obnoxii sint his malis, suos tamen

quoque patiuntur manes. *Philosophi* denique Philologi, Poëtæ, Mathematici, verbo, omnes circa mentis officia occupati æque sub hunc censum veniunt; quorum partes adeo omnes ac totum corpus veluti situ quodam ac torpore languet. Sed hæc obiter! plura qui volet adeat *Ramazzinum* de morbis artificum p. 306. seq. Nolumus enim nunc ærumnas istas pluribus examinare, aut media etiam ad istas evitandas suppeditare, quod & a scopo nostro alienum est, & ab aliis satis præstitum, *Marsilio* puta *Ficino* de vita Lib. 1. *Pictorio* Tuend. sanitat. method. in gratiam eorum qui minus exerc. *Horstio* de tuend. sanit. Studios. *Gratarolo* de literat. & qui Magistrat. funguntur conserv. valet. *Gesnero*, *Plempio* de togat. valet. tuend. aliisque.

47 Mors ultima linea rerum] Barthol. de Moor in Cogitatt. de instaurat. Medic. Lib. 3. p. 255. seq. ait: Manifestum igitur est, vitæ genus sedentarium, quod vicissitudine quietis & laboris careat, ad prorogandam vitam minime conducere; Quod si quis musei cancellis sese includat, exercitium negligat, demortuos consulat, demortuos miretur, e demortuorum ore pendeat, vivos vitalesque actiones negligat, non mirum, si ejus sanguis evadat lentus, spiritusque impuri suffocentur, id quod inter causas brevioris vitæ superius enumeravi. Præter alia incommoda hæc est literatorum infelicitas, acerbo funere e medio tolli. Testes *Rudolphus Agricola* (vid. *Pauli Jovii* Elogia viror. doctor.) *Politianus*, *Mirandula* & plures, quos enumerare longum foret. *Philetan* Poëtam mortuum e labore, quem capiebat in studiis & e molestia quam contraxit, cum fallacis & captiosæ Stoicorum conclusiunculæ, quam Græci ψευδ΄μενον, *Cicero* mentientem vocat, dissolutionem reperire non posset, testatur *Muretus* in Propertium pag. m. 146. *Joh. Lœselius* de podagra Sect. 2. membr. 2 art. 1. subsect. 1 p. 33. seq. ait: Vigiliæ nimiæ bilem & serosos humores acuunt, spiritus ac humidum radicale absumunt, & ita homini sua fata accelerant. Pessime itaque vitæ & sanitati suæ consulit,

qui

qui integras fere noctes studiis consumit, reddit namque se ipsum ταχυθάνατον, & inter αὐτόχειρες vere suum profitetur nomen. *Jac. Crucius* Lib. 1. Epist. 8. p. 31. Lusciniis, inquit, tantum est canendi studium, ut certantes emoriantur, spiritu citius deficiente quam cantu; Ita nonnulli literarum immodico amore valetudinem exstinguut, & tum a nullo vinci volunt, eruditione, pereunt in ipso conatu. Hinc CLmus Theol. Hamburgens. Joh. Frid. Mayerus in Epist. ad CL. Vir. Mag. *Joh. Alb. Fabritium* addiss. de Logica pontificior. ἀλόγω ait: Unicus me male habet metus, ne breviori vitæ spacio fama Tuis quæsita meritis circumscribatur. Ponas insolitæ modum diligentiæ, nec vigiliis ac lucrubrationibus tribuas nimium, ut vitam liceat producere orbique literario quam diutissime usui esse ac ornamento. *Corn. Hornejus* in præf. ad *Ib. Caselii* Opera politica *Christoph. Heidmanno*: Erat in eo, quod caput omnium est, sinceræ erga DEum pietatis & commune bonum juvandi tantum & tam indefessum studium, ut vitam ipsam & valetudinem, qua plurimis annis prorsus debilierat, dum in utroque illo stadio ita decurreret, ut animum ab utrisque exercitiis nunquam fere relaxaret, nimiis studiis tandem protegisse non immerito videatur. De *Paulo Merula* Georgii F. Pauli N. scribit *Bælius* Nouvell. de la Republique des lettres Tom. 2. m. Aug. 1684. art. 2. pag. 13 Il étoit ne a Dordrecht l'ann 1558. & il succeda à Juste Lipse dans la Charge de Professeur en histoire à Leide l'an 1592. Il l'exerc. a pendant 15. ans, avec beaucoup de reputation & mourut le 18me Juillet 1607. à Rostoch, ou il avoit fait un voiage pour y voir quelques amis & quelques Parens, & dans l' esperance de retablir sa santé que son trop d' attachementû l' etude avoit ruine (conf. sup. Not. 1.) & A. C. 583. teste *Thuano* lib 78. ex nimiis vigiliis contracto morbo decessit Romæ *Joannes Maldonatus* loco nobili in Bætica Hispaniæ natus e sodalitio Jesuitico, cujus prodierunt eruditissima Commentaria in 4. Evangelistas.

De *Renato Moræo* ita Guido Patin. Epist. 107. pag. 244. Mr. Moreau est mort de vieillesse & de trop de travail âgé de 72. ans le 17. de ce mois. (Octobr. 1656.) Son immoderation a l'étude l'a fait paroitre vieux avant le tems: Immodicis brevis est ætas & rara senectus. *Antonium Ferrarium*, qui de Salentinorum situ librum edidit, Lupiis norunt omnes natum & ibidem in literis ajunt esse mortuum, scribit *Q. Marius Corradus* lib. 5. Epist. 124. pag. 128. a. Hartm. Creidius Postillæ suæ im 3ten Jahrgang Dom. Quasimodogen. pag. 473. Ob wohl andere Facultæten auch ihre Beschwehrungen haben, und fürwahr ein jeder im Schweiß seines Angesichts das Brodt zu suchen ihm muß lassen angelegen seyn, so währets doch nicht immer so an einander, es braucht auch nicht so viel zu concipiren, zu studiren, zu peroriren, wie im Predigt-Amte nothwendig geschehen muß, dadurch denn die Leibes-Kräffte also nach und nach dahin gehen, daß man wenig alte Prediger findet, sondern die meisten sterben jung dahin, wie die Erfahrung bezeuget. *Franc. Sanchez.* Tract. quod nihil scitur pag 74.: Non immerito philosophiam nostram liceat conferre Minois labyrintho, in quem ingressi regredi non possumus nec explicare nos: Si pergamus, in Minotaurum incidimus, qui nobis vitam adimit. Hic finis studiorum nostrorum, hoc præmium irriti & vani laboris, perpetuæ vigiliæ, labor, curæ, solicitudo, privatio omnium deliciarum, vita morti similis, cum mortuis degendo, pugnando, loquendo, cogitando, a vivis abstinere, propriarum rerum curam ponere animum exercendo corpus destruere. Hinc morbi, sæpe delirium, *semper mors.* Nec labor improbus aliter omnia vincit, nisi quia vitam adimit, mortem accelerat, quæ ab omnibus liberat: Sic, qui moritur, omnia vincit. Rarum ergo est, si senes fiant, qui nimium literis operam dederunt, ceu de *Gothofr. Henschenio* e Societ. Jesu refert *Baelius* Nouvell. de la Republique des lettres T. I. m. Jul. 1684. art. 2. pag. 460. inquiens: Ce savant Jesu-

ite

ite mourit l'annèe passèe au mois de Septembre agè de plus de 80. ans; exemple rara a la verite d'une longue vie dans un homme qui étudie prodigieusement, mais non pas si rare qu'il le semble. *Johannes Caselius* mortuus est octuagenarius, vir maximarum literarum. Vide vitam ejus præfixam Operibus Polit. a *Conr. Hornejo* editis. CL. Waldschmid Diss. cit. de morbo per sapientiam mori pag. 11. Possem hic filum abrumpere, nisi alia adhuc extaret recentissima satisque ingeniosa loci hujus Pliniani explicatio, quæ quamvis a mente Plinii longius recedat, h. l. tamen legi meretur. Atque illa est CLmi Ramazzini Prof. Patavini propriis ejus verbis ita descripta: Plinium, (inquit de Morbis Artific. cap. ult. pag. 315.) tot periculis, tot casibus, tot morbis, quibus vita nostra continuo petitur, adnumerare quoque voluisse caussam occasionalem, ob quam mors persæpe contingat, studium sapientiæ, quæ suos cultores ad præproperam mortem non raro perducit, ita ut in morborum classe morbus sit aliquis, quem Medici non animadverterint, *per sapientiam mori.* Hanc in rem aureum Platonis dictum in subsidium vocat, quo elegantissime exprimitur, quomodo literarum studia varios morbos accersant; quando anima corpore admodum potentior est exultatque in eo atque effertur, totum ipsum intrinsecus quatiens languoribus implet; quando etiam ad discendum investigandumque collectis in unum viribus vehementer incumbit, liquefacit prorsus corpus & labefactat, denique cum ad discendum differendumque privatim & publice ambitiosa quadam concertatione contendit, inflammat corpus atque resolvit, nonnunquam etiam destillationes fluxusque commovens Medicorum plurimos decipit, cogitque illos contrarias causas judicare, censente Platone in Timæo pag. 495. conf. Morhofii Oratt. pag. 868. sup. citt. illam præterea ex intemperantia in studiis contractam corporis miseriam suo jam tempore agnovit Seneca, cui non decem annumerantur morbi, qui literatis insidiantur, sed centum imo sexcenti imo omnes, Epist. 92.

& Celeb Vir G F. a Franckenstein jam pridem demonstravit, maximam esse studiorum noxam, quæ non tam emaciando quam plane absumendo, non tam labefactando quam funditus destruendo corpus vitamque nostram atterit, imo conterit atque pessundat, pecul. Diss. de Studior. noxa Heidelb. 1675 habita (NB. impressa est eo anno, habita autem A. 1673.)

48. ANIMUS VIDELICET NOSTER] Et hujus oblectamentum ex studiis tantum est, ut & corpori ægro præstantissimum subministrare levamen queat. Notatu digna, & quæ heic inserantur, sunt verba doctissimi Angli *Humfredi Hody* in Dissert. contra historiam *Aristeæ* de LXX. Interpp. c. 7. §. 20. p. 107. ubi ita: Ex *Strabone* Geograph. lib. 17. pag. 543. potest probabiliter colligi, Ptolemæum Philadelphum ad magna illa molimina Bibliothecæ condendæ, quibus tam præclarus factus est, animum adjunxisse, quando propter corporis imbecillitatem semper novæ alicujus oblectationis materiam expeteret. Philadelphum enim non semper & a pueritia infirmitate corporis laborasse, sed vitam voluptuosam diu agendo illam contraxisse, ex Plutarcho colligere est, qui apud Athenæum lib. 12. pag. 536. tradit illum διεφθαρῆναι ὑπὸ τῆς ἀκαίρε τρυφῆς perditum fuisse importuno luxu, & docet, invaletudinem ejus fuisse podagram. Atque hoc tempore Philadelphum in Bibliotheca instruenda curas confixisse, admodum verisimile esse confirmatur suffragio doctissimi *Ludovici Vivis*, Viri magno judicio præditi, quem reperio Notis in Augustin. de Civit. Dei lib. 18. cap. 42 scribere, Philadelphum maturiore sua ætate, quo tempore morbis afflictaretur, proculque a bellis gerendisque rebus esse cogeretur, studiis se tradidisse, accitis undique ingeniis & constructa Bibliotheca. Atque hanc sententiam Vivis esse perquam probabilem pronunciat *Torniellus* Chron. ad A. M. 3798. Huic argumento adest luculentum Æliani Var. Hist. lib. 4. cap. 15. testimonium, qui declarat, Philadelphum tunc præcipue in bonis literis operam

peram posuisse, & eruditum evasisse, quando annis jam vergentibus in senium valetudine ad morbos propensa uteretur. Afferens enim *multorum* exempla, qui cum per magnum ætatis suæ spatium a studiis & literis operam suam atque industriam alio traduxerant, tandem per otium invaletudinis vacantes bonarum artium contemplationi, rei literariæ præsidiis sese instruxerunt, tradit idem Ptolemæo Philadelpho contigisse: Μουσικώτατον δὲ λέγουσι καὶ Πτολεμαῖον γίνεσθαι τὸν δεύτερον, καὶ αὐτὸν νοσήσαντα: Ajunt etiam Ptolemæum secundum doctissimum evasisse, cum infirme valeret.

46. ADCRESCIT GLORIÆ] Conf. omnino hanc in rem integram *Senecæ* Epistolam 8. *Cicero* lib. 5. de Finibus ait: Primæ sint animi partes, secundæ corporis. Conf. *Sallust.* Belli Catilin. cap. 1. §. 2. *Hermes Trismegistus* in Poëmandro ita: Exue corpus istud, quod circumfers, vestimentum ignorantiæ, fundamentum pravitatis, vinculum corruptionis, mortem vivam, cadaver sensibile, sepulchrum portabile, domesticum furem: Blanditur, quia odit, odit quia invidet: Dum vivit, vita te privat, non est capitalior hostis tibi. Laudatus modo *Cicero* Orat. pro Archia p. m. 509. Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur; & ibid. pag. m. 512. Nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, præter hanc laudis & gloriæ, qua quidem detracta, Judices, quid est, quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo & tam brevi tantis nos in laboribus exerceamus? Certe si nihil animus persentiret in posterum, & si quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas; nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur, neque toties de vita ipsa dimicaret. Nunc insidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes & dies animum

mum gloriæ ſtimulis concitat atque admonet, non cum vitæ tempore eſſe dimittendam commemorationem nominis noſtri, ſed cum omni poſteritate adæquandam &c. *Jul. Cæſ. Vanninus* in Epiſt. Dedicat. ad Amphitheatrum div. provid. de ſe ipſo : Ego Jurisprudentiæ ac Theologiæ ſtudiis in parthenopœo & Patavino circo decurſis reliqua fere omnia literarum exercitationum per totum Europæum orbem erecta theatra, amphitheatra, circosque duxi frequentandos; nec me ſuſcepti pœnitet laboris : Nam licet corpus quidem crebris infirmitatibus morbisque fuerit exhauſtúm & enervatum ; animus tamen in ſupremæ & vulgo philoſophantibus incognitæ philoſophiæ arcanis inveſtigandis validior factus eſt & robuſtior &c. *Arnold. Redeckerus* in Statua Mercuriali cap. 4. p. m. 27. ait : Volo igitur ultimo, & quid ego volo? Ipſa rei indoles & ſumma neceſſitas vult, illum, qui in amplexus muſarum venire cupit, laborum & vigiliarum eſſe tolerantiſſimum ; ad exemplum Romanorum ſapientiſſimi (Epiſt. 8. Senecæ) qui nullus, ait, mihi per otium dies exit ; partem noctium ſtudiis vendico, non vaco ſomno, ſed ſuccumbo, & oculos vigilia fatigatos candentesque in opere detineo. Quæ verba ut nemo facile abſque admiratione legit, ita nec ſine imitatione a quoquam legi, in primis mihi eſt optatis.

50. SOLENNITATES ATQUE CEREMONIAS] Solennitates in ejusmodi promotionibus aliæ aliæque alibi obſervantur; quomodo Patavii Candidatis Juris, Medicinæ, Philoſophiæ atque Theologiæ inſignia conferantur, docet *Phil. Jac. Thomaſinus* lib. 1. de Gymnaſ. Patav. cap. 47. pag. 159. ſeq. his verbis: Candidatus examinatus & approbatus, in ſubſellia doctorum deductus, a promotore ſuo eleganti oratione Inſignia Doctoratus recipit, nempe *annulum, librum apertum & clauſum, pileum, conſeſſum & oſculum.* Aperiuntur laureato primum *libri*, ut oſtendatur promoto, apertum eſſe Juris &c. diſciplinar. interpretandi facultatem ; Secundo *pileus* ejus capiti imponitur, quem *birettum* vocant, id nil

aliud est, quam sacerdotale capitis integumentum, quod olim ipsis tradebatur, ut illud tanquam Justitiæ Sacerdotes gererent. Est pileus libertatis signum, *Birettum*, quasi bis-rectum, quia bis rectum debet esse Philosophum & doctorem, scil. in docendo & operando; tertio imponitur *annulus* digito, tanquam Justitiæ Sponso, vel ut Alciato placet, ut responsa signare possit. Quarto Promotor Laureatum *osculo* excipit ob partam dignitatem gratulans. Alii putant osculum dari tqm. pacis symbolum, quam præ oculis Doct. habere debent, addita benedict. Postremo in Cathedra apud Promotorem primum consessum obtinet, mox prope priorem locatur a Bidello, ut inter Principes sedere possit, & jus Loci seu Collegii obtineat. Dabatur etiam antiquitus *Zona* hisce verbis: Accipe zonam auream, & lumbos tuos cingulo fidei præcinge, ut corpus tuum sit ornatum exterius, & apud Deum & homines te ostendat perfectius. Qui etiam ritus adhuc Basileæ observatur. *Jo. Faes* in obelo peregrinitati communionis peregrinæ fixo cap. 7. pag. 113. ait: Nec in obscuro est, quod in Scholis Regiis cum omnium Facultatum, ceu vocant, Candidatis agatur, & quibus illi symbolis, dum gradum & dignitatem accipiunt, initientur. Horum non Domini Promotores solum (ceu dicerentur) interpretes in publico consessu agere solent, sed etiam de iis Orationes in medio prostant, quibus illa elegantissime explicantur. Nec pepercit labori & industriæ suæ in iis interpretandis celebritate nominis florentissimus *Joannes Prideaux*, S. S. Theol. Doctor & Professor Oxoniensis Regius, Episcopus Wigorniensis in Orat. 13. Inaugurali. Conf. omnino *Greg. Horstii* Dissert. de Natura amoris p. m. F. 4. a. seq.

BONA NOVA
ANATOMCA,
AD LCETOREM ADLOCUTIO

- - Si quis inventum novum
Excogitarit, huic volupe est, id omnibus

Pro-

Proferre. Namque qui tantum ſapiunt ſibi
Privantur eruditionis judice,
Suntque invidi: Nam ſpargere in vulgus decet
Quidquid novitatem quandam habere cernitur &c.

Ita recte olim *Anaxandrites* apud *Athenæum* Dipnoſephiſt. Lib. 5. cap. 27. cujus verba brevitatis ſtudio latina tantum damus. Veritatem illis conſtare ſuam quis negare auſit? Eſt nempe ea poſteriorum horum ſeculorum felicitas, ut permulta, præſertim ſi rem Anatomicam ſpectes, prioribus incognita felici omine detexerit ſedula proſectorum opera. Quippe ut multa in compendio dicam, verbisque utar CLmi *Jo. Bapt. du Hamel lib.* 1. *Hiſt. Reg. ſcientiar. Academ.* cap. 2. §. 10. pag. m. 8. in *Anglia* præter inſignes Geometras, ut Baronem *Neper*, qui Logarithmos primus invenit, eodem fere tempore *Guilielmus Harapæus* Regis Angliæ Archiater, qui *ſanguinis circuitum* primus omnium vel excogitavit, vel firmis & inconcuſſis rationibus ſic demonſtravit, ut qui conſecuti ſunt, vix quidquam addiderint, tum eximium de generatione animalium libellum edidit in lucem. Tam præclara inventa peritiores ubique fere excitarunt Medicos, ut Anatomen novis obſervationibus illuſtrarent. Brevi poſt tempore in *Gallia D. Pecquet commune chyli receptaculum & canalem Thoracicum* feliciter detexit, In *Dania Thomas Bartholinus Vaſa Lymphatica*, *Whartonius* Anglus quosdam ductus ſalivales, quos *Steno* adhuc juvenis innumeris aliis poſtea deprehenſis accuratius expoſuit. Omitto alia quam plurima, quæ CLmus *Marcellus Malpighius*, qui nuper e vivis exceſſit, cum eſſet ſummi Pontificis Innocentii XII.

Archiater, in *Omento*, *corde*, *cerebro* observavit, quæque universam medendi artem non mediocriter auxerunt. Ex Anglis maxime præ ceteris in rebus anatomicis elaborarunt, quod primi omnium sanguinis circulationem reperissent quidam certas corporis partes accuratius examinandas susceperunt, ut *Whartonius* corporis *glandulas*, *Glissonius jecur*, *Willis cerebrum & nervos*, *Lovver cor ipsum* & illius motum, ac novis subinde inventis hanc scientiam sic locupletarunt, ut Anatomia, ex qua scientia medendi pæne universa, pendet, majora tumceperit incrementa quam unquam antea. Nec Germani nostri ea in re segniores ceteris Europæ incolis censendi veniunt, a quibus, ut CLmus Vir *Conr. Vit. Schneiderus* in Progr. Witteberg. 1640. edito asserit, profecto plura etiam in Germania invenirentur, si tantam ii cadaverum copiam habere possent, quantam in Academiis habent Itali & Galli; sed nobis non licet esse tam beatis! Quamvis & id fateamur necesse sit, multa noviter prædicari inventa, quæ Veteres jam tum animadverterunt, unde rectissime *Thom. Bartholinus* in Cent. 3. Epist. 50. pag. 209. plura in antiquorum scriptis latent, quæ negliguntur, quia a paucis veteres leguntur, quod dolendum, quippe multi hoc seculo *curiosi* esse volunt rerum novarum cupidi, pauci eruditi. Perlegi eum in fidem omnino merentur illa, quæ Celeberr. Regiomontanus Prof. Med. D. *Phil. Jac. Hartmannus* in Exercitationibus suis Anatomicis in publicas lectiones congessit de iis, quæ contra peritiam veterum anatomicam afferuntur; Impressæ illæ sunt Regiomonti 1693. in 4to. Dein etiam quam plurima adhuc superesse noscenda, quæ nos adhuc latent; vere enim *Lud. Lemosius* in Judicio Operum Magni *Hippocratis* in

Proem.

Proem. p. m. 1. b. alius alio plura invenire poteſt, nemo omnia ! & *Andr. Petermannus* Med. CL. Lipſ. in Progr. ad Orat. inaug. Profeſſ. Anat. Lipſ. 1691. jure meritoque Medicis peritioribus Anatome audit Medicinæ oculus dexter; Abſit tamen ut gloriemur omnibus numeris abſoluta atque perfecta peritia, cum vix præterlabatur luſtrum, quo non nova adhuc in corpore humano detegantur ſchemata; pagellarum anguſtiæ non caperent, quæ adhuc in re anatomica deſiderantur, ſi horum recenſioni vacare mihi eſſet volupe. Interim permulta jam detecta exhibebit ſchediaſma hocce noſtrum, cui, ſi placet, junge *Ant. Nuckii* Epiſtolam poſt Adenographiam pag. 139. ſeq. & opellam hancce æqui bonique conſule. Sic vale, Benevole Lector!

§. 1.

QUod *Sulmonenſis* olim Metam. VIII. 12. 37. ſeqq. cecinit de Te

-- -- maris incola, Proteu:
Nam modo Te Juvenem, modo Te videre leonem:
Nunc violentus aper, nunc quem tetigiſſe timerent
Anguis eras: modo Te faciebant cornua taurum.
Sæpe lapis poteras, arbor quoq; ſæpe videri &c.

Hoc certe & Anatome noſtræ ſæpe ſæpius accidit; ut videatur, quæ non ſit; & ſit quæ non videatur.

§. 2. Herophilus equidem olim tantam ſecandi peritiam ſibi comparaverat, teſtibus *Galeno*, comm.

comm. XI. in Hipp. Nat. Hum. & *Tertul.* l. de Anima cap. X. ut auſus ſit *Gabr. Fallopius* tr. de mat. Med. in Dioſcor. l. 1. c. 1. p. 25. dicere: Herophili autoritas apud me circa res Anatomicas eſt Evangelium.

§. 3. Nihilominus bonus ille proſector, ſi reviviſceret & reſpiceret ad hanc noſtram modernam Anatomen ejusque recentia inventa, credo balbutiret potius, quam eloqueretur; Medicus ob nimiam alioquin ſubtilitatem deſertus, teſte *Plinio* 11. 37. Adeo intra ſeculum, quæ latuere prius in apricum plurima ſunt producta ex prudentiſſimo vaticinio *Hippocratis & Senecæ* meorum. Conf. *Melch. Frid. Geuderi* præfat. ad R. Vieuſſens neurographiam p. a. 4. a.

§. 4. Circa ipſam ipſarum Partium Naturam & ſubſtantiam quanta mutatio! Veterum παρεγχύματα (quæ *Eraſiſtratus* primus ita nuncupavit, teſte *Galeno* l. 8. κ. τόπȣς, *Gorræo* definitt. Med. f. m. 263. a. & *H. Stephano* in Theſaur. Græc. Lingu. Tom. IV. f. m. 499.) quorſum jam evanuere?

§. 5. Nolo ſcrupuloſius illa cum *Whartono* Adenogr. c. 1. p. m. 2. dividere in parenchymata viſcerum, glandularum, muſculorum &c. Aut per διχοτομίαν in Sanguinea, e. g. ventriculi, inteſtinorum, veſicæ, uteri, cutis veræ &c. it. glandularum & cerebri: Sed ſaltim κοινῶς cum *Galeno & C. Hofmann.* Inſt. Med. l. 2. c. 11. §. 2. de Corde, Hepate, liene, pulmonibus & renibus intelligamus.

§. 6. Sed de *Corde* quid audimus? Triumphum & Querimoniam ejus satis docte exposuit CL. *Segerus*. Nihilominus e parenchymatum numero non solum olim exterminavit *Hippocr*. l. de Corde. Sed & recentiorum Anatomicorum sollers indagatio, puta *Harvei*, Exerc. 1. de motu Cord. & Sangu. p. m. 165. Celeb. *J. D. Major*. Faut. & Amici & Collegæ honoratiss. Anat. 1. Kilon. c. 2. §. 29. *Georg. Seger*. diss. in Hippocr. l. π. καρδίης c. 6. *Richard. Lower* de Corde & mot. sangu. c. 1. p. m. 18. seqq. & ex hoc Excell. *P. Amman*. in Archao Syncopt. *Leichner*. p. m. 57. it. *Franc. Bayle* diss. Phys. 3. Art. 2. q. 2. p.m. 80. atque ipsa ocularis inspectio, coctique cordis examen circa fibras musculosas. Conf. *Stenon*. de musc. & gland. p.m. 2. 4. seqq.

§. 7. *Pulmones* non παρέγχυμα sed vesicularum pæne infinitarum orbicularium & sinuosarum glomeramen esse pridem cordate deduxerunt CL. Marcell. Malpighius hist. 1. de pulmon. ad *J. Alf. Borell*. p. m. 2. seq. & Illustr. *Th. Partholin*. diatrib. de Pulm. sect. 1. p. m. 2. & sect. 2. per tot. p. m. 18. seq. atque A. R. l. 2. c. 9. p. m. 418. quos & in fetus formatione e glandulis spongiosis concrescere in lobos credidit Famosiss. iste *Francisc. Joseph. Burrhus* Epist. de Cerebro ad *Th. Bartholin*. (edit. Hafn. 1669.)

§. 8. *Lienem* parenchymatibus demunt plurimi. Imo *Malpigh*. Exerc. de Liene cap. 4. p. m. 188. ait: *Et totum lienis corpus membranarum congeries in cellulas & concamerationes efformata,*

seu

ſeu diſtincta. Cui non videtur abnuere Excell. D.D. I.I. *Wepferus*, Fautor & Amicus Eximius ap. Celeb. *Th. Bartholin.* A.R. l.1. c. 16. p.m. 159. Alii potius glandulis transſcribunt, quorum argumenta legi poſſunt ap. CL. *M. Tiling.* Anatom. Lienis ſect. 1. c. 9. p. m. 98. ſeqq. Ceu quoque de ejus formatione innuit *Burrhus* l. a. Quibus tamen refragantur *Whartonus* Adenograph. c. 4. p. m. 15. & *Tiling.* l. c. p. m. 100. ſeqq. Ipſe Franc. de le boë *Sylvius.* diſp. Med. V. §. 9. ait; ejus ſubſtantiam *præ viſcerum reliquorum omnium* eſſe *longe tenerrimam, ſolubilem & a vaſis ſuis facile diffluentem, adeoque placentæ uterinæ eatenus plane conſimilem.*

§. 9. *Renibus* itidem denegatur parenchymatis ſubſtantia; Quin vel glanduloſa juxta *J. A. Borell.* eſt: Hinc *Th. Barthol.* Cent. 1. h. 14. p. m. 29. in puella recens nata & occiſa ex plurimis glandulis majoribus diſtinctos vidit. Quod & nos aliquoties obſervavimus in renibus fetus mortui manu Chirurgica multoties extracti. Et clare patet in renibus vitulinis, ovillis &c. Vel ipſorum ſubſtantia eſt ex fibris vaſorum variis textura quædam, aut canaliculorum & capillarium meatuum aggeries, juxta *Laur. Bellinum* tr. de Renibus (quem tamen refutat. CL. *J. H. Pauli* in fine Anat. Anat. Bilſian. Argentor. edit. 1965. & ſuo modu limitat *Th. Partholin.* A. R. l. 1. c. 17. p. m. 181.) atque *Marcell. Malpigh.* Exerc. de Renibus c. 2. p. m. 122. ſeqq.

§. 10. Supereſt denique *Hepar.* Sed improprie

 dici

dici *παρέγχυμα* veluti & renum & pulmonum ajebat CL. *Deusingius* Exerc. de sanguif. §. 22. Imo glandulam esse conglomeratam fuse deduxit diligentiss. *M. Malpighius*. Exerc. de Hepat. c. 5. per tot. e quo CL. *Casp. Bartholin*. Th. Fil. de ovar. muliebr. p. m. 14. & alibi.

§. 11. Circa *Testes* utriusque Sexus, quæ non hodie accuratius perscrutatus est culter Anatomicus? *Muliebres* neutiquam esse cadavera testium, uti *C. Hofman. & Linden.* (ceteroquin splendidi Duumviri Reip. Med.) voluere; & quæ operose congessit *Mœbius* in fund. physiol. c. de usu part. genit in fem. quin potius *Ovarium* egregium, uti egregie illud deduxerunt *Swammerdam*, *Horne*, *Kerkring*, *R. de Graff*, *Garmann*, tr. Homo ex ovo, CL. *Jerem Losſius* disp. pecul. & *nos* in Sat. Med. Contin. 4. §. 2. it. CL. *J. C. Peyer* meth hist. anat. Med. c. 5. p. m. 33. atque fusius Doctiss. *Casp. Bartholinus* Junior tr. pecul.

§. 12. Viriles vero nullo modo esse glandulas, sed *μέταξαν* potius quandam vasculorum minimorum primi quoque observavimus Satyr. Med. Contin. 4. §. 1. cum Celeb. *R. de Graff.* de organ. Viror. genit. p. m. 55. & passim.

§. 13. Circa varias *Glandulas* quam curiosa recentiorum præ Veteribus fuerit sectio, abunde patet ex *Whartoni* Adenograph. Marcell. *Malpigh*. *Nicol. Stenonis* tr. de musculis & Glandulis, aliorumque doctissimis monumentis.

§. 14. Vah quam subtiles porro sunt in *Cerebri* substantia genuina indaganda CL. *Willis* in Anat.

Cerebr.

Cerebr. *Fracassatus* in Epist. ad *Malpigh.* de Cerebro, & ipse Exc. *Malpighius* in Exercit. de Cerebri Cortice, ut taceam somnia potius quam rationes cerebri fiendi *Fr. Joseph. Burrhi* Epist. de Cerebr. ad *Th. Bartholin.*

§. 15. *Nervorum* origo omnium beneficio cultri Anatomici prudentioris hodie amplius neutiquam e Cerebro, sed e sola spinali medulla, tum intra, tum extra cranium petitur. Conf. omnino Doctiss. *Blasium* tr. pecul. de spinal. medulla *Th. Bartholin.* A. R. libell. 3. c. 1. p. m. 559. & cap. 3. p. m. 682. *Th. Willis* Anat. Cerebr. c. 19. p. m. 144. *Tulpium* l. 1. obs. c. 3. p. m. 7. &c.

§. 16. *Musculorum* vera origo, natura, figura & substantia non nisi prosectione accurata recentiorum præclare patuit, ceu de iis legi possunt Riolan. Barthol. Steno, Vesling. &c. Imo eorum *numerus* (ita scribente Ill. Th. Bartholino A. R. l. 1. c. 5. p. m. 40.) *iniri non potest, quin cottidie augetur observantium diligentia vel dividentium conatu Galenus* semel numeravit supra 300. *Ebn-Sina* 529. *Hier. Fabr. ab Aquap.* 420. imo 500. Si, qui dividi possunt, dividantur. *Riolanus* 431. Imo accuratior *Stenonis* industria musculum brachii deltoidem, quem unum veteres credidere, ex minoribus XII. constare docuit! repetente Celeb. *J. D. Majore* in Consil. de Anatome Nova lit. C. 2. a. Musculorum abdominis duorum pyrami talium inventio tribuitur *Massæ* & *Fallopio*, teste *Stephano Chauvin in Lexico Philologico lit. A. s. voce* Abdomen.

§. 17. Circa ὀστεολογίαν præcipue fetus aut infantium non vulgarem adhibuerunt operam *Volcher. Coiter. & Henr. Eyssonius* nec non *Kerkringius*. Ossis triquetri nisi inventionem, tamen insignem vim antepilepticam sibi arrogat *Paracelsus*; vicina rotunda in satura Lambdoidea ab Inventore doctissimo, *Olao Wormio* nomen invenerunt, teste Th. Bartholin. A. R. libell. 4. c. 5. p. m. 704. & Blasio in Anat. Hom. c. 13. Artic. 6. p. m. 39.

§. 18. *Auditus* vero *Ossicula* antiquis incognita: *R. Columbus* l. 1. de re Anat. c. 7. p. m. 48. inquit: operæ pretium est explicare nonnulla ossicula, quorum c. ap. Curcium mentio nusquam fiat, sciendum est veteribus anatomicis ignota fuisse, atque a recentioribus tantum inventa. Quis tamen inventor fuerit, me plane latet. Equidem Vesalium horum inventorem libens agnoscerem, cum Anatomicæ artis studiosissimus sit & de illa optime meritus: nam Carpus de his ante illum suis scriptis meminisset. Auditus organi constructionem ingrediuntur. Ex his ossiculis recentiores duo duntaxat noverunt, quæ etiam descripserunt. At ego cum hæc accurate pervestigarem, tertium præterea inveni, scilicet videatur Auctor l. a.

Adr. Spigelius l. 2. de H. C. F. c. 9. p. m. 48. ait: Ignota hæc ossicula veteribus fuisse nemini mirum videatur, cum & ipsa per se minutissima sint, ut facile visum effugiant, & in illo durissimo esse, quæ a petræ similitudine non sint, abscondita lateant. Recentiorum tamen industria eruta fuerunt.

Qua

Qua in re prima palma merito debetur Johanni (Jacobo) Carpo Bononiensi, qui princeps in eadem & malleolum dicta ossicula in conspectum protulit: altera Joanni Philippo Jagrassiæ, qui stapedis inventionem sibi ipsi proprie adscribit, e quibus incus atque malleus debentur *Jacobo Carpo*: Stapes autem *Joh. Phil. Ingrassiæ*, teste *G. Fallopio* ap. Petr. Castellan. in vitis Illustr. Med. Eidem rectius teberi, quam Columbo, qui sibi arrogaverat, ex Fallopii obss. refert CL. Schelhammerus nott. ad Conringii Introd. Med. cap. 4. §. 27. p. m. 180. vel juxta alios *Columbo*, aut diligentiss. *Barthol. Eustachio*. Quartum autem Orbiculare vel Cochlear cognominatum alii *Fr. de le boë Sylvio ?* alii *Lindenio*; nonnulli *Cæcilio Folio*: Conf. *Th. Bartholin.* A.R. libell. 4. c. 7. p. m. 714.

§. 19. In vasis novis aperiendis quam ampla fuit messis. Testatur hoc messis aurea *Hemsterhusii*; & *Blasii* appendix ad Veslingium.

§. 20. *Venæ Lacteæ* inventæ ab *Casp. Asellio* Cremonensi, Professore Ticinensi, testibus *Greg. Horstio, Joh. Guil. Mannagetta, Sennerto, & Hildebrando* ap. *Höfer* in H. M. l. 3. c. 1. p. m. 128. *Vop. Fort. Plempio* in Fund. Med. l. 2. c. 8. f. m. 144. CL. *Maur. Hofman. & Kerkring.* in procem. obs. scil. A. C. clɔ Iɔc XXII. die 23. Julii primum observavit; scribentibus *Th. Bartholin.* A. R. libell. 1. c. 3. p. m. 607. *Mæb.* in fund. physiol. c. 11. p. m. 209. *C. Posner.* disp. de Chylo §. 57. Jenæ 1666. atque *Mich. Sennerto* disp. de Intestinis §. 21. & disp. de Sanguine probl. 1. §. 12. Alii dicunt hoc

factum cIↃ IↃc XXVI. Quidam A. C. cIↃ IↃc XXVII. uti *Mœbius* Inst. l. 1. c. 11. p. m. 51. Nimirum A. C. cIↃ IↃc XXII. potuit primum videre: Anno vero cIↃ IↃc XXXI. vel sequente publicis typis evulgare; sicuti factum est Mediolani in 4to cIↃ IↃc XXVII. & deinceps Basileæ cIↃ IↃc XXVIII. *Bern. Ramazzinus* de morbis artificum cap. 20. p. m. 147. seq. ait: Lactearum historia, quam in hoc fortunatissimo seculo primus inchoavit Asellius, absolvit Pecquetus (quamvis illam adumbrasse visus fuerit Hippocrates de Gland. n. 3.) Sat celebris est, cum Professorum nemo in re medica tam hospes sit, qui chyli motum per proprios ductus, & in vasa sanguiflua ingressum ignoret, seu quid recentiores sentiant de lactis materia, quam firmiter credunt a chyli fontibus derivari (quamvis persectorum industria vias adhuc non indigitarit, ut ut Diemerbrœckius multis exemplis illam demonstrasse persvasum habeat) adeo ut lac chyli portionem esse sanguini permixtam, ac in mammis separatam credibile sit, uti Bibliothecæ Anatomicæ auctores arbitrantur, idque sat probabilibus conjecturis, quas primus mente concepit ac mundo patefecit Martianus noster Comm. Hipp. de Nat. pueri, qui egregius commentator Hippocratis si modo viveret, ac lactearum silvam, quam sibi confinxit, intueretur, quantum sibi plauderet, hæc inquam olim dubia de lactis materia modo in propatulo sunt; solum superesset, ut reor, modum mechanicum nosse, quo appropinquante partu: ac m. post partum, licet large fluentibus puerperiis, chylosus later in mam-

mariaa

marias glandulas tam plenis fluento urgeatur, cum eo non ſponte chylum moveri, neque a ſomniata vi tractrice abripi, ſeu a facultate quadam intelligente dirigi, pro comperto ſit.

§. 21. *Pancreaticus ductus* latuit uſque ad A.C. cIↃ IↃc XLI. ubi in auctumno apparuerit in gallo Indico t. t. domeſtico CL. *Wirſungii*, Bavari, Med. D. Exc. *Mauritio Hofmanno*, h. t. Archiatro Elect. Brandeb. & P. P. Primar. Altorfino, Fautori atque Amico noſtro honoratisſimo, ceu refert *Th. Bartholin.* A. R. l. 1. c. 13. p. m. 113. Verum CL. *J. P. Bruno* diſp. de purgandi modo ac viis th. 42. Præſide ipſomet Celeb. *Maur. Hofmanno* 1652. Altdorf. ait primum ab hoc inventum 1642. in gallo Indico. Ad eundem quoque annum ponit Regn. de *Græf* Exerc de ſucci Pancreat. natura & uſu §. 13. ſeq. Siquidem *Wirſungius* 1642. initio Martii hunc, occaſione ſubpeditata ab *Hofmanno*, demonſtravit Patavii, ceu præſens inter alios vidit Exc. *Th. Bartholin.* l. a. Atque ideo ab hoc, tanquam ab Auctore audit Wirſungianus ductus, conf. *Fr. de le boë Sylv.* diſp. Med. 2. th. 17. *Kerkring.* in procem. obſ. Hinc Ant. Molinett. in diſſ. Anatomico-Pathologicis l. 6. c. 5. p. m. 290. ait: Sed proprium pancreatis vas ductusve, Johannis Virſunghii inventum, anteceſſoris mei Vislinghii Miniſtri, vel inciſoris, ut dicunt, diligentisſimi ob id quoque tum pancreaticus ductus, tum Virſunghianus appellatus, paucos ante annos Anatomes Studioſos in admirationem rapuit, ſimulque ſpem fecit, fore ut multa adhuc non obſervata

prius, palam fieri possent; quæ felici exitu subinde detecta anatomicam facultatem non solum, sed artem universam illustrarent. It. ib. plurimis hunc ductum describit, qui videatur. Hujus succum egregie delineaverunt feliciss. *Fr. de le boë Sylvius* passim in suis scriptis: Et ejus discipulus doctiss. Regn. de *Graf* tr. pecul. atque *Bernh. Swalve* tr. Pancreas pancrene &c,

§. 22. Sequitur novum *Chyli Receptaculum*, ita *Pecqueto* inventori nominatum; Conceptaculum *Deusing*.Exerc.deChyli Motu §.47. Aliis Chyli Stagnum,vesica,penus,teste *Th.Barthoin.* Chyliferum saccum vocat *Nicol. Hobokenus* de sede animæ p. 2. c.4. art.9. §.1. Saccum lacteum *J.v.Horne; it.lacteam* vesiculam ID.in Microcosm.§.30. utriculum membranaceum reputat *Th. Cornel.* Consentin. In homine *Th. Bartholin.* A. R. l. 1. c. 12. p.m. 104. seq. non nisi glandulas lumbares agnoscit, ad quas chylus per venas lacteas ex intestinis accedit. Inventor primus in brutis, est *Joh. Pecquetus*; Diepæus, Medicus Gallus, testibus *Th.Cornel.* Consent. progymn. 6. p. m. 251. *Th. Bartholin. Deusing. l. a. Kerkring.* de *Graf*, *M. Sennert.* disp. de Sanguine probl. 1. §. 13. &c. Hic enim Parisiis A. C. clɔ Iɔc. LI. invenit, *Th. Partholin.*de Lacteis thoracic. c. 5. p. m. 15. *C. Posner.* disp. de Chylo §. 8. & testatur ipsemet *Inventor* in tr.Experim. nova Anatomica cap. 2. Harderwic. 1651. in 12. In homine vero primum observavit Illustr. *Th. Bartholin.* ceu patet passim ex Ejus scriptis, præcipue de lact. thorac. it. A. R. & Centur. 1. hist.

hist. Anat. &c. Verum paullo post vidi hoc inventum tribui Jacobo Mentelio celeberrimo Medico & Decano Fac. Med. Paris. a Gvillelmo de Henaut, qui in Clypeo, quo tela in Pecqueti Cor, a CL. V. Carolo le Noble conjecta infringuntur & eluduntur, ad hunc Mentelium A. C. 1655. p. m. 6. seqq. ita eum alloquitur: Illic quasi rerum abditarum & a mundo condito reconditarum inventio illustri tunc prosapiæ quadam prærogativa hereditaria esset, tu vel imberbis Apollo, quippe Baccalaureus, & Philiatrorum Archidiaconus electus An. 1629. oblata de venis lacteis Ahellii disserendi occasione, forte etiam edito cane in theatrum Anatonicum, apertis a te coram omnibus, felici admodum successu, eum venerum lactearum insertionem sequeris, ecce cum omnium spectantium admiratione & adclamatione publica, *primus omnium mortalium chyli receptaculum aperis*. Longa est a te facti periculi ejusdem historia; nam ibidem An. 1635. Chirurgiæ Professor meritissimus ejus artis alumnis quam plurimis idem chyli receptaculum pari eventu reseras; cujus rei testes oculati sunt non pauci: præsertim ejus fidem facit quidam Chirurgus Parisiensis nomine Fournier. Eodem loci An. 1647. scholarum Parisiensium electus Professor dignissimus, & sequentibus annis, cum frequentibus dissectionibus das operam, magna comitante caterva, dissecante Chirurgo cognominato Gugant, præsente & adtestante vel ipso Pecqueto, missa ad te Epistola data secundo die Augusti An. 1650. & quorum pars magna fui, rursus

ſus idem chyli receptaculum nobis indigitas. Cui ſane tuo felici invento multum debet inventio Pecquetiana, & de te jure merito dicet, quæ Æoliæ Rex olim Junoni:

Tu mihi quæcunque hoc regni eſt, tu ſceptra,
Jovemque
Concilias, tu das epulis accumbere Divum.

§. 23. Inde exoritur novum itidem inventum, *Ductus* np. *Thoracicus:* aliis Ductus lacteus thoracis, Lacteæ thoracicæ, Ductus Chyliferi, ſeu rami lactei, *Deuſing.* Exerc. de Chyli motu § 47. *Bilſius* tamen roriferum cenſet appellandum teſte *Eodem* ib. §. 58. quamvis male juxta *Th. Bartholin.* A. R. p. m. 620. Imo ipſe *Bilſius* reſpons. ad Epiſt. Tob. Andreæ p. m. 7. vaſorum fermentiferorum maximum aſſerit. Aſcendit autem hic ductus thoracicus e glanduloſo meſenterii ſacculo, ſeu receptaculo chyli, uſque ad venam ſubclaviam, ad quam ſuccum ſuum modo chyloſum, modo lymphaticum (ſive roriferum appelles) vide *Deuſing. l. a. Bils* atque *Wharton.* Adenogr. c. 17. p. m. 107. Inventor primus in brutis, eſt *Pecquetus*, teſtibus iisdem qui ſupra §. 22. it. *G. Segero* de Lympha Bartholin. artic. 1. p. m. 12. *Mœbio* in fundam. phyſiol. c. 1. p. m. 11. *Barbato* de ſanguine & ejus ſero p. m. 7. *Joh. Alb. Huswedel* ap. *Seger.* Epiſt. 5. de Lympha Bartholin. p. m. 52. Scil. A. C. cIↄ Iↄc LI. Regn. de Græf. de ſucco Pancr. c. 1. p. m. 3. Συνευρήτωρ Pecqueti celebratur *Joh. van Horne* Anatomicus Leydenſis; qui eodem tempore, alterius neſcius, & publice

publice demonstravit & libello conscripto exhibuit teste *Diemerbrock* Anat l. 1. c. 11. p. m. 48. In homine vero ipse CL. *Th. Bartholinus* primum vidit, ceu passim illud profitetur. Asserit equidem CL. *Whartonus* Adenogr. c. 17. p. m. 106. ex indicatione D. *Georg. Entii* ductum thoracicum chyliferum ante Centum annos jam tum observatum & evulgatum a Celeb. Anatomico *Bartholomæo Eustachio*, libro de Vena sine pari antigram. 13. p. m. 301. Venetiis 1564. edito. Adde CL. *Elsholz.* clysmat. nov. cap. 1. p. m. 2. Verum uti quædam rudia ibi adhuc sunt, tamen non plane de nihilo sunt, si locus ipse inspiciatur, dum satis clare eum describit, fatetur tamen ipse *Eustachius* ejus finem sibi esse obscurissimum, & adhuc non bene perceptum. Vide *Diemerbrock* Anat. l. 1. c. 11. p. m. 49.

§. 24. Sequuntur *Ductus Lymphatici*, qui sunt vascula tenuissima venis sanguineis magis conspicuis plerumque in gyrum associata, teste Excell. D. D. *Brunone* Fautore & Amico honorat: in dogm. Med. General. p. m. 65. Hos adinvenit Illustr. *Th. Bartholinus* ὁ πολυμαθέστατος, ceu & ipsemet testatur Cent. 1. hist. anat. 23. p. m. 40. & tr. pecul. c. 2. p. m. 210. (ap. *Hemsterhuis*) it. *N. Stenon.* in dedic. obss. anat. *Mœbius* in fund. physiol. c. 1. p. m. 12. & c. 12. p. m. 252. *Deusing.* in vindic. fetus extra uterum sect. 5. p. m. 109. *Kerckring.* in procem. obss. *Sachs.* in Oceano macromicr. §. 77. Nuck in Præf. ad Adenograph. p. m. *. 5. b. &c. Scil. hos observavit in canibus dis-

sectis

ſectis, in primis XV. Decembr. cIↃ IↃc LI. & IX. Januar. cIↃ IↃc LII. Sed pro lacteis eos habuit. At XXVIII. Febr. cIↃ IↃc LII. adjuvante CL. *Mich. Lyſero* in cane ſatis magno primum invenit & nominavit, vide CL. *Th. Bartholin.* de Vaſis Lymph. c. 2. p. m. 210. ſeqq. & A. R. libell. 1. c. 3. p. m. 622. additque p. 612. eadem ſibi Bartholino aſſeruiſſe CL. *Mart. Bogdan.* in duplici Apologia. Verum palmam illi vult facere dubiam CL. *Olaus Rudbeck*, Suecus & Prof. Ubſalienſis, qui de ſemet teſtatur in dedic. ductuum hepat. aquoſ. p. m. 257. (edit. *Hemſterhuis*) it. cap. 1. & 6. ſe incidiſſe in illorum notitiam A.C. 1650. primum teſtemque vocat Sereniſſimam Reginam Sueciæ Chriſtianam, & tr. pecul. c. 6. ait ſe conſpexiſſe primum cIↃ IↃc LI. 27. Januar. poſtmodum 8. Febr. Deinceps 6. Martii cIↃ IↃc LII. ac denique 19. & 30. Octobr. ultimo vero 27. Aprill. cIↃ IↃc LIII. Hunc quoque inventorem laudat *J. T. Schenk* ſchol. part. part. 3. c. 5. p. m. 239. & diſſ. de ſero ſangu. c. 4. p. m. 32. Nuck. in Præf. ad Adenograph p. m. *. 5. b. aliique. Utrumque vero & CL. Bartholin & Rudbekium auctores laudat circa A. C. cIↃ IↃc L. ſeq. Regn. de *Graf* de ſucco pancreat. c. 1. p. m. 5. & *Diemerbrock* Anat. l. 1. c. 12. p. m. 58. Sed ecce tertius intervenit, cui poſcit hanc inventionem *Whartonus* Adenograph. c. 15. p. m. 89. qui ſtatuit contra *Th. Bartholin.* horum vaſorum verum auctorem eſſe D. *Jolivium*, Collegam ſuum, qui primus invenerit circa A.C. cIↃ IↃc. L. Illi conſentiunt *Gliſſon* & *Charleton*

Oecon.

Oecon. anim. Exerc. 9. p. m. 170. Nuck. l. a. Verum *Th. Bartholinus* in Spicileg. ait tunc, ubi primum exhibebat, se nescivisse Jolivium natum. Nos modestiam CL. *Bartholini* A. R. p. m. 622. probamus; nec tamen dubitamus, unam rem tam multis diverso tempore patere posse. Et posterioribus istis duobus, Jolivio videlicet & Rudbekio derogat quoque *P. J. Sachs.* Ocean. Macromicroc. §. 78. *Joh. Riolanus Highmoro* adjudicat, sed male juxta *Sachs.* l. a. Imo idem *Riolanus* illa vasa nec *Vesalio* ignota fuisse autumat. Verum ex invidia satis æque judicante CL. *Sachsio* l. c. CL. *Conr. Vict. Schneiderus* l. d. Catarrh. singular. p. m. 523. ait, se A. C. clɔ lɔc XXXVIII. Jenæ demonstrasse; ceu ex eo refert *Garmann.* Tr. de Ovo humano §. 14. p. m. 7.

§. 25. Circa Vasa spermatica quam sudavit recentiorum diligentia Anatomicorum? Videre est ex *Regn. de Graaf.* Tr. de Organ Generat. *J. Rogersii* Tr. de Spermatosi c. 3. p. m. 409. seqq. *Wharton.* in Adenograph. c. 28. seqq. *Charleton.* Oecon. Animal. Exerc. 10. §. 8. *Th. Bartholin.* A. R. lib. 1. c. 21. p. m. 202. seq. *Diemerbrock* Anat. lib. 1. c. 21. *Joh. van Horne* in prodromo suarum circa partes generationis in utroque sexu obss. ad *Rolfincium* (Lugd. Batav. 1668. in 12.) &c.

§. 26. Adest aliud corpus glandulosum circa renes intra seculum ferme adinventum quod ipsemet Inventor Glandulas nominat, & post eum *Archangelus Piccolh.* atque *Bauhinus* teste *Th. Bartholin.* A. R. l. 1. c. 18. p. m. 188. sic Glandulas quoque renales vocant *Fr. de le Boë Sylvius* Disp. Med. 5. §. 28. & *Whartonus* Adenograph. c. 14. p. m. 77. Renes succenturiatos explicat *Jul. Casserius Placentinus*, CL. *Th. Bartholinus* A. R. l. 1. c. 18. & Cent. 1. Hist. Anat. 14. p. m. 29. alibique Capsulas atrabilarias;

quod

quod minus probat *Whartonus* Adenogr. l. a. p. m. 78. qui potius nominare amat glandulas ad plexum; sive glandulas ad plexum nerveum sitas. Conf. *Diemerbrock*. Anat. l. 1. c. 18. p. m. 108. Inventor celebratur *Bartholom. Eustachius* Eugubinus teste *Th. Bartholin*. A. R. l. 1. c. 18. p. m. 188. Huncque in eandem rem allegat quoque *Whartonus* Adenogr. c. 14. p. m. 78. De iis glandulis succenturiatis loquens Adr. Spigel. lib. 8. de H. C. F. c. 15. p. m. 314. scribit: Glandulæ (quarum nostra tempestate primus mentionem fecit Bartholomæus Eutachius Sanctoseverinus Medicus Romanus) duæ sunt, utrinque una, elatiori renis parti supra pinguedinem incumbens, externæ ejusdem membranæ, sed inprimis septo transverso, validissime adnexæ. &c. Nos in præsenti cadavere satis egregios invenimus in homine ceteroquin, uti dicitur, satis faceto & curis soluto, interius instar lienis putridi mucidos ex fusco. Credimus usum habere communem glandularum; aquam videlicet inibi sequestratam referre ad venas emulgentes; ut sanguis per arterias similes allatus, & in renibus sero suo orbus, fluidior possit redire &c.

§. 27. Supersunt & *Glandulæ ventriculi*; de quibus in anatome aquilæ omnino legi meretur Exc. Ol. Borrich. in Act. Hafn. Vol. 1. n. 2. p. m. 8. & *Glandulæ intestinorum*. Has nostra ætate primus *Th. Willis* Tr. de Medicament. Operationibus, intimæ intestinorum tunicæ, vel potius crustæ bombycinæ assignavit, quantum scit CL. *J. C. Peyer*. in Præf. ad Lect. de Glandulis Intestinorum. Nimirum *Willis* Pharmaceut. Rational. Part. 1. sect. 1. c. 2. p. m. 12. ait, crustam intestinorum interiorem & villosam in postica seu convexa ejus superficie, qua tunicæ nerveæ cohæret, glandulis annulatis nume-

rosis-

rosissimis ubique consitam esse: Alias tamen esse a suis videtur innuere CL. *Peyerus* l. a. & in instituti procemiali designatione p. m. 5. Edit. Schafhus. 1677. in 8. expresse ait ab Anatomicorum nemine, quantum ipse quidem viderit, satis exacte traditas has glandulas. Verum similes jam meminit *Pechlin.* de Purgant. cap. 34. p. m. 465. in ventriculo (œsophagi glandulas meminit *Meibom.* de Vasis Palp. nov. lit. B. 4. a. seq. 1666.) In ipsis vero intestinorum tunicis intertexi suspicatur c. 36. p. m. 506. Ex hoc it. *Willis Swammerdam* in Uteri muliebris Fabrica & *Stenon.* quoque præsupponit Exc. *Wedel.* meus Physiol. s. 3. c. 12. p. 131. & 135. Describit autem generaliter *Peyer* in Exerc. Part. 1. c. 1. p. m. 7. ita: *Tenuia prefectiorum animalium intestina accuratius perlustranti, crebra hinc inde, variis intervallis, corpusculorum glandulosorum agmina sive plexus se produnt, diversæ magnitudinis atque figuræ. Primo enim exigui in intestinorum principio; dein grandiores in ipsorum progressu; demum maximi in eorum exitu conspiciuntur. Est & ubi ingens intestini tractus, hujusmodi plexu glanduloso dense ac velut racematim consitus adparet: Idque circa Ilei extremitatem fere perpetuum est, cui glandulæ hæ adeo videntur domesticæ ac necessariæ, ut quamvis cetera subinde intestina, tamen hoc iis nunquam destituatur. Imo sicubi in Duodeno atque Jejuno desint, in Ileo defectus ille numero suppletur. Horum vero plexuum facies modo in orbem concinnata, modo in ovi aut olivæ oblongam, aliamve angulosam ac magis anomalam disposita figuram cernitur. Intra singulorum autem plexuum sphæram sive ambitum, glandulæ nunc plures, nunc pauciores subsistunt: Aliquando decem tantum manipulatim; sæpe viginti, quadraginta aut plures catervatim jun-*

guntur ; interdum multitudine pene innumerabili, in quendam quasi exercitum concurrunt, atque insignem intestini tractum obsident. Primum autem illas observavit cl. loc LXXIII. in fele domestica ceu scribit cap. 2. p. m. 11. *Harum glandularum magnitudo pro animalium mole ac ætate variat ; plerumque milii semen aut raphani, nonnunquam & Lithospermatis æquant ; alibi hos quantitatis terminos aut superare, aut infra subsistere visuntur. In recens natis sive infantibus sive brutorum catulis, non semper, aut demum indagine solerti reperiuntur. Color tam plexuum, quam glandularum iis contentarum, nunc pallidus, nunc aliquantulum rubicundus adparet, interdum plane candicant, & liquor glandularum papillis expressus, etiam albore quodam imbutus cernitur.* Nos bona nostra, & complurium adstantium Dnn. Spectatorum fide afferimus, in præsenti cadavere nos data opera investigasse exacte satis: Sed nil invenisse, nisi circa finem ilei unicam ex opposito mesenterii intus ad magnitudinem fabæ, & quasi a multis conflatam; quam ubi dissecuimus, satis ligamentosam invenimus, prætereaque nihil. Potuit forte & hoc accidere, quod ab aliquot jam diebus cadaver tractaverimus; aut quod intestina multa aqua fuerint elota; aut quod disparuerint &c. ideoque CL. Inventori nihil detractum volumus. De Glandulis intestini duodeni primum in homine inventis ab Excell. Joh Conr. Brunnero, Collega & Amico longe dulcissimo in Urbe Archi-Palatina vid. pecul. Disp. quam sub Ejus præsidio 1677. habuit filius meus carissimus, Georgius Fridericus. De *Glandulis conglobatis miliaribus nutritiis* a *Borrichio* inventis *G. F. Rauffendorff.* Disp. Inaug. de Podagra §. 1. pag. 1. Tubingæ 1684.

§. 28.

§. 28. In Censum recens inventorum veniunt quoque *Glandulæ & ductus salivales*. Duplices autem sunt, vel superiores, vel inferiores. Inferiores delineat *Th. Bartholin.* A. R. l. 3. c. 12. p. m. 542. His inventores dantur *Francisc. Glissonius* Anatom. Hepat. c. 45. p. m. 529. atque *Th. Whartonus* Adenograph. c. 21. Eosdem laudant etiam *Deusing.* Instit. Anat. Part. 3. c. 7. §. 9. Exercit. de Chylificatione §. 11. & Exerc. de Chyli motu §. 59. Exc. *Conr. Vict. Schneider* de Catarrh. l. 3. sect. 1. c. 11. p. m. 423. seqq. *Th Bartholin.* Epist. ad Hoboken. p. m. 74. & alibi *Gerh. Blasius* Comm. ad Vesling. Anat. p. m. 154. *Diemerbrock.* Anat. l. 3. c. 24. p. m. 458. *Kerckring.* in Præf. obs. *Franc. Piens* de Febribus l. 1. c. 5. p. m. 27. *Regn. de Graef.* de Succo Pancreat. c. 1. p. m. 5. seq. &c. Magis tamen a Whartono denominare discupiunt *Joh. van Horne* Microc. §. 19. *Deusing.* Exerc. de Alim. Elaboratione &c. Whartonumque publici juris clↄ Iↄc LX inventionem fecisse scribit *I. T. Schenk.* Schol. Part. p. m. 240. Verum *Regn. de Graef.* l. a. ait, Whartonum jam A. C. clↄ Iↄc LV. invenisse. Quamvis jam olim antiquis Medicis innotuisse alii velint. Nempe *Galeno* lib. 11. v. p. c. 10. fuisse cognitos, statuunt CL. *Th. Bartholin.* Cent. 3. Epist. 50. p. m. 208. *Piens* de Febb. in genere p. m. 27. atque CL. *Joel Langelott.* apud *Th. Bartholin.* l. a. Epist. 63. p. m. 253. Verum quæ glandulæ ibi intelligantur, adhuc in dubio est, quod non male movit CL. *C. Hofmann.* in Nott. ad Galen. V. P. n. 804. sed nodus nondum est solutus, *Ebn-Sina* quoque descripserit l. 3. Canon. fen. 6. t. 1. c. 1. quod prolixe ita statuunt *Th. Bartholin.* & cum eo *Langellot. Piens. Diemerbrock.* ll. aa. &c. item *Haly Abbas* 3. Theor. c. 16. atque *Isaac* testibus iisdem ibidem, atque CL.

Th. Bartholino Cent. 4. Epist. 4. p. m. 18. ac Epist. ad Hoboken p. m. 75. Denique *Jacobus Carpus* in Mundinum p. m. 401. (ceu ex eodem *Carpo Berengario* refert CL. *de Fren.* apud *Piens* de Febb. Tr. in genere c. 5. p. m. 27. *Diemerbrock.* l. a.) aperte indigitaverit. Conf. *Th. Bartholin* Tr. defens. Hepat. p. m. 575. alleg. *Garmanno*, Tr. de Ovo hum. §. 14. p. m. 7. Carolus Fracussatus Epist. de Lingua p. m. 253. seq. ait: Uligo salivalis manat a fontibus salivalibus, quorum scatebras primi *Carpus, Zerbus & Achillinus* noster, Anatomica aperuerunt indagine; & ideo novitatis gratiam sive Stenon, sive Blasius illas in antecessum velint detexisse, apud Italos jam exstiterunt. Nos, quemadmodum non negamus, Galeni locum penitius inspectum ἐν πλάτει posse multa involvere: Accuratam tamen rei definitionem potius Whartono tribuimus Disp. pecul. de Saliva & Vasis salivalibus c. 4. p. m. 14. Heidelberg. 1673. cum *Diemerbrock.* Anat. l. 3. c. 24. p. m. 458. Eorum descriptionem vide sis apud *Th. Bartholin.* A. R. l. 2. c. 11. p. m. 445.

§. 29. *Salivales ductus superiores* nec ita prius inventi. Hi ab utroque latere in parotide glandula ramificationes spargunt, & ab eadem oblique descendunt sub cute; centrum musculi buccinatoris perforant, & amplo foramine desinunt intra cavum oris, in quod humorem salivalem eructant, scribente *Joh. van Horne* in Microcosm. §. 19. p. m. 28. De inventionis gloria (uti fere ubique fieri assolet) contendunt CL. *Ger. Blasius* Med. Prof. Amstelodamensis Med. General. p. m. 64. & Dn. *Nicol. Steno*, Danus, olim Anatomicus maxime industrius, nunc Episcopus Titiopolitanus in Prodromo Apologiæ, & Tr. de Muscul. & Glandulis p. m. 34. Uterque honoris sui strenuus vindex in scriptis publicis & apud *Th. Bartholin.* Cent. 3. Ep.

24. & 43. CL. *Stenonio* adſtruunt *Joh. van Horne* l. a. *J. T. Schenk* Schol. Part. lib. ult. part. 3. c. 7. p. m. 241. additque clↄ lↄc LXIII. ab eo editos. it. *Regn. de Graeſ.* de Succ. Pancr. c. 1. p. m. 6. Et ad hunc inclinant quoque *Th. Bartholin.* Epiſt. ad Hoboken. p. m. 74. *Kerkring.* in Proem. obſſ. *Fr. de le Boë Sylvius* Prax. l. 1. c. 10. §. 2. *Joh. van Horne* & Celeb. *Wedel.* Phyſiol. ſ. 3. c. 7. p. m. 111. &c. CL. *Blaſio* autem *Hobokenius* aliique Utrique CL. *Th. Bartholin.* A. R. l. 3. c. 9. p. m 523. Et componit, dum hiſtoriam eorum deſcribit, rem ita *Diemerbrock* Anat. l. 3. c. 24. p. m. 459. inquiens: *Præter dictos ſalivales adhuc alii duo, utrimque unus, anno 1661. menſe Januario a D. Joh. van Horne in publico Leydenſi theatro Anatomico demonſtrati fuerunt, quos ille* ductus Stenonis *appellavit, a* Nicolao Stenonis, Dano, *qui illi primus eos oſtenderat, in eorumque cognitionem caſu inciderat, dum Amſtelodami aliquandiu ante, cum hoſpite & Præceptore ſuo* Gerardo Blaſio, Medicinæ Profeſſore, *caput ovillum diligentius perluſtraret. Hinc poſtmodum inter* Blaſium & Nic. Stenonis *lites obortæ ſunt, & primæ inventionis gloriolam editis libellis ſinguli ſibi vendicarunt. Quid ſi, ut illæ lites inter hos amicos dirimantur, utrumque in iſta inventione parem conſtituamus? vel dicamus,* Blaſium *in ovillo, alterum in humano capite illos primo inveniſſe?* Nimirum invenit *N. Steno* d. 7. April. clↄ lↄc LXI. cum caput ovillum ſecaret, ut ipſemet ſcribit apud *Bartholin.* Cent. 3. Epiſt. 24. Nos in præſenti Anatome utrinque ſatis invenimus ex parotide vere conglomerata & ſatis magna lato principio exeuntes ferme ad tenuis calami ſcriptorii craſſitiem & omnibus Dnn. Spectatoribus palpandos ſuis manibus dedimus.

§. 30. *Alios novos ſalivares ductus* proponit CL.

Diemerbrock Anat. l. a. p. m. 459. his verbis: *Præter hæc* (priora ſcilicet Stenoniana &c.) *adhuc plura alia minima in ore exiſtunt, præcipue in palato & buccis* (de his ante dictum) *quæ hactenus inviſibilia latent: Verum ſalivæ ex iis partibus tranſitus docet, per talia aliaque vaſcula, aut per poros membranæ inveſtientis illam, ſalivam ex multis exilibus glandulis intra membranam ſitis, exſtillare: Per quorum pororum conſtrictionem interdum a ſalivali liquore intra membranam detento; interius in buccis & palato tumores indolentes oboriuntur, qui multoties brevi tempore, vel inſenſibiliter, vel cum multa ſputatione ſolvuntur, vel Chirurgi inſtrumento aperiendi veniunt.* Et jam olim videtur quoque tetigiſſe *Steno*, ceu legere eſt in noſtra Diſſert. de ſalivalibus vaſis c. 4. p. m. 16 Nimirum τὸ σῶμα ἡμῶν ξύῤῥουν καὶ ξύμπνουν καὶ ξυμπάθεια πάντα, juxta *Coi* effatum.

§. 31. Novas *Glandulas & vaſa* nova *lacrymalia* in oculis deſcribunt CL. *I. T. Schenk* in Schola partium part. 3. c. 7. p. m 242. ſeq. *Wedel.* Phyſiol. ſ. 3. c. 26. Inventori *Nicol. Stenonio* tribuunt, quod & faciunt *Th. Bartholin.* A. R. l. 3. c. 8. p. m. 512. atque *H. Meibomius* de novis palpebrarum vaſis lit. B. 2. b.

§. 32. *Præter hæc* (ſunt verba Magni *Th. Bartholini* A. R. l. jam c.) *in utriusque palpebræ extrema ora, ſeu tarſi interna parte,* Ductus ſeu oſtiola *ultra XXX. in toto limbo deſcribit* Henricus Meibomius *a ſe obſervata, ex totidem diſtinctis glandulis, quæ preſſæ humorem fundant per oſtia hæc limbi. In ſuperiori tarſo longiores ſunt, quia & palpebra latior, nec recta feruntur: In inferiori & recti & breviores. Ductus Hygrophthalmicos vocat Borrichius, cui quoque forſan eodem tempore viſi ſunt; quos potius Hygroblepharicos dicendos vult Segerus; quia*

intra

intra orbitam inque palpebras se exonerant. Nimirum CL. Inventor *Henr. Meibomius* Medicus elegantissimus in Epist. ad Exc. *Joel. Langellot.* de vasis palpebrarum novis Helmstad. 1676. edit. ea plenius describit lit. B. 3. a. seq. docetque alia esse ab iis, aut saltim longe clariora, quæ *Dominicus Marchettis* Anat. p. 206. de externi anguli oculorum duobus foraminibus proposuit. Invenit autem primum. Exc. *Meibomius* clɔ lɔc LXIII. ceu testatur in laudata Epist. lit. B. 1. a. Eadem in limbis palpebrarum capitis vitulini longe plurima, pulcroque disposita ordine, oculo, cultro, setis investigavit. Exc. *J. D. Major* in Colleg. Med. Curios. specim. 3. §. 11. additque flatu similiter investigare vix licuisse, ob laxitatem & teneritudinem obliquitatemque aquosorum ductuum; simulque inventorem CL. *H. Meibomium* laudat, quod & facit Exc. *Wedelius* Physiol. f. 3. c. 26. p. m. 184. uterque Fautor, Collega & Amicus æstumatissimus.

§. 33. *Cutis* sub porulis *Glandulas* lyncei Anatomicorum hujus seculi oculi fecere clariores; siquidem CL. *Stenonius* observavit, singulis poris suam glandulam subjacere, quæ vel major est in ægris, vel minor in sanis. Major est in iis, qui sudant multum & sæpe. Ad has glandulas pororum miliares per transversum excurrens nervus hiat, *Malpighio* notante, imo ipsæ arteriæ. Ex minimis his glandulis excernitur per totum sudor &c. referente CL. *Th. Bartholino* A. R. l. 1. c. 2. p. m. 21. Anton. Sidobre, Doctor Mompeliensis, Tr. de Variolis & Morbillis cap. 10. p. m. 142. ait: Enimvero glandulis per totam cutem milii instar disseminatis, est a natura adtributum, ut per eas sudori & insensibili perspirationi detur exitus. Glandulas ejusmodi miliares in pectoris quoque cute publice demon-

ſtravit Excell. *Carol. Drelincurtius*, ceu vidit & retulit CL. *Pechlin.* de Purgant. c. 34. p. m. 472. qui antea p. 471. ita: *Latent cutem inter & pinguedinem ſubſtratam glandulæ, quæ copioſum ſerum, maxime vero ad motus augmentum in ſe recipiunt, perque ſuos ductus revomunt. Hæ glandulæ oculo anatomico patent, modo ſubtili manu expediantur, quod vel in femorum pinguedine, aut paſſim in leucophlegmaticis felicius tentatur.* Pergit paulo poſt p. 472. *Ab hocce glandularum ſubtegmine tubuli etiam nonnulli exporriguntur; omnibus enim glandulis ſua ſunt excretoria, in ultimam continuati cuticulam vix, & niſi a ſudante ſero, patentes. Sed & aliquot in partibus tractim digitis mulcendo humor hiſce oculis emungitur ſeroſus, ut in digitorum pulpa & alibi corporis, diſpoſito jam ad ſudorem ſanguine, plus millies expertus ſum.* Hinc *Blaſius* quoque Anat. hominis l. 1. c. 2. p. m. 2. ſtatuit cutis ſubſtantiam membranaceo-glanduloſam. Hoc jam antea quoque olfecit *Joh. van Horne*, ubi in Microcoſm. §. 64. duplicem cutis ſubſtantiam expoſuit, exteriorem ſcilicet nerveam, albam, poroſam; interiorem vero carneam & veluti NB. parvis glandulis refertam. Hinc *Garmannus* de miraculis mortuorum l. 1. tit. 1. §. 16. p. m. 6. Ait pilorum humorem, quo nutriuntur, hærere in Cutis glandulis. Quid enim (pergit) cutis niſi glanduloſa ſubſtantia? Evolve omnino Ol. Borrich. in Act. Hafn. Vol. 1. n. 98. p. m. 190.

§. 34. Scilicet CL. *Steno* apud *Th. Bartholin.* Cent. 3. Epiſt. 65. p. m. 263. eas perſcribit Lugduno-Batav. 9. Januar. ſt. n. clɔ Iɔc LXII. Adeoque jam viderat clɔ Iɔc LXI. Eodem die & anno ex eodem Lugdun. Batav. ad eund. *Bartholin.* (uti legere eſt Cent. 3. Epiſt. 97. p. m. 420. ſcribit hæc Exc. *D. Borrichius* de Anatome Typographi a *Joh. van Hor-*

ne adminiſtrata: *Labia, quod tumidiora deprehenderentur, aperta, magnum glandularum numerum ſtatim ſub cute oſtendebant, poſtridie privatim aperta crura itidem,* infinitas glandulas ſub cute *latere docebant, ut forſan non incredibile ſit annexas eſſe per univerſum corpus cutis interiori faciei* glandulas minutiſſimas, *ex quibus ſudor exprimatur, adeo, ut pori corporis non ſint niſi harum glandularum minuti ductus, eſſe autem has glandulas in ſano corpore adeo minutas, ut viſum pæne fugiant, in morboſo conſpectiores.* De figuris harum glandularum agit Godofrid. Bidlou in Vindiciis contra Ruyſchium p. m. 5. ſeqq.

§. 35. *Valvulæ venarum* ſuccedunt, quas Oſtiola vocavit *Hieron. Fabric. ab Aquapend.* Tr. pecul. de illis. It. *Rolfinc.* Diſſert. Anat. l. 5. c. 14. p. m. 860. Cum vero aliquam multi auctores eas partim conciſe, fuſe partim & adtigerint & tractarint, videbor poſt Homerum Iliada ſcripturus. Erigit me tamen conatus Ampliſſ. *Th. Bartholini,* qui A. R. lib. 1. c. 2. p. m. 594. eas tractaturus; ait: *Quia vero hæc de valvulis venarum doctrina* paucis cognita eſt, *exactius, more noſtro in* rarioribus *uſitato eam proponemus.* Sunt autem illæ definiente *Aquapend.* *l. a. membranulæ aliquot tenuiſſimæ* (ita vocat quoque *Spigel. H. C. F.* l. 5. c. 1. recte tamen CL. *Th. Bartholin.* l. a. p. m. 594. ſeq. limitat; aitque, in orificiis vaſorum cordis eſſe craſſas) *in interna cavitate venarum, quæ potiſſimum in artus diſtribuuntur per intervalla nunc ſingulatim nunc geminatim diſpoſitæ, ac ſurſum quidem, verſus venarum radicem orificium habentes; infra autem clauſæ, & non diſſimilem formam exterius præ ſe ferentes, ac nodi in plantarum ramulis & caule apparent. Riolanus Diſſ de Valvulis venarum in principio* ait, eſſe veluti ap-

pendices tunicæ venarum intra cavitatem ſuam eminentes. E membrana quadam tenuiore, ac ipſa vena eſt conſtare, ſcribit *Spigelius* l. c. Figura prorſus ſimiles ſunt valvulis illis, quæ in corde reperiuntur, atteſtante *Spigel.* l. a. videlicet Sigmoides ſive ſemilunares, teſtibus *Harvei* Exerc. 1. Anat. de motu cordis p. m. 120. *Riolan.* Diſſ. de Valvul. Venar. Conjunctim ut plurimum geminæ reperiuntur, utrimque ſcil. una, interjecto ſpatio diſtantes iidem ibid. Neutiquam vero ſpectant verſus partes, uti opinatus eſt *Aquapendens l. a.* Sed verſus Cor, *Harvei* l. a. p. m. 120. ſeq. *Highmorus* Diſquiſ. Anat. f. m. 50. Cavitate ſua (inquit *Spiegel.* l. d.) venæ cavæ truncum ſpectant; at convexa ſede exteriores artuum partes. *Riolan.* l. c. p. m. 104. dicuntur ſitu diverſo alternatim poſitæ, ita ut ſequentis membranulæ latus, præcedentis convexam partem reſpiciat. Adde *Harvei* l. d. p. m. 120. Tota res αὐτοψίᾳ patet. Poterit quoque quilibet in ſemet ipſo rem probare, in cubito præcipue ſuperius, ceu multoties in memet expertus ſum, aliique mecum; ſi nimirum verſus digitos & extrorſum altera manu venas (præcipue cephalicam dictam ejusque ramos) premendo tentes; circa valvulas intus latitantes obſervabis exterius durum tuberculum renitens, inſtar nodi alicujus: Secus autem eveniet, ſi a carpo verſus humerum protrudes in venis ſanguinem, nihil enim tunc obſtabit; teſtibus *Harvejo* l. a. p. m. 124. ſeqq. *Spigel. H. C. F.* l. 5. c. 1. *Th. Bartholin.* A. R. p. m. 594. qui addit, etiam apparere in vivorum brachiis ad phlebotomiam ligatis; quibusdam vero, ut bajulis & ruſticis varicum modo in cruribus intumeſcere. Iconem quoque expreſſam proponunt ſpectandam *Harvei* atque *Bartholin.*

§. 36. Inveniuntur autem ejusmodi valvulæ non

ſolum

solum in venis majoribus circa Cor; sed etiam in majoribus venarum ramis, inprimis in illis, qui in artus disseminantur, teste *Spigel. H. C. F.* l. 5. c. 1. p. m. 180.

Sic *Vesalius* in Exam. obs. *Fallop.* notat a *Canano* sibi propositas fuisse membranulas in majoribus venis, quales exstant in corde; apud *Riolan.* l. a. p. m. 105. In trunco cavæ ex hepate prosilientis, *Riolan.* p. m. 105. & *Carol. Stephanus* apud eund. Nunquam tamen se observasse scribit *Riolan.* p. m. 106. *Th. Bartholin. A. R. libell. 1. c. 2. p. m. 595.* ait: *In cavæ trunco non reperiuntur, quia in divaricationibus positæ valvulæ regressum satis inhibent; nec moram in trunco copia trahit.* Unicuique tamen cavæ surculorum orificio in brutis, ubi in cavam inhiant, valvula apposita est, scribente *Nathan. Highmor.* Disq. Anat. l. 1. p. 3. c. 1. f. m. 50. In artuum venis, *Riolan.* p. m. 104. In *Cava descendente* duas, interdum quatuor observavit *Riolan.* in Enchir. Anat. & Diss. de Valvul. Venar. p. m. 106. In *Emulgentibus Vesal. Harvei* p. m. 121. & *Riolan.* p. m. 107. In ramis mesenterii versus portæ venam; *Harv. & Riol.* ll. aa. Dantur quoque in trunco venæ portæ, quamvis nullas viderit *Riolan.* p. 107. In Iliacis ramis prope coxendicem *Harvei* p. m. 121. In Cruralibus *Jac. Sylvius* ap. *Riolan.* p. m. 105. & 107. *Harvei* l. c. In Saphæna *Riolan.* p m. 107. In Azygi ore ex mente *Jac. Sylvii ap. Riolan.* p. m. 105. Harum auctorem esse *Cananum*, scribit *Amat. Lusit.* C. 1. Cur. 51. *Vesal.* in Ex. f. 83. Conf. *C. Hofmann.* Apol. pro Galen. l. 2. s. 4. c. 64. In Jugularibus, *Riol. lb. Harvei* p. m. 121. In jugulari interna *Riolan.* p. m. 104. & 106. negat tamen *Aquapend. & Th. Bartholin.* A.R. libell. 1. c. 2. p. m. 595. quia difficulter sursum regreditur sanguis venosus sua sponte gravis, nec repagu-

lo ibi indiget. In externa jugulari *Riolanus* negat; ratio vero ejus est calva. Quin in suspensi venis jugularibus, præsertim dextra externa valvulam semilunarem observavit CL. *Joh. Rud. Salzmannus* in Obs. Anat. 10. Febr. 1609. quæ tamen non sursum sed deorsum spectabat, ita ut potius adscensum quam descensum sanguinis impedire posse crederetur. Et revera hoc non miratus esset Optimus Vir, si ipsi innotuisset sanguinis circulatio, cujus tunc nec vola nec vestigium in scriptis erat. Axillaris duas habet in exortu suo seriatim dispositas; *Riolan.* p. m. 106. Hucque videntur referenda illa, quæ CL. *Nic. Stenonis* perscribit ad Immortal. *Th. Bartholin.* quæque Cent. 3. Epist. 65. p. m. 264. ubi de ductu thoracico agit leguntur: *Nuper observavi illius* (ductus thoracici) *in vena cava ostiolum* valvula satis magna *& eleganti adversus regurgitantem sanguinem munitum, quæ eadem valvula etiam ductus lymphatici a collo descendentis exitum claudebat. In miseram primo per modo dictum lymphaticum setam in ipsam usque cavam, hinc & per ductum thoracicum in eandem axillarem viam tentans, eo vix tandem penetravi. Cum itaque in ipsa cava versari setas deprehenderem, aperui illam, & simul in conspectum produxi bina ostiola sibi admodum vicina,* & communi valvula *tecta*. In venis colli cerebrum subeuntibus *Riolan.* p. m. 104. cervicalem vero non habere statuit p. 106. forte præter rationem. Humeralis duas vel tres valvulas obtinet; *Riolan.* p. 106. In Brachialibus *Jac. Sylvius* ap. eund. p. 105. Hicque in Cephalica & Basilica innumeras vidit alternatim collocatas p. 106. In Coronalis orificio *Riolan.* ib. In Umbilicali vena nullas esse statuit *Hoboken.* Anat. secundin. hum. p. m. 89. seq. 139. 192. 233. 298. & 481. credo tamen accuratius inquisituro

turo

turo forte etiam apparituras. In venis externis exiguis non dari, ſcribit *Th. Bartholin.* A. R. p. m. 595. quia ob parvitatem non indigebant, nec metus ullus a regreſſu propter viciniam pellentium partium & arteriarum. Credo tamen forte non defore; Sed opus Argo eſt, qui totus ſit oculeus, cum propter exilitatem vix oculo nudo conſpici poterunt; forte microſcopia heic opem ferrent. De numero eorum ita CL. *Th. Bartholin. l. a. p. m. 596. Numerus omnium variat, ut & intervalla. Sunt enim plures valvulæ in iis (1.) Qui Melancholico ſanguine abundant, aut e contra bilioſo & tenuiſſimo, quod uterque humor & facile pellenti reſiſtat, & facilius pondere ſuo & tenuitate ſemel pulſus refluit. (2.) In corporibus magnis, aut magis carnoſis ideoque plures venas habentibus. (3.) In iis, qui vaſa habent latiſſima. (4.) In iis, qui longas rectasque venas habent, nam in obliquis impeditur nonnihil a recurſu ex obliquitate ſanguis. Numerus certus non conſtat, quia novæ quotidie deteguntur & valvulæ & vaſa. Nonnulli 108. valvulas numerant, ſed plures dantur: &c. Diemerbrock. Anat. l. 7. c. 1. p. m. 516.* Denique valvulas in venis Triplices imo & Quintuplices eſſe ſtatuit *Kerckring.* obſ. Anat. 4. quem vide omnino.

§. 37. Uſum earum quod ſpectat, credit *Jac. Sylvius*, referente *Riolano* p. m. 105. uſus ejusdem eſſe cum membranis ora vaſorum cordis claudentibus. *Aquapendens* ſtatuit, ut ſanguinem remorentur, ne confeſtim gravitate ſua, aut fluminis inſtar in partes exterius ruat, unde ſuperiores forte alimenti penuria laborent, inferiores vero perpetuo tumeant. Sed recte refutatur ab *Harvejo* p. m. 121. *Riolanus* p. m. 104. ait eſſe, ut tanquam janitrices ſanguinis curſum & impetum moderentur; in artubus vero conſentit

Aqua-

Aquapendens. Conferat. *Spigel H. C. F.* l. c. 1. Hinc quoque *Primerosius* contra Harvej. ait, sanguinis motum valvulis in venis impediri, ita ut non tam subito redeat, quam affluit: Huicque non multum abludit Celeberr. *Mauritius Hofmannus*, Fautor atque Amicus noster honoratissimus (citante *Lud. Müllero* Disp. de Varicib. p. m. 7.) quando putat, esse instar obicis atque remoræ; quo minus sanguis imitari queat nepam, velaque sua vertere & affluens refluere. Adstipulatur Beat. *P. I. Sachsius* in Ocean. Macromicroc. ss. 73. p. m. 70. His contrariam fovet opinionem *Highmor.* Disq. Anat. l. 2. p. 2. c. 5. f. m. 155. statuitque has valvulas potius sanguinis motum promovere, quam impedire, quia idem præstent officium, quale in cochleis & aquæ ductibus artificiales illæ valvulæ coriaceæ præstant &c. Nec abludit huic simili *Harvei* Exerc. Anat. 1. p. m. 124. id. ib. cap. 13. p. m. 121. seq. vult factas ne a venis magnis in minores moveretur sanguis, & sic illas dilaceraret, aut varicosas efficeret; neve a centro corporis in extrema, sed potius ab extremitatibus ad centrum progrederetur. Hunc quidem reprehendit *Riolan.* p. m. 104. sed non satis habet causæ. *Highmorus* disquis. Anat. l. 1. p. 3. c. 1. f. m. 50. non male ita infit: *Quæ ad cavæ latera interiora adhærentes, ac in orificia vasorum incidentes, ea exacte claudunt: quarum aliæ majores sunt, aliæ minores, surculorum magnitudini respondentes, sursum omnes ad Cor spectantes. Quarum usus in brutis multo major est, quam in hominibus, qui erecti incedunt. Bruta enim, dum prona ambulant, pondus massæ sanguineæ cavam præterlabentis (cum pars hæc hepati proxima infima sit) facile ora vasorum e jecore pro-*

d eun-

deuntium deprimit, eaque violat. Ideoque natura valvulas adposuit, ut sanguis & in cava præterfluat, & simul ex illorum vasorum orificiis emanet Conf. *Jac. de Back* diss. & Corde sect. 3. c. 6. *Rolfing.* diss. Anat. l. 5. c. 14. p. m. 865. Alex. *Maurocordat.* de motu & usu Pulmonum c. 5. per tot.

§. 38. Sed e diverticulo in viam redeundum est. Ecquis perutilium harum valvularum Inventor? Nimirum uti in omnibus noviter repertis accidit ut per ambitionem vel multi simul inventionis palmam sibi postulent; aut per invidiam antiquis deferant, de qua sæpe hi ne per somnium quidem cogitarunt: Sic quoque circa Valvulas venarum comparatum est; ut vel obtorto collo earum inventio rapiatur & referatur ad Antiquos.

§. 39. *Non est dubium* (sunt verba *Riolani* de Valv. p. m. 105.) *istas membranulas venarum a veteribus animadversas, & ἐπανθισμὲς dictas fuisse quod ex Ruffo Ephesio probatur* cap. 23. l. 1. (Verum in mea Edit: Lat. quæ est Henric. Stephani Fol. 1567. est lib. 1. de appellat. part. corp. hum. cap. XXXIII.) Locum e mea editione adscribam: *Omnium autem, quos noverim, primus Dionysius* Oximachi filius ἐπανθισμὲς (quasi dicas efflorescentias) *nomen novum adinvenit; atque* (in Edit: altera *atque* legitur) *Eudemus* ἐπανθισμὸν *venam appellari. Sed mihi Dionysius rem quidem venæ similem,* ἐπανθισμὸν, *non idem tamen venam atque* ἐπανθισμὸν, *sed quoddam aliud adventitium sanguinis receptaculum* (Græca *Riolanus*

lanus addit: ἀλλὰ τὶ καὶ ἄλλο ἐπίκληλον ἀγγεῖον αἵματ(ος) *vocare visus est*: φλέβα, ἐπανθισμὸν & *ἀρτηρίαν inculcans ac repetens. Neque enim si rem eandem* φλέβα & ἐπανθισμὸν *putaret, ita unquam locutus esset. Nam etsi nihil aliud* ἐπανθισμὸς *quam* φλὲψ *est, nihilominus ipse aliter sentit atque appellavit.* Sed quis Oedipus inde conjiceret has valvulas a *Dionysio* indigitari. Quidni posset aliquis suspicari, forte auriculas cordis tanquam venæ fimbriam s. extremitatem hoc nomine venire? Forte varicem? sed heic nihil definiam. ἐπανθισμὸς, ap. *H. Stephan.* in Thes. Gr. Lingu. tom. 1. f. m. 448. est exornatio seu illustratio, quæ fit adhibendo floridos Colores. Eadem habet *Scapula* in Lexic. In *Vulg. Lexic.* citatur ex *Dioscor*: pro Flore. Illustr. *Salmasius* Exercitt: Plin in Solini Polyhist. f. m 255. b. ait: Spuma est ἐπανθισμὸς, aliud quam ἔ βρασμα scil. ap. *Dioscor.* l. 5. c. 61. legitur ἐπανθισμὸς πορφύρας quod redditur a *Marcello Vergilio*: Flos purpuræ. Verum *Salmasius* l. a ait legendum ἐπανθισμὸς πορφύρας, ex purpurrariis officinis desumtum, quod liceat purpurissum vocare. Repetit *Idem* f. 1078. b. Procul dubio oritur ab ἐπανθίζω floridum reddo; quod ex *Luciano* & *Gregorio* allegat *Budæus* ap. *Stephan.* l. d. Alias ἐπάνθισμα significat efflorescentiam, atque idem quod ἐξάνθημα apud *Hippocr.* I. Prorrh. s. 1. t. 21. s. 2. t. 25. Coac. t. 579. a verbo ἐπανθέω effloresco, quod legitur l. 7. Epid. 23. 19. ait Exc. *Bruno* in Castello Renov. f. m. 521. *b.* Explicat quoque *Fœsius* in Oecon. Hipp.

f. m.

f. m. 222. *a.* ἐπανθισμοὺς quoque a *Galeno* l. de venis, appellari venas capillares scribit *Riolan.* l. a. p.m. 106. dubito tamen de loco illo. Adeoque nihil validi de cognitione valvularum in venis tempore Ruffi vel antea etiam elicitur.

§. 40. Imo idem *Riolanus* non erubescit l. a. asserere *Hippocratem* jam olim subolfecisse venarum valvulas in lib. de Oss. nat. Eundemque in hanc rem quoque citat CL. *Rolfing.* l. 5. diss. Anat. c. 14. Locus est Edit: meæ Foës: Fol. 1595. Francofurt. ferme in medio libelli f. m. 60. ubi venam humeralem fuse describit his verbis: αὐτὴ δὲ αἱμόῤῥους καὶ αἱματώδης, καὶ δυσίητος ἢν ῥαγῇ καὶ ἢ σπασθῇ τῇ μὲν γὰρ αὐτὴν νεῦρον περιέχει πλατύ, τῇ δε χόνδρος. Τὸ δὲ μεταξὺ αὐτῶν αὐτή τε ξυνέχει, καὶ ὑμὴν ἀφρώδης. i. e. vertente *Foësio: Hæc autem sanguine fluit & redundat, ruptaque & divulsa non nisi ægre curatur. Altera siquidem ex parte nervo lato connectitur, altera vero cartilago est. Medium vero horum locum ipsa continet, & pellicula Spumosa.* Ὑμὴν ἀφρώδης igitur hic nihil significet, nisi referatur ad valvulam venæ humeralis, quæ duas vel tres in medio brachio obtinuit valvulas ita censente dicto *Riolano.* Verum miror, quod CL. Vir, quem tamen statim in sequente loco laudavit, non inspexerit *Foësium*, qui in notis ad h. l. n. 49. f. m. 131. ita dixerat: *Ceterum hic videtur spumosam pelliculam vocare, Carneam illam membranam, qua humeraria sub cute fulcitur, tum internum latus*

musculi brachium adtollentis, & validum tendinem musculi brachium ad pectus adducentis, perreptat quem nervum venam appellare mihi videtur. Et re vera *Foësii* conjectura mihi non displicet; novi enim illam membranam sub ala plane apparere Spumosam, quod multoties in anatome hominum & canum observavi; ubi non cultro sed digitis manubriove illa membrana separatur. Adeoque nullatenus ex hoc loco de Venarum valvulis conjicere tuto licebit.

§. 41. Sed ab eodem Riolano Ibid: alius locus *Hippocratis* in subsidium vocatur ex eodem libro fere circa finem; ubi venas pedum describit, & inter alia ait: Παρὰ δὲ τὴν γαστροκνημίην οἷον σφενδόνην πεποίηται. i. e. At juxta posteriorem tibiæ partem carnosam fundam facit. Ad h. l. *Foësius* in notis f. m. 132. ait σφενδόνην sumi pro quodam venarum ductu fundam similitudine referente, angustis extremis & medio latiore; Quæ & habet in Oeconom. Hipp. f. m. 605. a. ubi plura adhuc alia de hac voce. Ex hoc loco igitur ita concludit *Riolanus: Annon intelligit Ostiola venæ suram perreptantis quoniam vena ibi semper latior & amplior, ubi valvula consistit?* Verum ficulneum hoc est argumentum. Loquitur enim *Hipp.* (vel quisquis libelli auctor est, vide disceptationem super hac re ap. *Foës.* in nott. ad h. librum n. 1. f. m. 128. Sed Hippocrati adstruit Exc. D. *Segerus*, diss. de Hipp. l. π. καρδ: c. 5. §. 4.) de externa forma venæ, ad quam similitudinem instituit,

ſtituit, non autem de interna ſtructura, aut repagulo quodam membranaceo. Siquidem & veteribus varices noti erant; quibus tamen de valvulis nihil innotuerat.

§. 42. *Ebnſina* (vulgo Avicenna) celebratur primus, qui de his valvulis egerit a *C. Bauhino* Anat. l. 4. c. 36. p. m. 1227. dum cellulas in venis ſtatuerit: Ex eodem quoque refert *Th. Bartholin.* A. R. p. m. 594. Verum nondum ap. Avicennam obſervavit CL. *Riolanus* l. a. p. m. 106. adeoque recte ego cum eodem locum deſignari cuperem.

§. 43. *Hieronymus Fabricius* ab Aquapendente Anatomicus Patavinus celeberrimus a plerisque Inventor laudatur; ſiquidem ipſemet A. C. ꝏ D. LXXIV. in publico theatro Anatomico ſumma cum lætitia obſervavit & demonſtravit, miratusque quod nemo ante ipſum viderit, teſtibus *Kerkring.* in procem. obſſ. *C. Bauhin.* l. a *Rolſincio*. Diſſ. Anat. l. 5. c. 14, p. m. 862. *Th. Bartholin.* l. c. p. 594. *Riolan.* l. c. p. m. 105. *I. D. Major.* Anat. 1. Kilon. c. 2. §. 30. f. m. 12. *Harvei.* Ex. 1. de Circul. c. 13. p. m. 120. *Spigel.* 1. 5. H. C. F. c. 1. *Ludov. Miller* diſp. Inaug. de varicibus §. 4. p. m. 7. Altdorf. 1680. Idemque Aquapendens de iis tractatum evulgavit 1603. cuſum teſte *C. Bauhino* l. a. ſcil. Patavii in Fol. qui recuſus ibid. 1625. & Francof. 1644. & 1648. in Fol. teſte *Livdenio* de ſcript. Med. l. 1. p. m. 254.

§. 44. Verum *Aquapendentem* indicia accepisse harum valvularum a Rev. Patre *Paullo* Monacho Servita, Veneto; non sine aliqua ingratitudinis exprobratione scribitur in Ejus Vita, quod Inventorem subticuerit, testibus *Riolano* p.m. 105. *Th. Bartholin.* A.R. p.m. 594. *Sarpium Servitam* vocat *Gassendus* in vita Peireskii l. 4. p. m. 438. Primumque inventorem statuit. Eidemque *P. Paullo* adscribit *Rolfingius* diss. Anat. l. 5. c. 14. p.m. 862.

§. 45. Imo jam antea *Jacobum Sylvium* Med. Prof. Parisiensem illas cognovisse scribit *Riolan.* p. m. 105. & ex hoc *Harvei* de Motu Cord. & Sangu. Exerc. 1. c. 13. p. m. 120. Eidemque tribuunt *Rolfinc.* l. d. atque *Th. Bartholin.* p. 594. *Maurocordat.* c. 4. p. m. 31. Scil. in Isagoge sua Anatomica l. 1. c. 2. de Membranis, teste *Riolano*, ubi Epiphyses vocat. Adeoque non male pro primo haberi potest, qui eas denotavit.

§. 46. *Vesalius* in Exam. Obss. Fallop. notat etiam a *Canano* sibi propositas fuisse membranulas in majoribus venis, qualis extant in corde, uti ex eodem refert *Riolan.* de Valvul. venar. p. m. 105.

§. 47. Deinceps multi alii easdem observarunt. Sic *Salomon Albertus*, Norimbergensis Med.Prof. Cl. Wittebergæ ∞ D LXXIX. ostendit, & ∞ D LXXXIV. de iis scriptum evulgavit, teste *C. Bavhin.* l. 4. c. 36. p. m. 1228. *Rolfinc.* Diss. Anat.

pag.

pag. 862. *Th. Bartholin.* l. a. Sic *Archangelus Piccolhomineus* Italus ſcribit ab omnibus hoc prætermiſſum, ſibique ſumma madmirationem, cum illud comperiret, excitaſſe, ut fere in ecſtaſin ageretur; referente *C. Bauhino* l. a. p. m. 1227. Imo hanc forſan antequam Fabricius Patavii demonſtraverat, eas deſcripſiſſe contendit *Riolan.* p. m. 105. Conf. *Th. Bartholin.* l. a. Eas quoque adtigit *Andr. Laurentius*, a quo *C. Bauhin* & *Th. Bartholin.* Plura qui de his valvulis deſiderat, adeat præter laudatos *Slegelium* de Sang. motu c. 3. p. m. 14. *Sachſii* Ocean: macro-miroc. Alex. *Maurocord.* tr. de Pneumatic. inſtr. circ. ſangu. c. 4. *Deuſingius* diſſ. Anat. de Motu Cord. & Sangu. ſect. 1. *Veslingius.* Synt. Anat. c. 14. *Diemerbrock.* Anat. l. 7. c. 1. p. m. 516.

§. 48. *Arteriæ autem valvulis carent, ut Spiritus Vitalis inſtar radii ſolaris momento in partes diſtantisſimas feratur*; Sunt verba *Riolan.* l. a. p. m. 107. Sed hoc non fit: melius ille Spiritus ſuccesſive beneficio pulſus & non in momento defertur ad diſtantisſimas partes. *Jac de Back* diſſ. de Corde cap. 6. p. m. 221. ait arteriis nullas conceſſas eſſe valvulas, quia uno impetu a cordis actione eleventur, atque ea ceſſante ſimul contrahantur & concidant; dein quia propter ſubſtantiæ duritiem vicinarum partium mole non facile, ſicut venæ comprimantur. Verum quod ad ultimam rationem ſpectat, vereor quin ſit nulla; non ubique enim tum notabilis arteriarum eſt crasſities,

maxime in minoribus, ceu scripsi olim Diss. de Hæmorrhoid. n. 6. p. m. 8. seq. Nullas in arteriis dari scribunt *Harvei* Exerc. 1. d. sangu. mot. c. 13. p. m. 121. *Lud. Miller.* l. a. p. 6. In arteriis umbilicalibus valvulas locent *Courveus & Hobokenus* scribente *Th. Bartholin.* A. R. libell. 1. c. 2. p. m. 595. Verum non veras dari valvulas in iis scripserat *Hobokenus* Anat. secundinæ hum. repetitæ s. 1. c. 2. §. 38. seq. p. m. 141. Forte si quis accuratius perscrutaretur, posset eas invenire; quamvis, ut verum fatear, nullam usus necessitatem videam.

§. 49. In *Nervis* dari valvulas præsubponit Acutiss. Renat. des *Cartes* tr. de Homine; imo assecla ejus *Henr. Regius* Philos. natural. l. 4. c. 16. hoc confirmat aitque multas in nervis dari valvulas, easque ibidem depingit: Verum mire exagitatur a *Diemerbrock.* Anat. l. 8. c. 1. p. m. 542. seqq. ubi fuse refutat istam sententiam; ut & *Th. Bartholin.* A. R. libell. 3. c. 1. p. m. 664. seq. Sic nervo in vivo animali filo constricto nullus supra vinculum apparet tumor, ceu scribit Celeberr. *D. Horst*, ap. *Segerum* Epist. 2. de *Lympha Bartholin.* p. m. 35. Hocque Idem Cl. *Segerus* Epist. 3. p. m. 45. fieri tradit, quia & nervorum substantia ad intumescendum inepta, & Spiritum ad tumorem in nervis excitandum debilis subtilitas prohibet, ut intumescere possit. Hinc si ligetur nervus aut obstruatur, subsistit Spiritus, aliamque quærit viam.

§. 50.

§. 50. Addimus obiter *Valvulas vasorum Lymphaticorum*, quas dari statuit Franc. de le Boë *Sylv.* disp. Med. 8. §. 16. atque *Th. Bartholin.* A. R. l. 1. c. 14. p. m. 133. ubi addit earum sedes designasse *Rudbeckium*, sed conspicuas sibi aperuisse *Frid. Ruyschium*, receptaculum chyli respicientes, prohibentes, que ne quid e receptaculo ad hepar perveniat. Imo Idem *Bartholin.* libell. 1. A. R. c. 3. append. 3. p. m. 622. seq. de vasis Lymph. ait: *Nodosa quoque sunt, & externe apparent, inaequaliter tumentia, inprimis si ligatis illis lympha sistatur, idque propter* Valvulas, *non tantum ingressui in axillarum affixas, sed in omnibus ramis dispositas, geminatasque ubique, & oblique invicem superpositas, textura tenerrimas, & numerosiores quam in venis, adeo ut supra* bis mille *in lymphaticis aliqui demonstrent, quarum usus est impedire, ne aqua ad lymphatica regrediatur.* Has autem cum negaverit *Ludov. de Bils*, convictus fuit a CL. *Ruyschio*, sed regressit aliud effugium in respons. ad Epist. Tob. Andreæ p. m. 6. quod egregie ridet *Diemerbrock* Anat. l. 1. c. 12. p. m. 58. seq. Dari illas valvulas statuit quoque *Rolfinc* Diss. Anat. l. 5. c. 14. p. m. 864. *Kerckring.* obs. anat. 91. p. m. 174. *Blasius* Anat. Contr. p. m. 92. & Celeb. *I. D. Major.* Fautor Amicissimus Anat. Nov. lit. C. 3. *a.* viditque in Lymphatico majora *Moinichenius* ap. *Th. Bartholin.* Cent. 3. Epist. 1. p. m. 7. per collum cum jugulari interna descendente valvulam sæpius ingressum munientem.

Nos quoque aliqua ſuperius tetigimus. Denique in *Uracho* funiculi umbilicalis nullam intercurrentem valvulam aut ejus ſpeciem adinvenit *Hoboken*. Anat. Vitul. ſecundin. ſ. 1. c. 5. §. 18. p. m. 92.

§. 51. Subjungimus denique his *Valvulam Coli*, de qua ſic amicisſimus olim *J. F. Ortlob* in Hiſtoria partium & Oeconomiæ hominis ſ. n. Diſſert. 7. §. 3. pag. 50. Eidem tunicæ (inteſtinorum nerveæ ſive tendineæ) elevatæ debetur valvula illa coli, non a *Bauhino* inventa, ſed ante eum a *Varolio*, *Salomone Alberto* & *Piccolhomineo* jam obſervatæ, quæ ex duplici quaſi limbo ſemilunari conſtat, ita ſibi invicem impoſitis, ut deſcenſum permittant & cedant, aſcenſum flatus quoque & aquæ injectæ inhibeant, quia tunc ita ſibi junguntur, ut tubulum plenarie occludant. Plura jam ipſe olim eadem de Valvula congesſi in diſp. mea de Colica, Argentorati A. 1665. habita.

§. 52. Amplisſimæ tandem huic noviter inventorum Anatomicorum mesſi coronidis loco breve ſubjungamus, bona cum Lectoris venia, ſpicilegium: Oculorum quod attinet ſtructuram, *nervorum opticorum* detegiſſe originem primus legitur Conſtantius *Varolius*, de quo Hier. *Ghilini* in Theatro deglihuomini letterati, e quo *P. Freher* Theatr. Viror. erud. clar. fol. 1270. & *Lindenius Mercklini* pag. 225. a. ita: Primus nervorum opticorum originem ex ſpinalis medullæ principio contra communem priorum Medicorum opinionem invenit, & ideo ab *Hieron. Mercuriali* ac *Dominico*

Leone

Leone Medicis claris in scriptis eorum summe laudatus est.

§. 53. Reperitur & alia quædam Cartilago in oculi orbita sede interiore superioreque, quam primus *Fallopius* doctissimus anatomicus invenit, & a figura atque usu Trochleam vocavit verba sunt *Andr. Spigelii* Lib. 3. de Fabr. corp. Hum. c. 2. p. m. 91. conf. eund. Lib. 4. cap. 5. p. 117.

§. 54. *Quintum oculi musculum* invenisse scribit *Reald. Columbus* Lib. 5. de re Anatom. c. 9. p. m. 226. seq. ubi fusius eundem describit.

§. 55. Tertium adhuc dari *Meningem* mediam inter crassam & tenuem primus descripsit *Godefridus Bidloo* in Anatomia sua majore, & repetit in vindiciis contra *Frider. Ruyschium* p. m. 33. seq. qui videatur.

§. 56. *Musculos pyramidales* primus celeberr. *Fallopius* detexit teste *Adr. Spigelio* Lib. 4. de Fabr. Corp. hum. c. 20. p. 139. & 141. ubi plura lectu digna de iisdem habet.

§. 57. *Duos nasi musculos* a se primum inventos testatur *Reald. Columbus* Lib. 5. Anatom. c. 3. p. 220. in fine, & præcipue c. 4. toto. p. 221.

§. 58. *Idem maxillam superiorem* psittaci moveri primus animadvertit, vid. ipsum Lib. 5. Anat. c. 2. p. 219.

§. 59. *Auris* interna duos *Musculos* habet, nostra ætate inventos a duobus excellentissimis Anatomicis *Hieronymo* inquam *Fabricio* ab *Aquapendente*

dente, & *Julio Casserio Placentino.* Ex his alter extra, alter intra primam cavitatem & tympanum situs est, unde externus ille hic internus nominatus fuit. Vide pluribus *Adr. Spigelium* Lib.4. de Fabr. Corp. hum. c. 5. p. 122.

§. 60. *Propaginem a vena sine pari* noviter detectam accurate descripsit idem *Spigelius* Lib. 8. c. 15. p. 315. qui evolvi dignus est.

§.61. *Arteriam bronchialem* Celeberrimus Anatomicus *Fridericus Ruyschius* a se inventam detectamque primitus asserit in Epist. Anatom. 6. p. m. 11. nec inficias it Excell. *Harderus* Differt. de viscerum præcipuorum structura & usu §.23. ubi ita: Arteriam bronchialem ab aorta oriundam Clarissimo Domino *Ruysch* debemus; exilior est, & inter tot vasorum compigmenta facile rescinditur in viscerum thoracis præparatione: Occurrunt ei plures venosi surculi, qui cavæ soboles sunt, ea tandem exiguitate terminantes, ut ni in animali recens suffocato illos persequaris, perinde non respondeant: armari quoque oculi vasorum fines melius explorant. Inprimis vero vaccarum, boum, & quæ his granditate affinia sunt, animalium intranea expectationem felicius implebunt.

§. 62. *Ossicula* in *arteriis* naturaliter nasci & hæc nostra detexit ætas. Vide omnino locum apud *Job. Bapt. Cortesium* Part. 3. Medic. Pract. in Consultatione Medica fol. m. 497.

§. 63. *Unguium* naturam & originem perspicatius indagatus est *Realdus Columbus* jam sæpe lauda-

laudatus, unde Lib. 2. de re Anatom. cap. 15. pag. m. 161. ipſe ita: Ungues tum a cute tum a tendenibus muſculos digitorum extendentibus originem trahunt, quanquam tendines ſub unguibus uſque ad digitorum extremitates deferantur: hic enim poſtmodum dilatantur. Quamobrem perſpicuum eſt, cur ſub unguibus tam exquiſitus ſenſus deliteſcat; quod *ego primus obſervavi*, & Excellentisſimo Medico, Alexandro de Civitate, rei anatomicæ ſtudioſisſimo lubens oſtendi. Conf. pluribus ea de re ex profeſſo agentem Filii Charisſimi *Georgii Friderici Franci de Franckenau* Onychologiam Jenæ editam 1694. in 4.

§. 64. Pauca libet addere de celeberrimo ſæculi XVII. invento, quod univerſam medendi artem haud parum & illuſtravit & adjuvit. Eſt id detecta illo ævo *ſanguinis circulatio*. Hanc veteribus, inprimis & *Hippocrati* & *Ariſtoteli* prorſus incognitam fuiſſe prolixe & erudite commonſtravit CLmus *Archibaldus Pitcarnius* in ſolutione problematis de inventoribus pag. m. 88. ſeqq. Cui illa feratur accepta, in controverſiam primo venit, unanimi tamen mox tantum non omnium ſuffragio vindicata idque jure merito fuit, Celeberrimo *Guilielmo Harveo* Caroli I. Magnæ Britanniæ Regis Archiatro. Teſtem ejus rei jam in adlocutione ad Lectorem laudavimus Dn. *Joh. Bapt. de Hamel*, cui calculum adjicit *D. de Stair* in Dedicat. philologiæ novæ Experimentalis p. m. * 4. b. ubi ita: *Harveus* primo circulationem ſanguinis advertit,

cui

cui licet ex præpoſſeſſione aut invidia multi aliquandiu ſe obpoſuerint, deinceps tamen ita evidens deprehenſa eſt, ut omnes mirarentur, quomodo tam diu delituerit: Sed ne actum agere videar, Lectorem ablego ad præfationem noſtram, Celeb. *Chriſtiani Langii* Operibus Medicis olim præfixam, ubi argumentum iſtud fuſius pertractavi.

§. 65. Hæcque inter ſexcentas negociorum turbas ſufficiant. Quæ reſtant, ubi ſupetet benignius ocium pro virili addemus. L. B. boni conſulat levem hunc conatum, meliora ſi ſuperaddet gratiam abs me & omnibus bonis merebitur longe maximam, eumque valere jubeo pancratice.



INDEX

INDEX RERUM.

A.

Anguilla

est

F.

G.

Hæ-

vide

M.

N.

P.

Poëtæ,

Seden-

Virgines,

FINIS.



